Iungwirth del. et Sc. M.

homas Ittigius.
SS. Theol. D... Prof. Publ. Ordin. Ingenuae Cathedral. Misenens. Canon. Consist. Elect. ac Ducalis, nec non Facult. Theol. Assess.
ad D. Nicolai Pastor et Dioeceseos Lipsiensis Superintendens.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

PRIMI
A CHRISTO NATO
SECULI
SELECTA CAPITA,
DELINEATA
STUDIO
D. THOMÆ ITTIGII, Superint.
& Theologiæ Professoris in Ecclesia & Academia
Patria Lipsiensi.

R

PRÆMISSA EST EJUSDEM
DE
SCRIPTORIBUS HISTORIÆ ECCLESISATICÆ
RECENTIORIBUS DISSERTATIO.



LIPSIÆ,
Apud HÆR. JOH. GROSSII, & JO. FRIDER. BRAUNIUM,
ANNO 1709.

VIRO
SUMME REVERENDO
AMPLISSIMO & EXCELLENTISSIMO
DOMINO
CHRISTOPHORO SONNTAGIO,

S. S. Theologiæ Doctori ejusdemque
Primario & Græcæ Linguæ Prof. Publico
in Altdorfina Noricorum Academia Celeberrimo,
ecclesiæ illius Antistiti
Fidelissimo,

& h. t.

UNIVERSITATIS
RECTORI MAGNIFICO

de singulis, quæ gerit, officiis
Meritissimo,

Suo in Christo Fratri Patris instar Venerando hunc qualemcunque tractatum in publicum observantiæ monumentum

conſecrat

D. Thomas Ittigius.



Te leves Elegi celebres ad Noridos agros,
Exigit haud multos hoc iter omne dies.
Etſi etenim pedibus vos non proceditis æquis,
Nec feſtinatum ferre poteſtis iter:
Diffugere nives tamen, & via commoda vobis
Facta poteſt veſtros accelerare gradus.
Cum tranſiveritis Pindi Jenenſis Athenas,
Quas ſpumante ſuo flumine Sala rigat;
Quærite quas habitet Venerandus Fœrtſchius *ædes,*
Fœrtſchius *Euſebies Deliciæ atque Decus.*
Nomine quæſo meo multam illi afferte ſalutem,
Atque rogate mei vivat ut ille memor.

Tum celeri ad Veterem *curſu contendite* Pagum,
Qui famâ claris ſurgit ad aſtra Viris.
Hos inter ſtellas velut inter Luna minores
Sonntagius *meritis & pietate micat.*
Contulit huic ſummos Academia nuper honores
Inclyta, Rectorem jusſit & eſſe ſuum.
O quam felici tenet hunc moderamine clavum!
Quanta ſubjectos cum gravitate regit!
Non illo quisquam Divini oracula Verbi
Pandere majori dexteritate queat.
Non illo posſit quisquam facundior alter
Salvifico Chriſti paſcere ovile cibo.
Hic Pietiſtarum (longa *eſt injuria,* longæ
Ambages) ſolida detegit arte ſtrophas.
Ille Roſenbachii penitus calcaria fregit,
Queis punctus Satanæ hic fortius ivit equus.

Hujus

Hujus Theiologi, nullo prohibente, videndi
Copia se vobis offeret ampla satis,
Cum docto illius pendebit ab ore Juventus,
Attentaque sacras imbibet aure scholas.
Vos modo Discentum vos associate Catervæ,
Quæ tanti Herois verba diserta stupet.
Sic dabitur coram Venerandos cernere Vultus,
Quin etiam alloquio suave sonante frui.
Nam quando a curis paulum requieverit istis,
Mansvetas ad vos porriget ille manus;
Quidque parens ego vester agam, blando ore requiret,
Talia vos illi dicta referre velim:
Vivit adhuc vitamque extrema per omnia ducit,
Vi morbi vires attenuante suas.

Interea memori ſemper ſolet ore referre,
Candori quantum debeat ipſe Tuo.
Nec ceſſat celebrare Tuum Venerabile Nomen,
Quod pridem volitat docta per ora Virûm.
Utque ſuum ingenue Tibi conteſtetur amorem,
Chartas eſſe ſacras has jubet ille Tibi.
Accipe quæſo animi levidenſia pignora grati,
Conſule quæſo æqui, conſule quæſo boni.
Quod ſupereſt illi felicia quæque vovete,
Sic veſtræ fuerit cauſa peracta viæ.

Scripſ. Lipſiæ d. 21. Mart.
A. C. 1709.

SYNOPSIS



SYNOPSIS PRÆFATIONIS
De Scriptoribus historiæ ecclesiasticæ recentioribus.

I. II. III. IV. *Centuriæ Magdeburgenses*. V. *Centuriatorum Adversarii Alanus Copus seu potius Nicolaus Harpesfeldius, Franciscus Turrianus, Gilbertus Genebrardus, Petrus Canisius, Gulielmus Eysengreinius, Conradus Brunus*. VI. VII. VIII. IX. *Baronii annales*. X. *Ludovici Aurelii Perusini epitome Baronii. Cardinalis de Lauræa index in tomos Baronii*. XI. *Job. Gabrielis Bisciolæ epitome Baronii*. XII. *Henrici Spondani epitome Baronii*. XIII. *Abrahami Bzovii epitome Baronii, quæ sub historiæ ecclesiasticæ titulo prodiit*. XIV. *Johannis Horatii Scoglii historia ecclesiastica, quæ & ipsa est epitome Baronii. Cornelii Schultingii thesaurus antiquitatum ex septem prioribus Baronii tomis contextus. Ejusdem continuatio ex octavo Baronii tomo deprompta*. XV. *Odorici Raynaldi continuatio annalium Baronii ab anno* 1198. *ubi Baronius desiit ad A. C.* 1534. *octo tomis comprehensa. Ejusdem Baronius continuatus ex octo tomis ad unum pluribus auctum redactus. Ejusdem Raynaldi tomus continuati Baronii posthumus in duas partes divisus, & ab A.* 1534. *usque ad A. C.* 1565. *deductus*. XVI. *Abrahami Bzo-*

vii Baronius continuatus ab A. C. 1198. *quo Baronius desiit, usque ad A.C.* 1564. *deductus, & octo tomis distinctus. Ejusdem Pius* V. *seu annalium ecclesiasticorum tomus posthumus.* XVII. *Henrici Spondani Baronius continuatus, qui tribus tomis ab A.* 1198. *usque ad A. C.* 1640. *progreditur. Appendix posthuma ab A.C.* 1641. *ad A. C.* 1646. XVIII. *Isa. Casauboni exercitationes in Baronium.* XIX. *Jul. Caes. Bulengeri diatriba contra Casaubonum. Richardi Montacutii antidiatriba contra Bulengerum. Ejusdem Montacutii origines ecclesiasticae. Ejusdem apparatus ad origines ecclesiasticas. Ejusdem analecta exercitationum ecclesiasticarum.* XX. *Andreae Eudaemon Johannis scripta contra Casaubonum. Johannis Prideaux vindiciae pro Casaubono adversus Eudaemonem.* XXI. *Heriberti Rosweidi lex talionis* 12. *Tabularum Cardinali Baronio a Casaubono dicta retalitione retorta. Jacobi Capelli libri tres vindiciarum pro Casaubono adversus Rosweidum, Eudaemonem & Bulengerum. Rosweidi Anti-Capellus. Capelli assertio bonae fidei adversus strophas Heriberti Rosweidi. Rosweidi Syllabus malae fidei Capellianae.* XXII. *Petri Lansselii dispunctio notarum seu calumniarum a Casaubono in exercitationibus ad Baronium Justino Martyri inustarum.* XXIII. *Ad. Tribechovii exercitationes ad Baronii annales ubi Casaubonus desiit.* XXIV. *Christiani Kortholti disquisitiones Anti-Baronianae.* XXV. *Samuelis Basnagii de rebus sacris & ecclesiasticis exercitationes historico-criticae ab A. C.* 35. *ubi Casaubonus desiit.* XXVI. *Andreae Magenelis seu Magendei Anti-Baronius, cui insertae Davidis Blondelli animadversiones in Baronium.* XXVII. *Henrici Ottii examen perpetuum*

tuum in annales Baronii. XXVIII. *Augustini Redingii vindex veritas annalium ecclesiasticorum Baronii adversus Ottii examen.* XXIX. *Antonii Pagi Critica historico-chronologica in annales Baronii.* XXX. *Melchioris Goldasti rationale constitutionum imperialium, quo sacri Romani Imperii jura contra Baronium defenduntur. Gretseri apologia pro Baronio contra Goldastum.* XXXI. *Johannis Dartis animadversiones in annales Baronii & Casauboni exercitationes.* XXXII. *Gerhardi Johannis Vossii, Abrahami Sculteti, Christiani Lupi, & Henrici Norisii proposito Baronii annales castigandi & emendandi eventus non respondit.* XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. *Natalis Alexandri Historia ecclesiastica Veteris & Novi Testamenti.* XXXIX. *Eliæ Veielii dissertatio isagogica in dissertationes historicas, chronologicas, criticas, dogmaticas Natalis Alexandri.* XL. *Lucæ Osiandri epitome historiæ ecclesiasticæ.* XLI. *Johannis Henrici Hottingeri historia ecclesiastica.* XLII. *Hieronymi Kromayeri ecclesia in politia.* XLIII. *Johannis Micrælii Syntagma historiæ ecclesiasticæ continuatum a Daniele Hartnaccio.* XLIV. *Timanni Gesselii historia sacra & ecclesiastica.* XLV. *Friderici Spanhemii historia ecclesiastica.* XLVI. *Christophori Sandii nucleus historiæ ecclesiasticæ. Ejusdem appendix.* XLVII. *Compendium historiæ ecclesiasticæ Gothanum.* XLVIII. *Georgii Hornii historia ecclesiastica. Ejusdem supplementum autore Melchiore Leydeckero. Novum supplementum autore Johanne Daniele Cramero.* XLIX. *Johannis Pappi epitome historiæ ecclesiasticæ. Eusebii Bohemi epitome historiæ ecclesiasticæ. Henrici Kippingii supplementum ad Pappi historiam ecclesiasticam.* L.

Michaelis Buchingeri historia ecclesiastica. LI. *Johannis Andreæ Schmidii compendium historiæ ecclesiasticæ.* LII. *Adami Rechenbergii historiæ ecclesiasticæ summarium. H.G. Welandi tabula in hoc summarium.* LIII. *Christiani Kortholti historia ecclesiastica N.T.* κατ' ἐπιτομήν. LIV. *Johannis Georgii Layrizii Synopsis historiæ ecclesiasticæ N.T.* LV. *Johannis Kromayeri indiculus historiæ ecclesiasticæ.* LVI. *Danielis Parei historiæ ecclesiasticæ medulla.* LVII. *Johannis Stübneri ad historiam ecclesiasticam V. & N.T. introductio per tabulas synopticas.* LIIX. *Thomæ Hobbesii historia ecclesiastica titulo hoc indigna.* LIX. *Heriberti Rosvveidi historia ecclesiastica. Andreæ Servatii Vellei historia ecclesiastica.* LX. *Augustini Ribothi Florus Christianus.* LXI. *Onuphrii Panvinii chronicon ecclesiasticum.* LXII. *Nicolai Vignerii historia ecclesiastica gallice scripta.* LXIII. *Antonii Godeau historia ecclesiastica gallice scripta.* LXIV. *Abbatis de Choisy historia ecclesiastica gallice exarata. Abbatis Fleury historia ecclesiastica eodem idiomate conscripta.* LXV. *Ludovici Ellies du Pin historia controversiarum aliarumque materiarum noni & sequentium seculorum.* LXVI. *Sebastiani le Nain de Tillemont memoriæ ad usum historiæ ecclesiasticæ sex priorum seculorum.* LXVII. *Dionysii Mudzaerts historia ecclesiastica ab O.C. usque ad A.C. 24. Belgice scripta. Jacobi Leydeckeri historia ecclesiastica ab O.C. usque ad annum 1691. eodem idiomate scripta.* LXVIII. *Godofredi Arnoldi historia ecclesiastica germanice scripta.* LXIX. *Ejusdem Arnoldi supplementa, illustrationes, & emendationes ad suam historiam ecclesiasticam, quibus addita Anonymi cujusdam observationes, & Volckmeyeri vindiciæ*

pro

pro Arnoldo contra Zacbariam Gœzium. Ejusdem Arnoldi compendium historiæ ecclesiasticæ germanice scriptum. LXX. *Wilhelmi Zieroldi germanica manuductio ad historiam ecclesiasticam.* LXXI. *Matthias Zimmermannus a nupero quodam Scriptore inter recentiores historiæ ecclesiasticæ Scriptores perperam relatus.* LXXII. *Casparis Sagittarii indiculus historiæ ecclesiasticæ a nonnemine laudatus nusquam extat.* LXXIII. *Scriptores quidam historiæ ecclesiasticæ a Sagittario indicati.* LXXIV. *Johannis Riochæ compendium temporum & historiarum. Jacobi Gaulterii tabula chronographica status ecclesiæ catholici. Jacobi Grandarici chronologia christiana.* LXXV. *Gulielmi Marcelli conspectus chronologicus.* LXXVI. *Francisci a S. Augustino Macedo medulla historiæ ecclesiasticæ emedullata.* LXXVII. *Augustini Tornielli annales sacri V. T.* LXXVIII. *Jacobi Saliani annales ecclesiastici V. T. Eorundem annalium epitome. Eorundem enchiridium & epitomes medulla.* LXXIX. *Christiani Schottani historia sacra V. T.* LXXX. *Jacobi Usserii annales V. T.* LXXXI. *Antonii le Grand historia a mundi exordio usque ad tempora Constantini. Bolerani florum sanctum ab O. C. usque ad Christi tempora.* LXXXII. *Aliqua Jacobi Capelli scripta huc spectantia.* LXXXIII. *Ludovici Capelli chronologia sacra. Ejusdem historia apostolica.* LXXXIV. *Dannhaueri Christeis, s. historia trium priorum a Christo nato seculorum.* LXXXV. *Conradi Hornei compendium historiæ ecclesiasticæ a Christo nato usque ad tempora Constantini.* LXXXVI. *Balthasaris Bebelii antiquitates ecclesiasticæ quatuor priorum seculorum. Ejusdem antiquitates evangelicæ. Ejusdem historia ecclesiæ antediluviana.*

næ, item historia ecclesiæ Noachicæ. LXXXVII. *Johannis Henichii historia quinque secularis.* LXXXVIII. *Justi Söffingii historia ecclesiastica.* LXXXIX. *Continuatio Sulpitii Severi per Christianum Schottanum. Alius anonymus Sulpitii Severi continuator.* XC. *Georgii Calixti historia ecclesiæ occidentalis octavi & sequentium aliquot seculorum.* XCI. *Joh. Henrici Bœcleri commentarius de rebus seculi* 9. & 10. XCII. *Jacobi Usserii tractatus de successione & statu ecclesiarum in Occidentis præcipue partibus.* XCIII. *Eliæ Ebingeri historia ecclesiastica seculi* 15. *seu potius* 16. XCIV. *Johannis Fechtii tabulæ in historiam ecclesiasticam seculi* 16. *Ejusdem supplementum historiæ ecclesiasticæ seculi* 16. XCV. *Abrahami Sculteti annales evangelii renati.* XCVI. *Lud. Maimburgii historia Lutheranismi. Opposita huic Illustris Seckendorfii historia Lutheranismi.* XCVII. *Sleidanus de statu religionis & reipublicæ sub Carolo V.* XCVIII. *Sleidani continuatores.* XCIX. *Laurentii Surii commentarii rerum suo tempore in orbe gestarum.* C. *Joh. Henrici Bœcleri liber memorialis de rebus seculi* 16. *Johannis Burchardi Maji supplementum. Bœcleri historia universalis* 4. *priorum seculorum. Ejusdem historia ab exordio mundi usq; ad tempora Davidis.* CI. *Joh. Angeli Bernieræ compendium historiæ ecclesiasticæ a reformatione usq; ad nostra tempora.* CII. *Joh. Wolfgangi Jägeri historia ecclesiastica seculi* 17. CIII. *Andreæ Caroli historia ecclesiastica seculi* 17. CIV. *Abbatis Roquii memoria ecclesiastica. Varilasii opus de revolutionibus Europæ ob religionem. Bossveti historia de variationibus Protestantium.* CV. *Scriptores quidam, qui civilem historiam ecclesiasticæ conjunxerunt. Christeidos Dannhaueriana actus secundus a Constantino M. usq; ad triumphum Heraclii.* CVI. *de præsenti tractatu.*

SYNOPSIS

SYNOPSIS
Selectorum historiæ ecclesiasticæ primi seculi capitum, quæ hoc volumine continentur.

CAPUT I.
De Scriptoribus & scriptis ecclesiasticis Seculi I.

I. ABgari ad Christum epistola & Christi responsoria. *Eas genuinas esse ut probet Grabius, multum sed frustra laborat.* II. Mariæ epistola ad Ignatium *hypobolimæa. Halloixii pro ejus defensione irriti conatus.* III. Mariæ ad Messanenses epistola. *Num hebraice scripta, & a Paulo Apostolo græce versa? Varii hujus epistolæ Patroni. Lepidum Ducis Ossunæi dictum. Autographum hujus epistolæ a cœlo raptum fingitur. Pius Græculi alicujus Sacerdotis dolus in restitutione hujus epistolæ commissus.* IV. Mariæ epistola ad Florentinos. V. Petri liturgia. *Eam spuriam esse probavit Cardinalis Bona. Lindani argumenta pro hac liturgia Dorscheus refutavit. Primam missam a Petro in festo Pentecostes celebratam Raynaudus asserit, quem honorem Apostolo Jacobo Johannes Maro pari temeritate vindicat.* VI. Epistola ad Laodicenses Paulo *perperam attributa.* VII. Pauli & Senecæ epistolæ *spuriæ. Senecam Christianum non fuisse probat Taciti de ejus morte relatio.*

Basnagius & Dupinius notantur. Editio harum epistolarum a Clichtoveo procurata ab aliis nonnihil discrepat. VIII. Acta Pauli & Theclæ *a Grabio nuper edita non sunt eadem cum illis, quorum Tertullianus & Hieronymus meminerunt.* IX. Matthæi liturgia *pseudepigrapha.* X. Matthæi de nativitate Mariæ liber *vocatus a nonnullis liber Joachim, vel historia Joachimi & Annæ. Casauboni invectiva adversus Christophorum a Castro, repetita ab Hospiniano, impugnata a Rosvveido, vindicata a Montacutio. Vossii de hoc libro judicium.* XI. Jacobi liturgia. *Quæ alibi de hac liturgia notata sunt, paucis repetuntur. A Græcis hodie negligitur, nisi quod semel quotannis in ecclesia Hierosolymitana legitur. Inconstans Arcadii de hac Missa judicium. Falsa Baronii persuasio.* XII. Jacobi Protevangelium. *Primi editoris Bibliandri erroneum de eo judicium. Quanti a Postello hoc evangelium æstimatum fuerit. Variæ illius editiones. Num Protestantibus illius editionem Sixtus Senensis & Simonius recte exprobrent? Cordata Montacutii de hoc evangelio sententia. Eustathius in Hexaemero hujus evangelii autorem non Jacobum Apostolum, sed Jacobum aliquem appellat.* XIII. Nicodemi evangelium. *Variæ ejus editiones & versiones. Nugis & fabulis scatet. Sandii & Hallervordii error corrigitur. Daumii & Barthii observatio.* XIV. Barnabæ epistola. *Variæ editiones. Nova in Anglia paratur. Barnabam Pauli comitem esse hujus epistolæ autorem asserunt quidam veteres & recentiores. Ejus autoritatem humana majorem jactat Wakeus. Neminem esse, qui non Barnabæ Pauli cooperario hanc epistolam tribuerit, falso credidit Pearsonius. Contrarium demon-*

mon-

monstratur. Schottani distinctio inter Barnabam majorem & minorem. Tenzelii de autore hujus epistolæ conjectura. Autor satis antiquus. Eusebius & Hieronymus hanc epistolam inter pseudepigrapha retulerunt. Antiquum hujus epistolæ interpretem esse Philastrium Papebrochius asserit. Dupinius imprudenter eos imprudentiæ arguit, qui hanc epistolam a Barnaba Pauli comite scriptam negant. XV. Marci liturgia. *A Balsamone merito rejecta. An hoc saltem concedendum, quod omnino Marcus Alexandrinæ Ecclesiæ liturgiæ formam scripto tradiderit, etsi hodierna Marci liturgia notha sit?* XVI. Johannis Marci acta Barnabæ. *Editio Papebrochii græca & latina. Sunt e mendaciis consuta.* XVII. Dionysii Areopagitæ opera. *Ea spuria esse peculiari tractatu demonstravit Dallæus. Verba quæ suo Dionysii exemplari Casaubonus adscripsit. Aliorum Reformatorum, ut & Lutheranorum, Socinianorum, & multorum quoque ex ipsis Pontificiis de νοθείᾳ horum operum consensus. Parisiensium Theologorum censura contra Erasmum & Lutherum. Hac non obstante multi etiam in ipsa Gallia docti Erasmi & Lutheri sententiam sequuntur. Quesnelius horum operum autorem putat fuisse aliquem sexti seculi hæreticum. Plures alii Galliæ doctores, qui opera hæc pseudepigrapha esse statuunt, nominantur. Tenzelii error & memoriæ lapsus. Schelstrateni de Luthero mendacium. Bellarminus suo judicio semet ipsum condemnavit. Ex instituto & peculiari volumine hujus Dionysii opera genuina esse haud ita pridem probare annisus est in Vindiciis suis Areopagiticis Laurentius Cozza. Inepta ejus sententia, & ineptæ rationes refutantur. Innotescere cœperunt*

perunt hæc scripta, cum Severiani in collatione cum Orthodoxis ad ea provocarent. Multis ante Lutherum seculis a nonnullis improbata fuerunt. Quam male antiquam & legitimam possessionem suæ sententiæ ex Ignatio, Origene & aliis Patribus Cozza probare ausus fuerit. In dubiis, quæ contra hæc scripta moveri solent, dissolvendis multo sed inani labore se torquet. Alius novus vindex operum Dionysii Claudius David. Is de omnium Patrum, Pontificum, Conciliorum, & Doctorum celebriorum, sive ante sive post collationem inter Orthodoxos & Severianos habitam vixerint, in approbandis Dionysii operibus consensu multum gloriatur, sed miserabili probatione se valde prostituit. Fabula de scriptis Dionysii ab ipso cœlo approbatis. Petersenii & Arnoldi judicia de scriptis Dionysii castigantur. Num Valla & Erasmus, quia literati fuerunt, spiritualia spiritualiter judicare non potuerint, ut Arnoldus nugatur? An Protestantes partim ob multas verbales & literales disputationes, partim ob seculare & externum vivendi genus, de mysticis Dionysii scriptis minus sincere judicare potuerint, ut idem Arnoldus calumniatur? XVIII. Marcelli conflictus Simonis Petri cum Simone Mago. *Editiones. Cave hunc tractatum Marcello Episcopo Romano, qui quarto seculo ineunte floruit, tribuendum censes.* XIX. Presbyterorum & Diaconorum Achajæ epistola de passione Andreæ. *Editiones. Ejus νοθεία contra Saussayum & alios asserta.* XX. Abdiæ Babylonii historia certaminis Apostolici. *Pro thesauro hoc carbones habuit Lazius primus editor. Aliæ editiones & MSCta.* XXI. Lini libri duo de passione Petri & Pauli. *Labbei duplex error. Ulrici Veleni duplex error. Chiffletius, qui*

hos

hos Lini libros Vesontione sinceros asservari credit, vana persuasione fallitur, qua etiam Ludovicum Jacobum a S. Carolo fefellit. Lorini & Nourrii de Lino judicia. XXII. Clementis Romani opera *plenius a Cotelerio & Clerico quam ab aliis edita.* Canones apostolici. *Eorum numerus pro variis editionibus variat. Scholiastæ horum canonum. Binius duos tantum, Aguirre quinque ex his canonibus pseudepigraphos esse censet. Bellarminus* 50 *priores approbat,* 35 *posteriores rejicit. Constantini a Castrovillone sententia. Aliqui ex Pontificiis omnes pro adulterinis habent. Contra alii omnes ab Apostolis conditos sibi persuadent. Reformati etsi de tempore, quo scripti sunt hi canones, dissentiant, ut ex Dallæi, Beveregii, Larroquani, Usserii & aliorum scriptis constat, in eo tamen consentiunt, quod Apostolis suppositi sint. Damasceno, qui canones illos libris N. T. annumerat, opponi possunt alii veteres, & in his Gelasius Pontifex. Sixti Senensis oscitantia Athanasium & Tertullianum pro autoritate canonum apostolicorum allegantis etiam alios oscitantes fecit. Nostrates canones apostolicos spurios esse probant.* Constitutiones apostolicæ. *Editiones. Stapletoni impudens assertum. Magni constitutionum Patroni Bovius, qui a Possevino perperam Bosius dicitur, & Turrianus. Rivetus memoria lapsus. E Reformatis constitutionum defensorem se profitetur Montacutius, cui opponi possunt reliqui Reformati omnes & imprimis Dallæus. Etiam Pontificii quidam constitutiones Apostolis affictas profitentur. Inter Græcos Zonaras & Patres concilii 6. Generalis eas reprobant. Quarto seculo constitutiones istæ primum innotuerunt. Successu temporis ab Arianis corruptæ & interpolatæ. An*

 Apolo-

Apologia Augustanæ Confessionis constitutiones apostolicas Apostolis tribuat? Bellarminum in judicio de constitutionibus apostolicis a se ipso dissentientem castigat Conringius, eosque mentiri notat, qui Bellarminum nullius unquam per totam vitam mendacii sibi conscium fuisse jactant. Clementis liturgia *itidem spuria.* Clementis Recognitiones. *Germanica editio Arnoldi, qui inter latinas nihil discriminis esse perperam statuit. Error de Clementis recognitionibus in Bœcleri historia universali occurrens exscriptori potius aut typographo, quam celeberrimo Autori tribuendus. Barthii judicium hos libros cum Apuleji de asino aureo libris comparantis verissimum est, etsi Arnoldo displiceat. Bardesanis fragmentum ab Eusebio allegatum ex Clementis Recognitionibus depromptum esse, falsa est Arnoldi imaginatio. Autorem hujus operis hæreticum fuisse Nourrius recte statuit. Arnoldus hoc opus quidem ab hæreticis corruptum, hæretica tamen dogmata pridem expuncta, & nihil amplius expurgandum superesse somniat. Idem judicat nonnulla in hoc opere illis tantum ἄτοπα videri, qui spiritu sapientiæ fanaticæ destituuntur. Scilicet nullus nisi hoc spiritu illuminatus fabulas larvati Clementis, & sententias a Spiritu S. in Scriptura damnatas pro divinis oraculis venerari potest. Talis illuminatio Peterfenio contigit. Parum juvat Arnoldum, quod Athanasius in Synopsi Recognitiones libris N. T. annumerat. Ex eodem Athanasii loco Autorem Recognitionum catholicum fuisse perperam concludit Grabius. Decem alii recognitionum libri deperditi. Pius Arnoldi dolus in mutando germanicæ suæ versionis titulo, non advertentis novum titulum cum veteri præfatione minus cohærere.*

Cle-

Clementina *nugis & erroribus Ebionitarum plena. Præmissæ sunt duæ ad Jacobum epistolæ, una Petri, altera Clementis, & præscripta a Jacobo formula adjurationis & exccrationis eorum, qui libros a Petro transmissos adulteraturi, vel aliis temere communicaturi essent.* Clementis epitome gestorum Petri, *cujus autor juxta Caveum Symeon Metaphrastes.* Clementis epistolæ quinque decretales *a Blondello in Pseudo-Isidoro & Turriano vapulantibus examinatæ. Impudentissimum Cardinalis Aguirre mendacium. Saniora Pontificiorum quorundam judicia, quos inter Baluzius harum epistolarum autorem impudentissimum nebulonem appellat.* Clementis prior ad Corinthios epistola & posterioris fragmentum. *Notatur Palatius, qui nullas Clementis ad Corinthios epistolas hodie extare putat. Omnes eruditos, excepto Gatakero, in γνησιότητα prioris ad Corinthios epistolæ consentire, Colomesii est assertio, quæ falsa est. Etsi prior hæc Clementis epistola spuria non sit, interpolatoris manus tamen non plane effugisse videtur. Posteriorem ad Corinthios epistolam a Clemente scriptam negat Grabius. Ante quartum seculum nulla apud veteres duarum Clementis ad Corinthios epistolarum mentio occurrit. Locus Dionysii Corinthii apud Eusebium a nonnullis perperam intellectus. Quæ sub Clementis nomine scripta fuit posterior ad Corinthios ab Eusebio & Hieronymo memorata, non in pari pretio cum priore fuit habita. Morini de posteriori judicium. Quod hodie extat posterioris fragmentum, non tam ex aliqua epistola, quam ex Clementis didascalia, vel alio scripto deperdito depromptum videtur.* XXIII. Hermæ Pastor *sæpius editus. Non tamen in Heroldi hæresiologia, ut Nour-*

rius

rius putavit errantem Labbeum secutus. Autor non est Hermas, cujus Paulus meminit, nec meras veritates continet, ut Nourry somniat. Sanius Basnagii judicium. Magnam Hermæ partem græce exhibet Pseudo-Athanasius in doctrina ad Ducem Antiochum. XXIV. Martialis Lemovicensis epistolæ duæ. *Error Miræi, & Vossii, qui hunc Martialem Græcis Scriptoribus annumeravit, postea tamen in tractatu de Historicis latinis hunc errorem retractavit.* Vita Martialis *ab Aureliano scripta ejusdem est cum Martialis epistolis furfuris.* XXV. Prochorus de vita & morte Johannis. *Prochori unius e septem primis Diaconis, qui cum Stephano electi sunt, personam mentitus.* XXVI. *Alia pseudepigrapha Apostolis & Viris Apostolicis perperam attributa.*

CAPUT II.

De Conciliis primi seculi.

I. *Concilium Hierosolymitanum contra necessitatem circumcisionis & legalis justitiæ. Pontificiis, qui Petrum hujus concilii Præsidem faciunt, contradicit Tostatus. Num inter turbones, qui controversiam illam de legis observandæ necessitate moverunt, Cerinthus fuerit, incertum.* II. *Eysengreinius duodecim primi seculi concilia numerat. Ex his primum, secundum, tertium, nonum & duodecimum congressus tantum apostolici non Synodales conventus fuerunt. Quartum symboli apostolici condendi gratia habitum, quintum in quo constitutiones apostolicas promulgatas refert, sextum*

tum in quo divisionem Apostolorum factam narrat, septimum in exequiis Mariæ congregatum, decimum novi Episcopi Hierosolymitani eligendi gratia institutum, & undecimum, in quo canones apostolicos sancitos fingit, sunt fictitia. III. Fictitium quoque Antiochenum cujus canones 9. Turrianus edidit. IV. Duo concilia, quæ primo seculo sub Ignatio habita Ruelius tradidit, non minus commentitia videntur. V. Apostolos immaculatam B. Virginis conceptionem in concilio aliquo decrevisse cardinale est mendacium Cardinalis de Sfondrata.

CAPUT III.

De Doctrina seculi primi, seu Scriptorum, qui ad primum seculum vulgo referri solent.

SECTIO I. De Symbolo Apostolico.

I. *UNde similitudo in voce symboli depromta sit? Num symbolum apostolicum coram gentilibus & catechumenis occultatum fuerit? Discrimen inter simplices & perfectiores servatum in modo symbolum proponendi. II. Symbolum hoc introducendo Syncretismo non inservit. Multi*

articuli fidei in illo omissi. Papistæ, Calviniani, Sociniani, & Arminiani alio sensu symbolum hoc exponunt, quam Lutherani, ut ostendunt tabulæ a Dannhauero, Scherzero, & Rechenbergio contextæ. III. An quilibet Apostolorum symbolam suam ad hoc symbolum contulerit? Historia inquisitionis contra Vallam in causa symboli. Non est conditum a Patribus Nicænis. Sandius ab Arianis compositum asserit. IV. Erasmi sententia. Parisiensium contra ipsum censura. Erasmi apologia. Du Pinii symbolum hoc ab Apostolis conditum negantis sententia, ejusque contra Censorem Petitdidierium defensio. V. Autores, qui hoc symbolum ab ipsis Apostolis contextum non fuisse probarunt, indicantur. VI. Quo sensu apostolicum dici possit. Primæ ejus lineæ in formula baptismi ductæ. Varias additiones aliasque mutationes symboli successu temporis in variis ecclesiis factas agnoscit Christianus Lupus quoad primum articulum. VII. Quoad secundum articulum de Christo. VIII. Quoad tertium articulum de Spiritu S. A Pamelio in Cypriani editione vocem catholicam contra fidem codicum expositioni symboli adjectam fuisse non inficiatur. Observat ex Rufino Aquilejensem ecclesiam in articulo de resurrectione carnis vocem hujus *addidisse, & fideles hunc articulum recitantes simul signo crucis fronti impresso carnem suam attigisse. Ex eodem Rufino observat articulum de resurrectione carnis olim ultimum fuisse, donec articulus de vita æterna adderetur. IX. Tot symboli variationibus agnitis Lupus nihilominus hodiernam symboli apostolici formam ab ipsis Apostolis profectam esse statuit, quod non quidem autoritate erronis Judæi, qui ab Apostolorum ætate adhuc in orbe vagari dicitur, nec autoritate*

Johan-

Johannis Ragusini, qui in concilio Basileensi suæ Disputationi de symbolo aliqua falsa admiscuit, sed tamen ex aliis testibus omni exceptione majoribus contra Vossium & alios probari posse putat. Distinguit inter symbolum scriptum & traditum. Quid de hac distinctione statuendum. Julianus Cardinalis in concilio Florentino asseruit, symbolum apostolicū, quale Apostoli tradiderunt, Romæ in archivis servari, quod Marcus Ephesius credere noluit. Aliud effugium contradictionis evitandæ quærit Lupus in distinctione inter verba & sensus symboli, quæ distinctio a statu controversiæ abludit. Vossii sententiam approbat Quesnelius. X. Natalis Alexander statuit symbolum apostolicum, si non in aliis ecclesiis, saltem in Romana ecclesia invariatum mansisse, quale Apostoli tradiderunt. Respondetur ad ejus probationes ex Ambrosio & Rufino desumtas. Jesuita Garnerius observat in tribus imprimis articulis hodiernum symbolum apostolicum a symbolo veteris ecclesiæ Romanæ differre. Ad Natalis Alexandri exceptiones contra hanc veteris Romani symboli ab hodierno differentiam respondetur. XI. An in scriptura S. aliqua symboli apostolici mentio occurrat? XII. Jesuitarum factum, symboli sensum exercitii gratia pervertentium a Raynaudo approbatum, ab Abbate Sancyrano damnatum. XIII. Varii symboli apostolici interpretes antiqui & novi. XIV. Vocem Patris in primo articulo imprimis omnium rerum causam & originem significare Anonymus quidam Anglus perperam statuit. XV. Quatuor causæ, ob quas idem autor Christum unicum Dei Filium dici opinatur ex Socinianorum lacunis haustæ, a quibus tamen hic Anonymus in eo discrepat, quod æternam Filii ex Patris substantia generationem

non inficietur, sed in voce unicum *vel* unigenitum *indicari fateatur. XVI. Refutatur Episcopius, qui in symbolo nullam æternæ generationis mentionem fieri, ideoque eam creditu necessariam non esse asserit, Zuvickerus, qui ex symbolo alienam causam exsculpit, cur Christus Dei Filius dicatur, & Autor Catechismi Racoviensis, qui Christum in symbolo tantum ut verum hominem describi asserit. XVII. Necessitas fidei in Christum verum Dei Filium ulterius contra Episcopium probatur. XVIII. Bocharti de descensu Christi ad inferos sententia recensetur. Voces* שְׁאוֹל & ᾅδης *in Scriptura nusquam infernum denotare, non minus falsum est, quam quod Anonymus asserit, voces illas in Scriptura nunquam aliter, quam de inferno usurpari. De loco* 1. *Pet. III 18. 19. variæ sententiæ Bocharti, Clerici, Ariæ Montani, Augustini, Gerhardi, Lucæ Osiandri, Hesselii, Calvini. An Athanasius in symbolo per descensum Christi ad inferos ejus sepulturam intelligat? Omissus est in symbolo Nicæno articulus de descensu Christi ad inferos, non item articulus de Spiritu S. quod Brochmandus asserit. XIX. Lightfooti sententia de Christi ad inferos descensu refertur & refellitur, ut & Zvvinglii & Schottani. XX. Amyraldi sententia. Heideggerus hunc articulum ex Athanasiano non solum in apostolicum sed etiam in Nicænum irrepsisse perperam scribit. XXI. Quid in Witsii sententia desiderari possit. XXII. Quid in sententia Pearsonii & Angli Anonymi. XXIII. Johannis Pici Mirandulani sententia. Contentio inter Cusanum Cardinalem & Jacobum Fabrum Stapulensem nata. Angeli del Pas de Christi descensu sententia, quæ veris propositionibus plures falsas admiscet. XXIV. Sententia Dreieri*

&

& Calixti articulum hunc a morte & sepultura Christi distinctum esse negantium. Brentius duplicem Christi ad inferos descensum statuit. Æpinus & Flacius descensum Christi ad statum exinanitionis retulerunt. Lutherus priorem suam sententiam de doloribus, quos Christus post mortem passus est, postea correxit. Vera Lutheri sententia unde haurienda. Eam commendat Formula Concordiæ. Theologorum Witebergensium apologia contra falsos rumores de dissensu suo disseminatos. XXV. Becmanni cavillationes contra Lutheri homiliam Torgensem ipsis Lutheri verbis confutantur. Urbani Regii sententiam de Christi descensu ad inferos a Pontificiorum limbo non procul abesse Becmannus arguit, qui hanc sententiam potius in Zwinglio & Oecolampadio arguere debebat. Mantissa scriptorum quorundam de hoc articulo agentium. XXVI. Fluctuatio Socinianorum circa tertium symboli articulum de Spiritu S. Symbola veteris ecclesiæ de divinitate Spiritus S. nihil determinasse Arnoldi est mendacium. Recensentur aliqui Pneumatomachi antiqui & recentiores, quos inter Sandius, Bidellus, Campanus, qui duas tantum in Deitate Personas Patrem & Filium agnovit, item Fanaticus, qui Spiritum S. divinæ particulam auræ esse somniat.

CAPITIS III.
SECTIO II.
De Doctrina Barnabæ ex ejus epistola, quæ catholica cognominari solet.

I. *Cur Autor hujus epistolæ Barnabas vocetur? II. Cur de Barnabæ doctrina apud Theologos & historiæ ecclesiasticæ Scriptores pauca occurrant? III. Dicta quædam Scripturæ in hac epistola aliter allegantur, quam in sacro codice leguntur, ut Exod. XVII, 14. Es. XLV, 1. Quæ de sputo in hircum emissarium conjecto, & lana coccinea ad caput ejus posita memorat Barnabas, in Scriptura non leguntur. Judæorum de hirco emissario traditiones, quæ inserviunt illustrandis dictis Es. I, 18. Psalm. LXXXVI, 17. Es. LII, 7. IV. Barnabas regnum Christi in ligno memorans videtur respicere ad Psalm. XCVI, 10. Recensentur Pa*[illegible]*s quidam & Psalteria antiqua, in quibus loco allegato legitur :* Dominus regnavit ex ligno. *V. Error Jacobi a Valentia, qui verba* a ligno *etiam apud Origenem & Hilarium inveniri putat. Similis error Jacobi Pinti circa Lactantium & Psalterium Gallicanum. Falsa Morini persvasio de communi omnium Patrum circa hoc additamentum traditione. Allegantur plurimi Patres & Psalterii interpretes, qui additamento illo carent. VI. Refutantur, qui fontes hebraicos hoc loco corruptos suspicantur. Respondetur ad argumenta desumta ex Psalterio quodam hebraico apud Anglos, ex autoritate Justini Martyris, ex contextu Psalmi, ex antiphona ecclesiæ Romanæ. Inepta Salmeronis sententia, quod Christiani Judæorum cachinnis ad locum hunc corrumpendum adacti fuerint, cachinno potius quam applausu digna. Verba* a ligno, *quæ in Fontibus desunt, pius aliquis psalterii sui margini allevit, quæ postea in nonnullis exemplaribus græcis & latinis ipsi textui inserta. VII. An Barnabæ epistola piæ huic glossæ ad verba Davidis addendæ occasionem dede-*

dederit? Verisimilior quædam occasio hujus additamenti ex passionis historia adducitur. VIII. Barnabas dictum aliquod tanquam propheticum allegat, quod in Prophetarum scriptis non legitur. Pars illius dicti ex quarto Esdræ desumta videtur, quem canonicis scriptis annumerandum Genebrardus perperam censuit. Inter Patres Ambrosius quartum Esdræ librum tanquam divinum & nulli biblicorum postponendum commendavit. Rectius Hieronymi de illo libro judicium. IX. Barnabas mysticis & allegoricis Scripturæ explicationibus sæpe admodum coactis delectatur. Locus Es. III, 9. 10. X. Asserit Barnabas Israelitas in festo expiationis jejuniis dicato de hirco pro peccatis oblato comedere, & solos Sacerdotes illota ejus intestina cum aceto manducare debuisse, idque a Propheta dici scribit. Verum id neque Num. XVII, 7. 11. quem locum Menardus in margine allegat, nec alibi in Scriptura legitur. XI. Lusus Barnabæ mysticus in numero 318. servorum Abrahæ. Licentia Mysticorum in allegandis Scripturis. XII. Num Gnostici Barnabæ occasionem sacras literas mystice interpretandi dederint, ut Hammondus statuit? Num Barnabas mysticas suas interpretationes ab Apostolis hauserit? XIII. Christi divinitatem agnovit Barnabas, quod contra veteres & novos hæreticos probant Calovius, Bullus, Grabius. XIV. Docuit Barnabas Christum homines omni peccato iniquiores ad apostolatum elegisse. Hinc Celso nata occasio religionem christianam infamandi, cui Origenes respondit. Falsum est Christum non alios quam omnium bipedum nequissimos ad apostolatum elegisse: At nec contraria Jobii sententia de optimis quibusque electis simpliciter vera est. XV. Barnabas

non

non merum hominem, sed ipsum Filium Dei passum docet, secus quam postea Nestorius docuit, & Hypatia Platonicæ philosophiæ Magistra, de cujus epistola ad Cyrillum paucis agitur. XVI. Docuit Barnabas Christi satisfactionem pro peccatis nostris. Locum Barnabæ de typo vaccæ rufæ Carpzovius vindicavit. XVII. Ex verbis Barnabæ dicentis, quod fide promissionis & verbo vivificante vivamus male infert Menardus, quod negaverit, nos sola fide justificari. XVIII. Bona opera facienda esse diligenter inculcat. Sanctorum vultum quotidie inquiri cupit, non ut eos invocemus, quæ Menardi est pseudhermenia, sed ut eorum exempla imitemur. XIX. Hortatur Barnabas ut manibus nostris operemur ad redemptionem peccatorum. Menardus his verbis ad probandum eleemosynæ meritum abutitur. Simile dictum in Constitutionibus apostolicis occurrit. Quo sensu ad redemtionem peccatorum operari possimus. XX. Barnabas Abrahamum primum fuisse circumcisum recte asserit. Refutantur Herodotus, & e Christianis Marshamus & Spencerus, qui circumcisionem ab Ægyptiis ad Hebræos pervenisse statuerunt. Conjecturam Cotelerii de loco quodam Procopii falsam esse probatur ex MSCto Augustano. XXI. Barnabæ doctrina de efficacia baptismi. Quid Reformati de baptismi efficacia statuant. XXII. Infantes melle primum ac deinde lacte ad vitam sustentari scribit Barnabas. Salmasii sententia de eucharistia infantibus in melle loco panis, & lacte loco vini data cum aliis quibusdam ejus assertis refutatur. XXIII. Barnabas in sex millibus annorum omnia consummatum iri tradit. Per septimum diem non intelligit regnum Christi millenne, sed diem judicii, quam

sequitur

sequitur octava aeternae felicitatis. Alia quorundam veterum de mysterio septimi diei, & de mundi duratione opiniones. Mutatio Solis & stellarum a Barnaba asserta cum Scriptura minus congruit.

CAPITIS III.

SECTIO III.

De doctrina Hermae.

I. V*Isiones Hermae sunt larvati Prophetae somnia.* II. *Varios Scripturae sensus ex Herma elicit Origenes.* III. *liber Eldad & Medad apocryphus ab Herma allegatus.* IV. *Magdeburgensium error circa Hermae allegationem apud Irenaeum. Dicto Hermae asserentis Deum omnia ex nihilo creasse abusi veteres & novi Ariani.* V. *Tres in una Deitate Personas agnovit Hermas.* VI. *Parabola de vinea apud Hermam incommode explicatur. Varenii, Thomasini, Przipcovii de Herma judicia.* VII. *Videtur Hermas per Spiritum S. Filium ratione Divinitatis intellexisse. Ad Zvvickeri objectiones respondetur.* VIII. *Alia Zvvickeri & Sandii contra Christi Deitatem argumenta refutantur.* IX. *Sandii & Zvvickeri argumenta contra divinam Spiritus S. Personam ex Herma depromta refutantur.* X. *Duos habere quemlibet hominem genios unum bonum alterum malum, Hermas statuit. Eandem doctrinam approbant nonnulli ex Patribus, Pontificiis, Gentilibus, Muhamedanis & Judaeis.*

Scripturæ silentium & aliorum Patrum contrariam sententiam notat Cotelerius. Improbat hoc Hermæ dogma Bellarminus, & index expurgatorius Sandovallianus. Spanhemius notatur. XI. *De Angelo Hegrin reptilium Præside Hermæ sententia ab Hieronymo, qui Angelum hunc Tyrum vocat, improbata. Variæ* Cotelerii *observationes de hoc Angelo refutantur. Jacobi Billi error castigatur.* Svicerus notatur. XII. *Hermæ dogma de libertate arbitrii. Prosperi de Herma judicium. Cassianus Semipelagianus.* XIII. *Hermas unicam post baptismum pœnitentiam concessit. Tertulliani jam Montanistæ de Herma judicium.* XIV. *Pœnas peccatis impositas in primitiva ecclesia diuturnas non fuisse, ex Herma probat Morinus. Respondetur Cotelerio.* XV. *Hermas operibus supererogationis viam stravit.* XVI. *Hermæ de cælibatu sententia. Fueritne Presbyter an Laicus?* XVII. *Facto per adulterium divortio matrimonii vinculum non solvi Hermas statuit.* XVIII. *Episcoporum supra Presbyteros eminentiam nonnulli ex Herma probant, quibus Blondellus & alii contradicunt.* XIX. *Hermæ sententia de Patriarchis post mortem apud inferos baptizatis. Nourrii violenta hujus loci interpretatio.* XX. *An Hermas Chiliasta fuerit?* XXI. *An purgatorii assertor?*

CAPITIS III.
SECTIO IV.
De doctrina Clementis Romani ex ejus epistolis ad Corinthios.

I. C*lemens*

I. Clemens Scripturam non solum quoad sensus, sed etiam quoad verba a Deo inspiratam docuit. Lis inter Jesuitas Lovanienses & Theologos Lovanienses & Duacenses. Lis inter Simonium & Arnaldum. Simonius gloriatur de consensu non solum Pontificiorum, sed etiam Calvinianorum, Socinianorum, Arminianorum, quin etiam Lutheranorum. Controversia inter Grossium & Musæum. Spinosæ & Clerici sententia. II. Clemens Romanus secus ac alii quidam Pontifices Romani etiam laicis Scripturæ lectionem commendavit. Synodus Græcorum Hierosolymitana A. 1672. papizavit. Usserii & Whartoni tractatus de scripturis & sacris vernaculis. Pontificii quidam veritatis testes. III. Hugonis Grotii & Stephani Goffe error. IV. Allegationes Clementis cum Scriptura S. non semper conveniunt. V. Allegationes ejus ex Scriptura nonnunquam minus aptæ. VI. Allegat interdum dicta tanquam ex Scriptura, quæ incertum est unde hauserit. VII. De mysterio Trinitatis recte sensit. VIII. Christi Divinitatem agnovit, quod contra Sandium probatur. IX. X. XI. item contra Zwickerum & Mellierum. XII. Quid Clemens per Oceanum impertransibilem, & qui trans ipsum sunt mundos, intelligat? Num Clementis ætate evangelium Americanis prædicatum fuerit? XIII. Universalem Dei gratiam & meritum Christi universale Clemens agnovit. XIV. An Clemens juxta Anonymum & Sandium animarum ante creationem mundi praexistentiam docuerit? XV. Insignis Clementis locus de justificatione per solam fidem, exclusis omnibus operibus etiam per gratiam factis. Hornejus notatur. XVI. Interpretatio locorum Clementis, quæ in Caritate

ritate commendanda modum excedere videntur. XVII. *Qualem perfectionem Clemens statuat.* XVIII. *Agnovit renatos gratia Dei excidere & damnari posse.* XIX. *Nullam inter Episcopos & Presbyteros differentiam agnovit.* XX. *Ministros cum ecclesiæ consensu vocatos fuisse asserit.* XXI. *Circa descriptionem cultus publici quodammodo judaizat.* XXII. *Prærogativam sacri calicis præ consecrato pane* Salmasius *ex* Clemente *perperam probare satagit.* *Prævaricat o* Salmasii *v. 20. ex C. XXII. Lucæ expungere conantis.* XXIII. *Sacrificium missaticum ex Clemente Grabius egregie papizans perperam exsculpit, a Budæo refutatus.* *Clementis epistola nonnullis in locis interpolata.* XXIV. *Num mentio fabulosæ avis* Phœnicis *Clementis epistolam νοθείας suspectam reddere valeat.* XXV. *Purgatorium* Clemens *non agnovit.* XXVI. *nec Chiliasmum.* XXVII. *An erraverit* Clemens, *cum dictum Jobi* XIX, 25. *de resurrectione carnis explicavit?*

CAPITIS III.

SECTIO V.

De doctrina Clementis Romani ex reliquis ejus scriptis.

I. C*Anones Apostolici cælibatui Clericorum adversantur.* II. *Nuptias cum uxoris defunctæ sorore improbant.* D. *Johannis*

Johannis Melchioris Gœzii tali conjugio polluti mala conscientia. III. *Quid hi canones de hæreticorum baptismo decernant.* IV. *Quid de libris* V. & N. T. V. VI. VII. VIII. IX. *Doctrinæ quædam ex apostolicis constitutionibus excerptæ.* X. *Bellarmini argumentum pro Missis in honorem Sanctorum ex Clementis Liturgia depromtum refutatur.* XI. XII. *Erronea quædam dogmata in Clementis Recognitionibus occurrentia.* XIII. *Impia asserta in Clementinis homiliis obvia.* XIV. *Vxorum communio in Clementis decretalibus impie asserta.*

CAPITIS III.

SECTIO VI.

De doctrina Dionysii Areopagitæ, & quorundam aliorum primi seculi pseudepigraphorum.

I. *AN Dionysius Areopagita librum Sapientiæ pro canonico habuerit?* II. *Ejus de Trinitate doctrina.* III. *Quid de Angelorum ordinibus tradiderit?* IV. *An realem carnis & sanguinis Christi præsentiam in eucharistia negaverit?* V. *Quæ de liturgiæ apparatu memorantur, autorem pseudepigraphum produnt.* VI. *Perstringuntur a Dionysio Chiliastæ.* VII. *de erroneis quibusdam doctrinis aliorum Pseudepigraphorum Scriptorum.*

CAPUT IV.

De

Hierarchia ecclesiastica, variis institutis, ritibus & cerimoniis primi seculi.

I. P*Etrum unquam Romæ fuisse nonnulli negant*. II. *Saltem id falsum est, quod per 25. annos episcopatum ecclesiæ Romanæ gesserit*. III. *Quo sensu Episcopus Romanus dici possit? lignea ejus cathedra*. IV. *Petrus a Paulo reprehensus. Natalis Alexander sibimet ipsi discors*. V. *Sententia Arnaldi, qui primatum Petri cum Paulo partiendum censet. Cur Pauli effigies in Pontificum bullis dextrum locum occupet*. VI. *Pontificum Romanorum successio in primo statim limine sibi parum constat*. VII. *Aliqui non* Petro, *sed Jacobo Hierosolymitano Episcopo primatum inter Apostolos tribuerunt*. VIII. *Falsum est omnes Occidentis ecclesias a* Petro *institutas*. IX. *Jactatum a Lupo* Petri *privilegium in rerum natura nusquam extat*. X. *Canon Antiochenus de imaginum veneratione supposititius*. XI. *An ex statua, quam hæmorrhousa Christo erexisse dicitur, imaginum cultus probari possit?* XII. *An ex imagine Christi ab ipso Christo expressa?* XIII. *An ex Veronicæ sudario?* XIV. *An ex linteis sepulchralibus Vesontino & Taurinensi? an ex imagine Christi per Nicodemum sculpta?* XV. XVI. XVII. *An status primi seculi monasticus ex Therapeutis* Philonis *probari*

bari possit? XVIII. *An ex Svetonio & Tacito?* XIX. *Chrisma in baptismo primo seculo viguisse Jeremias Patriarcha falso asserit.* XX. *Eucharistia infantum primo seculo nondum usitata.* XXI. *Crucigeri congregationem suam primo seculo institutam falso gloriantur.* XXII. *Pallium Pontificale a Lino primi seculi Pontifice institutum esse falsum est.* XXIII. *Ritus benedictionis Episcopalis in sacris mysteriis primo seculo recentior.* XXIV. *An ex Clemente Alexandrino probari possit, sacramentum confirmationis primo seculo obtinuisse?* XXV. *Ministros primi seculi ad cœlibatum astrictos fuisse probari non potest. Jesuitæ Bisseli cum Dilberro collatio. Notatur Wagenseilius.* XXVI. *Peculiaris habitus sacerdotalis primo seculo ignotus.* XXVII. *Ritus sacrarum lectionum.* XXVIII. *solennis doxologiæ formula.* XXIX. *Excommunicatio.* XXX. *Vigiliæ.* XXXI. *Frequens communio.* XXXII. *Multi ritus primo seculo affinguntur longe recentiores.*

CAPUT V.

De Hæresibus primi seculi.

I. D*Ositheus.* II. *Defenditur mea dissertatio de Hæresiarchis adversus Cozzam.* III. IV. V. *Varia de Dositheo.* VI. VII. VIII. IX. *Simon Magus ejusque Helena.* X. *An Simon hic divinos honores affectaverit?* XI. *Arnoldus Simonis Magi Patronus.* XII. *Simonis & Helenæ imagines.* XIII. XIV. XV. *Statua Simoni Mago Romæ erecta in dubium*

bium vocatur. XVI. XVII. *Magicus ejus per aërem volatus & tragicus exitus falsitatis suspectus.* XVIII. *Probari non potest eum in Scriptura tradi.* XIX. *Impia ejus dogmata.* XX. *Ejus scripta.* XXI. *Simoniani baptismum perverse tractarunt.* XXII. *Alia de Simone.* XXIII. *Vitringa Simonem Magum hæreticum a Simone Mago in Actis memorato distinguendum esse censet.* XXIV. *Menander.* XXV - XXX. *Cerinthus.* XXXI. *Ejus chiliasmus. Fueritne idem cum Patrum quorundam chiliasmo, an diversus?* XXXII. *Peterseniì nugæ refutantur.* XXXIII. *Cerinthus visiones jactavit.* XXXIV. *Cerinthianorum baptismus pro mortuis. Locus 1. Cor. XV, 29. variis interpretationibus obnoxius.* XXXV. *Johannis in Cerinthum odiũ. Cerinthũ balnei ruina oppressum Veteres non asseruerunt, Sagittarius notatur.* XXXVI. *Non Cerinthum sed Ebionem in balneo fuisse, quod Johannes ingredi noluit, Epiphanius testatur.* (Obiter hic observo, corrigendum esse, quod scripsi ex Epiphanii sententia Ebionem balnei ruina oppressum fuisse, cum tamen me ipso teste id Epiphanius non dixerit.) XXXVII. *An hæreticus nomine Ebion in rerum natura fuerit?* XXXVIII. *Duplicis generis Ebionitæ. Huetii lapsus.* XXXIX. *Locus Irenæi emendatur.* XL. *Homuncionitæ & Anthroiani quinam dicti?* XLI. *Quos Scripturæ libros rejecerint?* XLII. *Quid Optatus & Origenes de illis tradat?* XLIII. *Strenue judaizarunt.* XLIV. *Johanni Evangelistæ odium in Ebionem a Zelotis affingi Arnoldus fingit.* XLV. XLVI. XLVII. *Nazaræi.* XLVIII. - LII. *Nicolaitæ.* LIII. *Alii Hæresiarchæ primi sæculi*

CAPUT

CAPUT VI.

De

Perſecutionibus & Martyribus.

I. *Judæorum nuncii & epiſtolæ adverſus Chriſtianos quaquaverſus emiſſæ. Epiſtola a Judæis Hieroſolymitanis ad Judæos Ulmenſes miſſa. Alia ad Judæos Ratisbonenſes. Stephani mors & ſepultura.* II. *Eraſmi error circa Herodem, cujus juſſu Jacobus obtruncatus. Alterius Jacobi martyrium.* III. *Neronis perſecutio a Dodvvello extenuata.* IV. *Num Chreſtus Svetonii idem ſit cum Chriſto?* V. *Prætextus perſecutionis Neronianæ.* VI. *Viſio Chriſti Petro facta dubiæ fidei.* VII. *Cauſæ quæ Neronem adverſus Petrum & Paulum incitarunt.* VIII. *Plura de Petri & Pauli ſupplicio. Figmentum de Petronilla.* IX. *Perſecutio Domitiani. An Johannes dolio ferventis olei immerſus fuerit?* X. *Flavii Clementis martyrium. Domitillæ exilium.* XI. *Dionyſii Areopagitæ martyrium.* XII. *Antipæ martyrium.*

CAPUT VII.

De variis Perſoniis & geſtis primi ſeculi memorabilibus.

SECTIO I.

De Chriſto.

I. *Controversia de anno Christi natali.* II. *Verba Luc. II,2. explicantur.* III. *Verba illa non sunt aliunde intrusa nec corrupta.* IV. *De mense, die & hora Christi natali. Traditio, quod Christus d. 25. Decembris natus fuerit, incerta.* V. *An Christus in spelunca natus? Dorscheus ab Hoornbeckio plagii temere incusatus.* VI. *Sculteti sententia per* Φάτνην *diversorium intelligentis refutatur.* VII. *Salomonis van Til sententia circa chronologiam infantis Christi.* VIII. *Circumcisio non in Ægypto facta. De Christi praputio.* IX. *Magi non fuerunt tres Reges. Neque Henoch, Melchisedech & Elias. Fuerintne pauperes?* X. *Varia de Symeone traditiones. Hanna non fuit Monialis.* XI. *Christi fuga in Ægyptum. Memorabilia quædam, quæ in illa fuga accidisse perhibentur.* XII. *Veritas infandicidii Bethlehemitici asseritur.* XIII. *Acta apocrypha de infantia Christi.* XIV. *Annus Christi duodecimus.* XV. *Forma Christi. Sententia quorundam Patrum, Rigaltii & Salmasii, Vavassoris, Fechtii.* XVI. *Baptismus Christi. Quomodo ejus memoria quotannis apud Orientales renovatur? Quomodo apud Coptos?* XVII. *Erroneæ quorundam de Christi tentatione sententiæ refutantur.* XVIII. *Circa tempus Ministerii Christi aliqui in defectu, aliqui in excessu peccant.* XIX-XXXVII. *Flavii Josephi de Christo testimonium, ubi imprimis Daubuzii nuperus de hoc Josephi loco tractatus examinatur.* XXXVIII. *Commentarii in Evangelistas veteres & novi.* XXXIX. *Nuptiæ in Cana. De Christi erga Matrem in his nuptiis austeritate. Vechneri sententia minus probatur.* XL. *An Christus jure zeli venditores & emtores templo ejecerit? Sententia Seldeni & contraria*

ria Saldeni. An ex Christi oculis igneum quid & sidereum in hoc facto radiaverit? XLI. *Christi cum Nicodemo colloquium. Nicodemus Talmudicus.* XLII. *Colloquium cum Samaritana quam Græci Photinam appellant.* XLIII. *Obsessi a Dæmone per Christum liberati. Hobbesii & Beckeri de obsessis somnium. An Diabolus Christum Dei Filium agnoverit? Sententia Vedelii, Usserii, Origenis, Hilarii, aliorum.* XLIV. *Thomæ Linacri de montana Christi concione judicium.* XLV. *Ægrotus ad piscinam Bethesda a Christo sanatus, cujus historia a Bartholino illustrata.* XLVI. *Christus violati sabbathi accusatus.* XLVII. XLVIII. *Aliqua Christi gesta a quatuor Evangelistis consignata.* XLIX. *Aliqua a tribus.* L. *Aliqua a duobus.* LI. *Aliqua a solo Matthæo.* LII. *Aliqua a solo Marco, vel a solo Luca, ut parabola de villico iniquitatis a Trillero perversa, parabola de divite & Lazaro, quam Lomeierus & Deusingius coacta interpretatione obscurant. Mystica interpretatio parabolæ de injusto judice per Theophilum Antiochenum.* LIII. *Quædam Christi dicta & facta a solo Johanne memorata. Historia adulteræ an sit authentica? An homo a nativitate cæcus oculis orbatus fuerit?* LIV. *De ultimo Christi paschate sententia Harduini.* LV. B*ynæi, Hoornbeckii, Witsii,* C*apelli, Heideggeri.* LVI. *Christi passio.* LVII. *Christi vestigia in oliveto relicta.* LVIII. *Acta Pilati pseudepigrapha.* LIX. *Christi apotheosis a Tiberio tentata.*

CAPITIS VII.

SECTIO II.

De Maria Christi Matre.

I. M*Ariæ genus ex stirpe Davidica. M. Antonius de Dominis notatur.* II. *Immaculatam Mariæ conceptionem decidere non ausi* Pontifices *Romani. Etiam Alexander VII. Maresii error. Diaboli responsum, quem Franciscanus per immaculatam Mariæ conceptionem adjuravit, ut ex obsesso cederet.* III. *Aliqua Mariæ gesta.* IV. *Varia de Maria fabulæ. Mariæ reliquiæ. Scriptores de Maria.*

CAPITIS VII.

SECTIO III.

De Josepho.

I. E*X Davidis stirpe natus. An fuerit non vulgaris opifex, sed nobilis Architectus?* II. *Quo ætatis anno Mariam duxerit? Pictorum error.* III. *Fabulæ de Josepho ex libro de ortu Virginis, & ex Jacobi protevangelio.* IV. *An Maria gravida deprehensa potum Zelotypiæ bibere coacta fuerit?* V. *Quid Johannes Gerson in Josephina sua de Josepho tradat.*

CAPITIS

CAPITIS VII.
SECTIO IV.
De Johanne Baptista.

I. Quid de eo Scriptura tradat? II. *Quid Josephus?* III. *Quid Christiani S. Johannis in Oriente?* IV. *Eum inferis evangelium prædicasse Patres quidam affirmant.* V. *Ejus reliquiæ.* VI. *Quid Ebionitarum evangelium de baptismo Christi per Johannem facto memoret?* VII. *Quales ἀκρίδες fuerint, quibus Johannes pro cibo usus est?* VIII. *Alia de Johanne.*

CAPITIS VII.
SECTIO V.
De Apostolis.

I. *Prima Apostolorum missio. An per oleum, quo ægros curarunt, naturalia medicamenta intelligantur?* II. *Apostolorum missio in universum orbem.* De *linguarum dono Erasmi error. An etiam Hispanice locuti fuerint? An ex linguis, quas locuti sunt, cognosci potuerit, in quas quisque regiones abiturus esset?* III. *Apostolorum infallibilitas. Hedingerus notatus.* IV. *An per 12. annos Hierosolymis manserint?* V. *Quibus in locis singuli evangelium prædicaverint, incertum.* IV.-IX. *de Petro.* X. XI. *de Johanne*

hanne & ejus evangelio. XII. XIII. XIV. *de Jacobo Zebedæi.* XV.-XIX. *de Jacobo Alphæi.* XX. *de Andrea.* XXI. *de Matthæo.* XXII. *de Thoma.* XXIII. *de Philippo.* XXIV. *de Bartholomæo.* XXV. *de Simone Cananæo.* XXVI. *de Juda Thaddæo.* XXVII. *de Juda Jscariote.* XXVIII. *de Matthia.* XXIX.-XXXIII. *de Paulo.*

CAPITIS VII.
SECTIO VI
De 70. Discipulis.

I. D*orothei synopsis de 70.* Discipulis. *II. Eorum nomina. III. Dorothei errores. IV. An fuerit e 70. Discipulis Enochus de Amathin. V. Uranii tractatus de 70. Discipulis.*

CAPITIS VII.
SECTIO VII.
De Viris Apostolicis.

I. D*E Marco & ejus evangelio. II.* De *Luca. III. de Barnaba. IV. de Clemente. Quantum ab eo distet hodiernus Papa. V. de aliis Viris Apostolicis.*

CAPITIS VII.
SECTIO VIII.
De ecclesiarum quarundam originibus & primis Episcopis.

I. Primi

I. PRimi Episcopi Romani. II. Primi Byzantini. III. Alexandrinæ ecclesiæ origines. IV. V. VI. Primi Galliarum Episcopi. VII. Primi Italiæ Episcopi. VIII. An Josephus Arimathæus Britannorum Episcopus fuerit? IX. Fictitii Hispaniæ Episcopi. Hierotheus. X. Episcopi quidam primi seculi ab Eusebio memorati. XI. Alii in Constitutionibus apostolicis nominati. XII. de ecclesiis in Germania plantatis.

CAPITIS VII.
SECTIO IX.
De Miraculis & visionibus primi seculi.

I. MIracula quædam ab Eusebio relata. An Johannes Evangelista venenum illæsus biberit? II. Visio Carpi *incerta.*

CAPITIS VII.
SECTIO X.
qua Epimetra quædam miscellanea continentur.

I. NIcomedis liturgia. II. Eusebii relatio de concilio Hierosolimitano in Symeonis Episcopi electione habito incerta. III. Christianorum migratio ex Hierosolyma vastanda in oppidum Pellam. Num Hierosolyma non tota a Tito destructa fuerit? IV. Manifesta hæreticorum ab ecclesia defectio Apostolis adhuc viventibus facta. Dodvvellus *notatur. V. Fabulæ de Nerone adhuc vivo vel redituro. VI. Alia de Nerone fabula. VII. Apollonius Tyanensis. Nova Philostrati editio. Judicia quædam de Apollonio ab Huetio merito reprehensa.*

Addenda

Addenda ad præfationem
De Scriptoribus historiæ ecclesiasticæ recentioribus.

I. INter Scriptores, qui historiam ecclesiasticam V. T. descripserunt, nescio qua incuria omissus fuerit HENRICUS SPONDANUS, qui postquam Baronii annales in epitomen redegit, & eosdem insuper usque ad medium seculi decimi septimi continuavit, etiam annales sacros a mundi creatione usque ad ejus reparationem Parisiis A. 1660. publicavit, in quibus imprimis Augustinum Torniellum sequitur, nonnulla tamen etiam ex Saliano aut aliis Scriptoribus, nec non ex propriis observationibus adjunxit.

II. Omissa etiam in præfatione nostra non fuisset, nisi serius ad nostras manus pervenisset, viri Clarissimi CAMPEGII VITRINGÆ hypotyposis historiæ & chronologiæ sacræ a mundo condito usque ad finem seculi primi, Franequeræ A. C. 1708. edita. Eodem anno Venetiis D. VICTORIS SILVII GRANDI historia ecclesiastica a creatione mundi usque ad præsens seculum Jtalico sermone prodiit.

III. Dixi thes. 47. de Compendio historiæ ecclesiasticæ Gothano. Nunc addo postremæ illius editioni, quæ A. 1703. Lipsiæ ex Klosiana officina prodiisse in titulo notatur, accessisse A. 1705. Supplementum aliquod, seu libri II. cap. V. *sectionem tertiam*, in qua nescio quis Lucifuga inter alia qualemcunque Pietismi, Chiliasmi & Terminismi historiam ex meris mendaciis & calumniis, quarum aliquæ etiam adversus me effutiuntur, consuit. Verum hac de re alio tempore, si Deus voluerit, oportunius agetur.

Præfa-



PRÆFATIO AD LECTOREM

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ RECENTIORIBUS.

I.

Post reformationem nullum nobilius historiæ ecclesiasticæ opus lucem publicam adspexit, quam quod CENTURIARUM MAGDEBURGENSIUM nomine citari solet, centuriarum quidem, quia singuli to-

tomi annorum centuriam continent, Magdeburgensium autem, quia priores tomi Magdeburgi ſcripti ſunt; unde Georgium Gentium in Magdeburgenſium diœceſi natum nullam iſtarum centuriarum notitiam habuiſſe miratur Voſſius *epiſtol. 336.* Coryphæus autorum, quorum ſtudio hoc opus colligi cœpit, fuit Matthias Flacius, cui ſocias operas junxerunt Johannes Wigandus, Matthæus Judex, Baſilius Faber & alii. In ſingulis centuriis, quarum ultima eſt decima tertia, hiſtoria eccleſiaſtica ad certa quædam capita revocatur, de cujus inſtituti ratione in præfatione centuriæ primæ plura videri poterunt, ut & in narratione de hoc opere. Antequam enim opus hoc prodiret, quia nonnulli ſiniſtre de eo ominati fuerant, in lucem emiſſa eſt: *de eccleſiaſtica hiſtoria, quæ Magdeburgi contexitur, vera narratio contra quorundam diffamationes a Gubernatoribus & operariis ejus hiſtoriæ edita, Magdeburgi A. 1558.* quam narrationem eodem anno Wittebergæ reſponſum ſub titulo Scholaſticorum Witebergenſium excepit.

II. Pri-

II. Primum has centurias latine impressas Basileæ apud Oporinum A. C. 1599. quod in Hoornbeckii miscellaneis p. 16. asseritur, falsum est. Primæ enim centuriæ jam A. C. 1560. & iterum 1562. prodierunt, reliquæ sequentibus annis 1563. 1564. 1565. 1567. 1569. & 1574. quo centuria decima tertia eaque postrema lucem publicam aspexit. Editionem, quam Ludovicus Lucius promovit, præfationibus & subscriptis autorum nominibus castratam notat Calovius *in pædia studii theologici p. 337.* Eandem editionem Lucianam multis in locis juxta Calvinianas hypotheses falsatam observat Joh. Gottlieb Möllerus *in decade observat. miscellanearum c. 3.* ubi exempla quædam illius corruptionis adducit.

III. Eidem Lucio animum continuandi has centurias fuisse, Vossio indicat Wetstenius in epistola ad illum scripta, quæ est inter Clarorum Virorum ad Vossium epistolas 278. Alios continuationem centuriarum meditatos Lucio adjungit magnum Academiæ Salanæ quondam nunc Juliæ decus Joh. Andreas Schmidius in consilio, quo omnibus Protestantium ecclesiarum eruditis Centuria-

torum Magdeburgensium emendationem defensionem atque continuationem de meliori nota commendat, ubi & plura de Magdeburgensibus centuriis observat, cui adjungi poterit Sagittarius *in introductione ad historiam ecclesiasticam c. 13.* ubi corrigendum, quod pag. 270. inter doctores septimæ centuriæ refert Clementem Arelatensem, pro quo Cæsarium Arelatensem nominare debuisset, quod sphalma etiam in ipso centuriæ 7. titulo corrigendum est, ubi dubio procul Cæsarium Arelatensem nominare voluerunt Magdeburgenses, quem a Trithemio decepti ad septimam centuriam retulerunt, etsi potius in sexta centuria poni debuisset.

IV. Laudantur hæ Centuriæ a Richardo Montacutio *in præfatione ad apparatum originum ecclesiasticarum thes. 47.* sed mox *thesi 50.* vituperantur. Humanitus nonnunquam errasse Centuriatores, nonnulla etiam affectæ & anticipatæ opinioni dedisse, censet Vossius *epistol 397.* Philippus Jacobus Hartmannus Medicus Regiomontanus *in commentario de rebus gestis Christianorum sub Apostolis p. 35.* hoc in Centuriatoribus desi-

desiderat, quod doctrinam Orthodoxorum & Heterodoxorum cum animadversionibus suis historiæ inserant, & hac ratione historiam in disputationem Theologicam convertant. Verum Magdeburgenses in narratione paulo ante memorata doctrinam cujusque seculi animam historiæ ecclesiasticæ esse cénsebant, ideoque Eusebio & aliis male vertebant, quod ipsorum historiæ in doctrina ecclesiæ recensenda vel mutæ vel mutilæ deprehenderentur. Cæterum etsi hæ centuriæ nonnullis male audiant, contra tamen etiam insignia illarum elogia passim occurrunt, quibus annumerandum, quod Johannes Cluverus *in Diluculo apocalyptico p. 163.* per Angelum qui æterni evangelii præconem secutus Babylonem cecidisse clamavit Apoc. XIV, 8. Flacium ejusque in contexendis centuriis Collegas intelligat, quam sententiam inter plurimas sibi maxime placere D. Johannes Andreas Lucius in suis ad Apocalypsin homiliis Dresdæ quondam habitis & postea in lucem editis indicat. Hottingeri judicium de centuriatoribus videatur in ejus bibliotheca p. 406.

V. Va-

V. Varii adverſarii hoc centuriarum opus impugnarunt, quos inter ALANUS COPUS Antverpiæ A. C. 1566. & 1573. ſex dialogos partim centuriis Magdeburgenſibus, partim Johannis Foxi Martyrologio oppoſitos conſcripſit, hoc titulo poſteriori editioni præfixo: *Dialogi ſex contra Summi Pontificatus, Monaſticæ vitæ, Sanctorum, ſacrarum imaginum oppugnatores, & Pſeudomartyres: Ab Alano Copo Londinenſi editi auctiores nonnullis in locis & caſtigatiores. In quibus præterquam quod nonnulla, quæ alii hactenus vel attigerunt leviter, vel penitus omiſerunt, paulo uberius & plenius explicantur; Centurionum etiam Magdeburgenſium, auctorum apologiæ Anglicanæ, Pſeudomartyrologorum noſtri temporis, maxime vero Joannis Foxi & aliorum, qui adulterino evangelio nomina dederunt, variæ fraudes, putidæ calumniæ, & inſignia in hiſtoriis eccleſiæ contaminandis mendacia deteguntur. Antverpiæ, ex officina Chriſtophori Plantini, Prototypographi Regii M. D. LXXIII.* Non vero ipſe Copus dialogorum illorum autor fuit, ſed verum autorem Nicolaum Harpesfeldium ſub finem ſexti

dia-

dialogi literis initialibus prodidit A. H. L. N. H. E. V. E. A. C i. e. Autor Hujus Libri Nicolaus Harpesfeldius, Edidit Vero Eum Alanus Copus, ut literas illas explicat Pitſeus *de Scriptoribus Anglicanis p. 780.* ubi Harpesfeldium hos dialogos in carcere ſcripſiſſe, & Copo tum exulanti edendos commiſiſſe ſcribit. Canones Apoſtolorum & veterum Pontificum epiſtolas adverſus Centuriatores defendere conatur FRANCISCUS TURRIANUS libris 5. Coloniæ 1573. editis, quibus quoad librum primum de canonibus apoſtolicis agentem reſpondit Dallæus *in pſeudepigraphis apoſtolicis libro 3.* & quoad reliquos libros de Pontificum epiſtolis agentes David Blondellus in tractatu ſuo, qui inſcribitur Pſeudo-Iſidorus & Turrianus, vapulantes. Adverſarium Centuriatorum ſe etiam profitetur GILBERTUS GENEBRARDUS in titulo partis 2. Chronographiæ ſuæ, nec non in epiſtola dedicatoria illius partis, dum gloriatur ſe Centuriatorum impietatem, mendacia, impoſturas coarguere. Verum ex his montibus tanto conatu parturientibus ridiculum murem prodiiſſe monet Montacutius *in præfatione ad apparatum ſuum* §. 56. PETRI

b CA-

CANISII commentarium de verbi Dei corruptelis adversus Magdeburgenses in duos tomos distributum Bibliotheca Jesuitica commemorat. Titulus hujus operis Canisiani in mea editione talis est: *Commentariorum de Verbi Dei corruptelis Tomi duo. Prior de venerando Christi Domini præcursore Joanne Baptista ; Posterior de sacrosancta Virgine Maria Deipara disserit, & utriusque personæ historiam omnem adversus Centuriatores Magdeburgicos aliosque Catholicæ Ecclesiæ hostes diserte vindicat. Postrema & plenior utriusque operis in unum volumen nunc primum redacti editio, D. Petro Canisio Societatis Jesu Theologo, tum Autore, tum Recognitore. Ingolstadii A. D. 1583.* GULIELMI EYSENGREINEI duos centenarios adversus Centurias Magdeburgenses Monachii editos memorat Labbeus *in bibliotheca bibliothecarum p. 72.* qui hausisse id videtur ex bibliotheca Frisii *p. 302.* Mihi ad manus est primus centenarius, cujus hæc est inscriptio: *Guilielmi Eysengreinei de Nemeto Spirensis Centenarii XVI. adversus novam historiam ecclesiasticam, quam Matthias Flacius Illyricus, & ejus Collegæ Magdebur-*

burgici contra verum Dei cultum, verasque Ecclesiæ Catholicæ Cæremonias scriptis vetustissimorum historicorum depravatis & corruptis nuper ædiderunt. Centenarius I. salvo in omnibus sanctæ Sedis Apostolicæ judicio, cui nos subjicimus. Ingolstadii A. C. 1566. Ejusdem Eysengreinei opus de Romanis Pontificibus adversus historiam Magdeburgensium Monachii 1568. in fol. editum Ludovicus Jacobus a S. Carolo *in bibliotheca Pontificia p. 330.* recenset. Primus autem juxta Possevinum *in bibliotheca tom. 2. pag. 405.* contra Magdeburgenses calamum strinxit CONRADUS BRUNUS. Verum ille ultra titulum, epistolam dedicatoriam & præfationem Centuriæ primæ progressus non est, ut ipsa inspectio hujus tractatus Dilingæ Anno 1565. editi docebit. Breviter autem huic Conradi Bruni scripto respondet Flacius *in refutatione invectivæ Bruni*, quæ Basileæ An. 1566. excusa est.

VI. Eædem Centuriæ Magdeburgenses, de quibus jam dictum est, Philippo Nerio, qui nunc inter Sanctos colitur, occasionem dederunt, ut unum ex Presbyteris Con-

gregationis Oratorii recens a se institutæ ad historiam ecclesiasticam probe imbibendam in congregatione illa explicandam & literis denique mandandam impelleret. Erat is, quem ad hoc negotium deligebat CÆSAR BARONIUS, qui hanc annalium suorum originem fuisse ipse testatur in publica gratiarum actione pro annalibus suis ecclesiasticis, quam ad Philippum Nerium jam mortuum direxit, & Tomo VIII. annalium præfixit, in qua præter alios Scripturæ S. abusus verba Christi ad Philippum Apostolum Joh. XIV,10. *Pater in me manens ipse facit opera*, sibi & Patri Philippo Nerio blaspheme applicat. Quam difficulter autem onus hoc a Nerio sibi imponi passus fuerit Baronius, donec vox per somnium audita eum, ut arduum hoc opus aggrederetur, animavit, refertur ab Hieronymo Barnabeo *in vita Philippi Nerii cap. 6.* in Actis Sanctorum Antverpiensibus *Tom. VI. Maji pag. 536.* Non prius tamen annales suos in lucem publicam produxit, quam historiæ ecclesiasticæ cursum in Congregatione Oratorii per 30. annos septies iterasset. Tunc igitur fœtum, quem jam

ju-

juvenis conceperat, ſenex eniti cœpit, illudque totius vitæ ſuæ onus, ut in dedicatione tomi undecimi annales ſuos vocat, peperit. Unde hoc opus Heideggerus *in hiſtoria Papatus theſ. 216.* partum plusquam elephantinum appellat, cum elephanti ſpatio 10. annorum partus ſuos edere dicantur. Usque adeo autem hoc annalium opus Baronio placuit, ut ab illo Centurias Magdeburgenſes tanquam virgas Magorum ab Aaronis virga devoratum iri ſibi perſuaſerit.

VII. Et primus quidem tomus Romæ A. 1588. prodiit, quem ſequentibus annis undecim alii tomi ſecuti ſunt, quorum ultimus in anno 1198. terminatur. Fallit ergo Andreas du Sauſſay, cum *in continuatione Bellarmini de Scriptoribus eccleſiaſticis pag. 191.* aſſerit, quod Baronius tomorum ſuorum numero Magdeburgenſes centurias æquaverit. Tredecim enim ſunt centuriæ Magdeburgenſes, ſed Baronianorum annalium tomi duodecim, qui non Romæ tantum, ſed & Antverpiæ, Coloniæ, Venetiis & Moguntiæ præla fatigarunt. Et in recentioribus quidem editionibus id commodum eſt, quod ſinguli anni in

ſectiones diviſi ſunt, item quod addenda & emendanda, quæ in prima editione ad calcem cujusque tomi adjecta ſunt, ſuis locis inſeruntur.

VIII. Tam præclare autem de Romana eccleſia hoc annalium opere viſus eſt mereri Baronius, ut poſt priores tomos editos non ſolum Bibliothecarii Vaticani, ſed etiam Cardinalis dignitate exornatus fuerit, forte etiam ad pontificatum evehendus, niſi Hiſpanos ob tomum XI. annalium, cui tractatus de Monarchia Siciliæ inſertus eſt, adverſantes ſibi habuiſſet. Qua de re hiſtoria de conclavi Leonis XI. & brevior Thuani narratio ſub initium libri 134. hiſtoriarum ſui temporis videatur, cui etiam addi poterit Gramondus *Hiſtoriarum Galliæ libr. I. pag. 10 & 11.* Sane Rex Hiſpaniæ, cujus edictum apud Goldaſtum in Monarchia S. Romani Imperii legitur, ob iſtum Baronii tractatum tomum XI. annalium ejus proſcripſit. Scilicet non vanus aruſpex fuit Nicolaus Faber in epiſtola ad Baronium, quæ inter opuſcula Fabri p.106. legitur, veritus ne iſta quæſtio de Monarchia Siciliæ multum moleſtiæ atque invidiæ ipſi al-

allatura esset. Etsi vero in editione Antverpiensi annalium Baronii tractatus ille de Monarchia Siciliæ omissus deprehendatur, defectum tamen illum exemplaria hujus tractatus Parisiis 1609. seorsim impressa supplere poterunt. Cæterum contra Baronium de Monarchiæ Siciliæ scripsit Ludovicus a Paramo, quem tractatum manuscriptum apud se habere ait Nicolaus Antonius *in Bibliotheca Hispanica Tomo 2. p. 46.*

IX. Qualem Historicum, Chronographum, Criticum & Theologum in suis annalibus se præstiterit Baronius, prolixe discutit Casaubonus in prolegomenis suarum exercitationum ad annales Baronii. Hugonis Grotii de annalibus Baronii judicium ex carmine ad Casaubonum iisdem prolegomenis subjecto cognosci potest. Græcæ linguæ imperitiam Baronio ab Halloixio exprobrari alibi jam notavimus. Unde Baronius, sicubi Græca tractanda forent, Petri Morini, Jacobi Sirmondi & aliorum operam haud raro adhibuit, ut Jacobus Quetif in præfatione ad Petri Morini opuscula notavit. Baronii tomos rectius libros de potestate Papæ, quam an-

annales ecclesiasticos inscribi judicavit Petrus Pithœus, teste Hoornbeckio *in Miscellaneis p.16.* Calixtus *in apparatu Theologico p.185. & seqv.* de Baronio agens inter alia improbat, quod annorum ordini se astrinxerit, cum non modo in plurimis rebus tot ætatum atque gentium certa annorum designatio impossibilis videatur, sed etiam hac ratione multa inter se cohærentia divellantur. Multa in Baronii annalibus correcta, sed partem non millesimam eorum, quæ corrigenda restant, observat Montacutius *part. 1. orig. ecclesiast. p.5.* Sinistrum Cardinalis Perronii de Baronio judicium legitur *in Perronianis p.28.* Baronium nullibi in suis annalibus magis exclamare & paratragædiari, quam ubi ad desperationem & silentium adigitur, notat Voetius *in desperata causa papatus pag.659.* Lepide autem Dannhauerus noster Baronium cum Actæonè comparat, a suis ipsius canibus lacerato, quia non pauci ex ipsis Pontificiis Baronium passim impugnarunt. A Jesuitis cum contemni, quia ex illorum ordine non est, ex Simplicii Verini h.e. Salmasii epistola ad Pacium notat Dn. D. Alberti *in judicio de Ræ-*

mon-

mondo p. 37. Extat quidem Gaſparis Scioppii epiſtola ad Baronium, in qua ipſi gratias agit, quod per ipſius annales ad fidem eccleſiæ Romanæ perductus fuerit. Extat vero & alia epiſtola ejusdem Scioppii ad Fulgentium Theologum Venetum, in qua profitetur Baronium partim ex ignorantia, partim ex negligentia multa falſiſſima ſcriptis mandaſſe, ita ut Monachus quidam affirmaverit, ſe ex ejus annalibus collegiſſe duo millia errorum. Addit Baronium contra conſcientiam ſuam adulteraſſe doctrinam chriſtianam cum ſummo præjudicio Principum, exhortando Pontificem ad uſum gladii ſecularis, quam hæreſin Scioppius longe peſtilentiorem eſſe exiſtimat, quam aliam quamcunque ſive a Luthero & Calvino, ſive a quovis alio hæreſiarcha in medium prolatam. Utramque Scioppii epiſtolam, cum exemplaria rarius inveniantur, denuo in lucem publicam produxit Magnificus Mayerus, quo ſidere nunc Gryphiswaldenſis Academia reſplendeſcit, *in eclogis de fide Baronii & Bellarmini*, ubi & plura Pontificiorum malam Baronii fidem accuſantium teſtimonia, Carmelitarum, Benedicti-

dictinorum, Cistercienſium, Dominicanorum, Auguſtinianorum, fratrum ordinis Minorum, Hiſpanorum, Gallorum, Italorum, Germanorumque collegit, quæ ibi videri poterunt. Pauli Sarpii judicium de Baronii annalibus legitur in ejus epiſtola ad Caſaubonum, quam ſimul cum Caſauboni reſponſo Bœcleri hiſtoriæ univerſali adjecit Johannes Gottlieb Möllerus, quæ duæ epiſtolæ etiam Chriſtiani Kortholti Diſquiſitionibus Anti-Baronianis Lipſiæ & Hamburgi A. 1708. editis præmiſſæ ſunt. Neque tamen negari poteſt, Baronio multum nos debere, cum multa vetera monumenta in lucem produxerit, neque raro hiſtoriæ magnam lucem attulerit. Interim nimis liberales ſunt, qui annales Baronii ita commendant, quaſi nihil in iis deſiderari poſſit, quos inter Biſſelius *in medullæ hiſtoricæ tomo I. p. 463.* Etſi vero hoc opus Baronius Centuriis Magdeburgenſibus oppoſitum eſſe voluerit, raro tamen harum Centuriarum mentionem facere voluit, quod non aliam ob cauſam viri docti factum hariolantur, quam ne crebra illarum mentione lectorum curioſita-

ſitatem ad inquirendas & evolvendas illas centurias excitaret.

X. Duodecim hos Baronii tomos, quibus totidem ſeculorum hiſtoria continetur, nonnulli, ut ab illis quoque, qui linguæ latinæ minus gnari ſunt, legi poſſent, in varias linguas transtulerunt, nonnulli quoque in eorum gratiam, quibus tantæ molis volumina vel emere non licet, vel perlegere non vacat, exiguo libello coarctarunt; quos inter LUDOVICUS AURELIUS PERUSINUS, qui Baronii epitomen in Italia primum edidit, deinde & in Germania Monaſterii A. C. 1638. impreſſam. Nec defuit, qui alphabeticum indicem rerum & locorum omnium memorabilium ad totum Baronii opus conficeret, nempe Cardinalis de LAVRÆA, cujus indicem in Baronii tomos poſthumum Romæ A. 1694. impreſſum Vir celeberrimus L. Otto Menckenius ante aliquot annos mihi communicavit, paucis etiam memoratum in actis Eruditorum *Supplement. Tom. II. p.544.*

XI. Uberior eſt epitome annalium Baronii, quam JOHANNES GABRIEL BISCIOLA Mutinenſis adornavit, quam Lugduni A. 1602.

 edi-

editam refert Ribadenira *in catalog. Scriptorum Societatis Jesu p. 120.* In Sotvvelli *bibliotheca Jesuitica p. 457.* additur editio Veneta ejusdem anni. Mihi ad manus est editio Coloniensis, cujus prior tomus A. C. 1602. excusus in anno 536. desinit, posterior A. C. 1614. impressus ad annum usque 1002. progreditur, in quo decimus annalium Baronii tomus terminatur. Nec ulterius progressus est Bisciola. Etsi enim in editione Coloniensi anni 1614. tertia quoque pars accesserit, quæ epitomen 11. & 12. tomi Baroniani continet, tertia tamen illa pars alienum supplementum est ab Henrico Spondano mutuo acceptum.

XII. Nam etiam HENRICUS SPONDANUS Apaniensis Episcopus Baronianos annales in epitomen contraxit, quæ cum primum A. C. 1612. lucem publicam adspexisset, sæpius postea variis in locis impressa fuit. Perperam Jesuitam vocat Spondanum Whear *in relectionibus historicis p. 272. & in lemmatibus illius capitis pag. 268.* Et forte etiam Hoornbeckius Spondanum inter Jesuitas numeravit, cum *in miscell. libr. I. p. 23.* J. Spondanum vocat, nisi forte per literam J. Johan-

nem

nem Spondanum nominare voluit. Sed utrumque falſum eſt, cum Spondanus neque Jeſuita fuerit, neque Johannis nomen geſſerit. Cæterum feliciorem fuiſſe Spondanum, cum Baronii tomos in epitomen redegit, quam cum eosdem continuavit, judicat Godeavius *in præfatione ad hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam.* In alias linguas Spondani epitomen redactam refert Perraultius *de Viris illuſtribus p. 11.*

XIII. ABRAHAMI BZOVII hiſtoria eccleſiaſtica, quæ Coloniæ A. C. 1617. prodiit, hic etiam memoranda venit, cum & illa ſit epitome annalium Baronii, quamvis etiam ſimul ex aliis Viris illuſtribus & hiſtoricis monumentis eam ſe collegiſſe profiteatur. Diviſa eſt in duos tomos, quorum primus ad annum usque 800. ſecundus usque ad annum 1198. qui in Baronii annalibus ultimus eſt, progreditur. Hanc Bzovianam epitomen Sagittario ignotam fuiſſe produnt verba, quibus *in introductione ſua p. 322.* uſus eſt.

XIV. Haud minus ad Baronianas epitomas referri poſſe JOHANNIS HORATII SCOGLII hiſtoriam eccleſiaſticam Romæ 1622.

& 1624. editam obſervat Calixtus *in apparatu p. 196.* Mihi ad manus eſt editio anni 1642. cujus hic eſt titulus: *A primordio ecclesiæ hiſtoria Joannis Horatii Scoglii Cathacenſis. Cum Chronologia ab orbe condito ad Annum Domini M. DC. XL.*

Quæ Baronius Cardinalis & ultra,
Mille bis centum alii conſcripſere annis
Voluminibus diffuſa innumeris
Hiſtoria Auctor digerit breviloqua.
Integer, verax, clarus in Hiſtoria.

Romæ M. DC. XLII. Teſtatur autem autor in epilogo hujus operis, quod ita Baronio anteſignano uſus fuerit, ut aliqua etiam ab aliis autoribus acceperit. Interim ipſum Baronii imprimis veſtigi legiſſe vel ex eo patet, quod ultra annum 1198. in quo Baronius ſubſtitit, non progrediatur. Memorandus etiam hic eſt CORNELII SCHULTINGII theſaurus antiquitatum eccleſiaſticarum ex ſeptem prioribus tomis annalium Baronii collectus, & cum ſingularibus ſcholiis contra Centuriatores & Calviniſtas ordine alphabetico contextus, quem Coloniæ A. 1601. editum paulo poſt 1603. octavi Tomi Baroniani epitome excepit.

XV.

XV. Porro cum annales Baronii in anno 1198. substitissent, operæ quoque pretium visum est eosdem continuare. Et quia hæc continuatio jure quodam hæreditario Congregationi Oratorii, cujus socius Baronius fuerat, relicta videbatur, ODORICUS RAYNALDUS id muneris in se suscépit, & dum viveret octo tomos Baronianis annalibus adjecit. Primus Romæ prodiit A. 1646. qui a tempore, quo *Baronius* desiit, usque ad A. 1254. progreditur, additis ad calcem græce & latine ex versione Leonis Allatii duabus orationibus Nicephori Blemmidæ de processione Spiritus S. quæ orationes etiam in Leonis Allatii Græcia orthodoxa Tom. I. A. C. 1652. prodierunt. Secundus Baronii a Raynaldo continuati tomus, qui A. C. 1648. lucem publicam adspexit, ab A. C. *1254. qui* ultimus primi tomi fuerat, iterum incipit, & in A. C. 1304. terminatur. Subjectæ sunt loco appendicis constitutiones concilii Budensis A. C. 1279 celebrati. Successit anno 1652. tomus tertius, qui ab anno 1305. usque ad annum 1334. procurrit, & liberali additione nonnullorum in tribus his tomis

præ-

prætermiſſorum clauditur. Quartus tomus eodem anno 1652. editus in anno 1378. deſinit. Secutus eſt anno 1659. tomus quintus, qui ab anno 1378. iterum incipiens ad annum usque 1417. deducitur. Adduntur in fine Baldi de Peruſio allegationes pro pontificatu Urbani inter reliqua ejus opera non impreſſæ, nec non Johannis de Lignano tractatus pro Urbano VI. Eodem anno 1659. ſextus quoque tomus prodiit, qui ab anno 1417. iterum exorſus in anno 1454. gradum ſiſtit. Septimus & octavus tomus, quorum ille usque ad annum 1503. hic usque ad annum 1534. extenditur, an. 1663. prodierunt. Cum autem Baronii tomos a nonnullis in epitomen contractos Raynaldus obſervaſſet, ſibi quoque in octo tomis, quos ad Baronium adjecit, idem faciendum ratus eſt. Edidit ergo itidem Romæ 1667. annales eccleſiaſticos ex octo tomis ad unum pluribus auctum redactos. Cæterum cum Raynaldus moriens tomum quoque 21. annalium eccleſiaſticorum, ſeu continuati Baronii tomum 9. reliquiſſet, in duas partes diſtributum quarum prior ab anno 1534. usque ad annum 1549. poſterior usque ad annum 1565. deducitur

tur, hic etiam tomus bipartitus qualitercunque a Socio quodam Congregationis Oratorii reviſus & typis mandatus eſt Romæ 1676. & 1677. qui tamen jam impreſſus per aliquot annos Romæ latuit, antequam publici juris fieret, quod anno demum 1689. factum eſt. Leguntur in ultimo hoc tomo, quemadmodum & in præcedentibus variæ epiſtolæ Pontificum Romanorum aliorumque, cum Raynaldus id imprimis ſibi propoſitum habuiſſet, ut epiſtolarem quam vocat hiſtoriam ex Romanæ eccleſiæ ſcriniis & bibliotheca Vaticana contexeret. Obſervat autem autor ephemeridum Pariſienſium *anni 1689. p. 102.* quod multis monumentis publicis nullum in ſuo opere locum reliquerit Raynaldus, cum Curiæ Romanæ non favere viderentur. Et hanc cauſam eſſe dicit, quod omiſerit conſilium 4. Cardinalium & aliorum Prælatorum Paulo III. datum, quod etiam in noviſſimis conciliorum tomis omiſſum deprehenditur. Cur autem poſthumus hic Raynaldi fœtus tam diuturna captivitate Romæ detentus fuerit, antequam libertate in publicum prodeundi potiretur, emunctæ naris viri haud difficulter ſubodo-

rantur. De cætero post Raynaldum annalibus ecclesiasticis continuandis e sociis Congregationis Oratorii suffectus est Leander Coloredus Cardinalium collegio nunc adscriptus, ut indicat Papebrochius commentario prævio ad vitam Philippi Nerii *Tom. VI. Maji p. 462.*

XVI. Quamvis autem Congregatio Oratorii Romana continuationem Baronii hæreditario quodam jure sibi vindicaret, eam tamen diligentia sua antevertit ABRAHAMUS BZOVIUS Dominicanæ familiæ Doctor Theologus, quem Dorscheus *in sermone de pace in terris p. 14.* gente Polonum, audacia historicum, desiderio Cardinalem appellat. Is enim non solum epitomen Baronii supra memoratam, verum etiam octo tomos Baronii a se continuati vulgavit, antequam primus Raynaldi tomus in lucem prodiret. Et primus quidem tomus in anno 1299. secundus in anno 1378. tertius in anno 1431. quartus in anno 1447. quintus in anno 1471. sextus in anno 1503. septimus in anno 1534. & octavus in anno 1564. desinit. Prodiit ista Bzoviana Baronii continuatio Coloniæ 1616. & sequent.

To-

Tomo tertio annexæ ſunt Nicolai Janſenii animadverſiones & ſcholia in apologiam nuper editam, de vita & morte Johannis Duns Scoti adverſus Abrahamum Bzovium, quemadmodum etiam tomo 8. annexus eſt Theodori Amydeni libellus de Pietate Romana, nec non vita Sylveſtri II. a Bzovio ſcripta, item vita ac paſſio Adalberti Urſini a Sylveſtro II. conſignata, ut alios tractatus his tomis inſertos taceamus. Qua occaſione, & quibus adminiculis hoc opus aggreſſus fuerit, in præfatione ad lectorem ipſe Bzovius exponit, cujus vitam & ſcripta breviter recenſet Staravolſcius *in centuria Scriptorum Polonorum p. 131.* ubi nonnullos notat, qui de Bzovii annalibus ſiniſtre judicarunt. Paulo fuſior Staravolſcii de Bzovio ejusque ſcriptis relatio legitur præfixa tomo 20. annalium, qui Bzovii octavus eſt, ubi inter alia refertur Bzovium præter epitomen annalium Baronii duodecim annalium tomos edidiſſe, adeoque tomorum numero Baronium æquaſſe. Ego hactenus plures quam octo tomos non vidi. Nec plures video memorari in bibliotheca Sluſiana p. 448. ubi tamen etiam additur ejusdem Bzovii

Pius V. seu annalium ecclesiasticorum Tomus posthumus Romæ 1672. impressus. Cum autem Pius V. immediate Pio IV. successerit, in cujus ultimo anno octavus Tomus terminatur, nescio an præter illos tomos octo & posthumum tres alii Bzovii tomi prodierint. Cæterum Bzovium adulatione erga Pontifices Romanos Baronio superiorem esse, in reliquis omnibus inferiorem, judicat Hoornbeckius *in miscellaneis p. 22.* ubi corrigendum est quod ait, Bzovium sex tantum tomos Baronii annalibus adjecisse, item quod ait, autorem meditatum fuisse epitomen annalium ex Baronio & aliis collectam, sed mutato consilio ad continuationem annalium perrexisse. Nam epitomen illam jam pridem editam esse supra thesi 13. jam notavimus. Bzovium ordinis potius sui quam ecclesiæ annales scribere tradit Godeau in præfat. ad historiam ecclesiasticam Gallico idiomate conscriptam.

XVII. Brevior Raynaldo & Bzovio in continuandis Baronii annalibus fuit HENRICUS SPONDANUS, qui cum annales Baronii in epitomen redegisset, cujus supra mentionem fecimus, tribus tomis Baronium continua-

tinua-

tinuavit, ab A.C. 1198. ubi Baronii terminus est, ad annum usque 1640. progressus. Addita est ab amico Spondani appendix posthuma sex annorum ab anno 1641. ad 1646. Exemplar, quo utor, impressum est Lugduni 1678. Observationes quædam in Spondani annales ecclesiasticos A. 1656. edidit Anonymus de Arminis, sub quo nomine latere Hieronymum de Marinis Equitem Genuensem, indicavit Johannes Petrus Jacobus Villanius in tractatu Italico, quo Scriptoribus quibusdam personatis larvam detraxit, memorato in actis eruditorum *A. 1690. p. 363.* Præmissa est tomo primo continuati Baronii vita Spondani autore Petro Frizonio Theologo Parisiensi Etsi vero Spondanus Raynaldo & Bzovio tomorum numero & mole cedat, eum tamen diligentia & judicio illos superare judicat Cave *in prolegom. histor. liter. p. 26.* Aliud visum Godeavio, cujus judicium supra thes. XII. adduximus.

XVIII. Exercitationes ad Baronii apparatum, & priores tomi primi annos Londini A.C. 1614. edidit ISAACUS CASAUBONUS Francofurti 1615. recusas. His mortem sibi

acceleraſſe Caſaubonum, cum gravi dolore conficeretur, quod editas non probari animadvertiſſet, figmentum eſt Scheilderi in epiſtola ad Tegnagelium, quæ legitur in Lambecii *bibliotheca Vindobonenſi Tom. I. p. 153.* ubi Scheilderus addit, quod multi doluerint materiam triumphi Caſauboni morte ſibi ereptam, qui jam calamum adverſus ipſum ſtrinxerant. Caſaubonum vero ad argumentum hoc tractandum honeſtis præmiis in Anglia obſtringi optabat Petrus Molinæus, veritus, ne ex Anglia dimiſſus Genevenſium odio ad Papiſtas tranſiret, qua de re ipſius epiſtola ad Jacobum Montacutium videri poteſt, edita a Colomeſio poſt Clementis epiſtolas ad Corinthios p. 280. Importunum quidem & malevolum Baronii cenſorem, interdum tamen tollendis relinquenda admiſcentem appellat Poſſinus in ſpicilegio evangelico, quod ſubjunctum eſt catenæ Græcorum Patrum ad evangelium Marci p. 422.

XIX. His Caſauboni exercitationibus contra Baronium diatribas ſuas, quæ in duas partes diviſæ ſunt, oppoſuit JULIUS CÆSAR BULENGERUS editas Lugduni 1617. Contra

Bulen-

Bulengero se opposuit Casauboni vindex, RICHARDUS MONTACUTIUS, cujus anti-diatribæ adversus priorem partem diatribarum Bulengeri ex officina Hulsiana A. C. 1625. editæ prostant. Neque hic silentio prætermittendæ ejusdem Montacutii origines ecclesiasticæ, quarum prior pars Londini 1636. posterior autem pars ibidem 1640. impressa est. Ita autem in his originibus versatur, ut de rebus ad Christi historiam spectantibus racemationem quandam instituat, & modo Baronium, modo ipsum quoque Casaubonum perstringat. Antequam autem origines suas ecclesiasticas ederet, præmisit apparatum, in quo omnia illa argumenta pertractat, quæ Baronius in suo ad annales apparatu tractaverat. Impressus est hic Montacutii apparatus Oxoniæ 1635. Idem Montacutius jam olim A. 1622. etiam analecta exercitationum ecclesiasticarum ediderat, quæ ab apparatu in eo tantum differunt, quod in apparatu magis expoliantur, quæ in analectis jam discussa fuerant. Cæterum cum more Episcoporum in Anglia quodammodo papizans veterum cerimoniarum tenacior sit, quam Reformati velint,

lint, quos haud raro ſatis acerbe perſtringit, male apud illos paſſim audit. Conferatur Voetius *part. 1. diſput. p. 15 part. 2. p. 16. ſeq. p. 23. ſeqq.* item *politic. eccleſiaſt. part. 1. libr. 3 p. 339.* Rivetus *Tom. 2. p. 1085.* Vedelius in præfatione dedicatoria tractatus ſui de Deo Synagogæ, & alii.

XX. Præter Bulengerum Caſauboni exercitationes impugnavit ANDREAS EUDÆMON JOHANNIS. Scripſit enim non ſolum reſponſionem ad c. 4. exercitationis I. Caſauboni editam Coloniæ 1615. verum etiam refutationem exercitationum Caſauboni libris II. comprehenſam, & Coloniæ 1617. editam. Sed adverſus hunc Eudæmonem Caſauboni vindicias ſcripſit JOHANNES PRIDEAUX impreſſas Oxoniæ A. C. 1624.

XXI. Impugnavit præterea Caſauboni exercitationes HERIBERTUS ROSWEIDUS, qui eo ipſo anno, quo ſuas exercitationes Caſaubonus ediderat, Antverpiæ vulgavit legem talionis XII. tabularum Cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dictam retaliatione retortam. Verum Rosvveido reſpondit JACOBUS CAPELLUS. Scripſit enim tres libros vindicia-

cia-

ciarum pro Casaubono, quorum primus Rosweido, secundus Andreæ Eudæmoni, tertius Bulengero oppositus est, quod Capelli opus editum est Francofurti A. 1619. Hunc Capelli tractatum eodem anno refutare conatus est Rosvveidus in Anti-Capello, sive explosione næniarum Jacobi Capelli, quas famæ Casauboni accinuit. Nec segnis fuit responsio Capelli. Nam eodem anno 1619. Sedani edidit assertionem bonæ fidei adversus strophas Heriberti Rosvveidi, seu vindicias pro Casaubono adversus Rosvveidum assertas & recognitas. Neque ad hanc responsionem Rosvveidus acquievit. Edidit enim Antverpiæ 1620. Syllabum malæ fidei Capellianæ, excerptum ex Jacobi Capelli mendaci assertione bonæ fidei.

XXII. Fuit præterea inter Casauboni adversarios PETRUS LANSSELIUS, qui dispunctionem omnium notarum sive calumniarum a Casaubono in exercitationibus ad Baronium Justino Martyri inustarum edidit, quæ cum Justini Martyris operibus impressa est Parisiis A. 1615. & 1636.

XXIII. Casauboni exercitationes in Ba-

ronium aliquantum continuavit ADAMUS TRIBBECHOVIUS, cujus exercitationes ad Baronii annales, ubi Casaubonus desiit, Kilonii impressæ sunt 1666. Incipit ab anno Tomi primi Baroniani 34. num. 232. & desinit in ejusdem anni num. 287. Recusæ sunt istæ Tribbechovii exercitationes Lipsiæ & Hamburgi A. C. 1708.

XXIV. Præmissæ sunt recentiori huic editioni D. CHRISTIANI KORTHOLTI Disquisitiones Anti-Baronianæ, quarum septem jam antea Kilonii A. 1677. prodierant, nempe 1. de domo Nazarethico-Lauretana. 2. de suffragiis pro defunctis. 3. de Purgatorio. 4. de confirmationis sacramento. 5. de ordinis sacramento. 6. de extrema unctione. 7. de traditionibus non-scriptis. Octava autem in hac editione accessit de reliquiarum cultu, cui etiam subjicitur exercitatio ad 6. canonem Concilii Nicæni Baronio & Bellarmino opposita.

XXV. De rebus sacris & ecclesiasticis exercitationes historico-criticæ, in quibus Cardinalis Baronii annales ab Anno Christi XXXV, in quo Casaubonus desiit, expenduntur;

tur; Tum & multa adversus Bellarminum, Lightfootum, Pagium & alios discutiuntur, plurimique historiæ & chronologiæ errores emendantur, auctore SAMUELE BASNAGIO Flottemanvilleo Ultrajecti 1692. prodierunt. Incipiunt Basnagianæ hæ exercitationes ab anno tomi primi Baroniani 35. & desinunt in anno 44. num. 89. Ulterius autem in his exercitationibus perrecturus non videtur, cum ex amicorum consilio annales politico-ecclesiasticos a nato Christo usque ad A. C. 645. edere maluerit, quorum tres tomi priores Roterodami A. 1706. prodierunt, qui usque ad A. C. 602. pertingunt.

XXVI. Epitomen lucubrationum criticarum Casauboni ad annales Baronii, una cum Davidis Blondelli animadversionibus nonnullis ad Baronium, edidit in suo Anti-Baronio ANDREAS MAGENEL sive MAGENDEUS, in quo & ipse nonnulla adversus Baronium notavit. Titulus hujus operis ita se habet: *Anti-Baronius Magenelis, seu animadversiones in annales Cardinalis Baronii: cum epitome lucubrationum criticarum Casauboni in Tomi primi annos 34. Auctore Andrea Ma-*

 gen-

gendeo, Ecclesiasta Benearnensi. Quibus accesserunt quædam ad Baronium animadversiones Davidis Blondelli. Lugduni Batavorum Anno 1679. Observat autem Magendeus, quemadmodum viperæ toxicum in capite gerunt, ita Baronium imprimis duobus prioribus tomis, seu tribus prioribus seculis, maximam veneni sui heterodoxi partem recondidisse, ideoque se operam dedisse dicit, ut imprimis fidei controversias attingeret, nec ullum vel Scripturæ textum, vel Patrum testimonium a Baronio prolatum absque responsione solida, & omnes Cardinalis technas diluente relinqueret, quin & sæpius hunc Romanæ ecclesiæ Goliathum suo ipsius gladio jugularet. Verum nihil esse in Magendei observationibus anti-Baronianis, quod cum Casaubonianis animadversionibus conferri mereatur, judicat Colomesius *in bibliotheca selecta p. 113.* Et quamvis Magendeus in epistola dedicatoria scribat, quod trium primorum seculorum annales libellæ Patrum appendat, quia in illis Baronius potissimum sudavit, ut ecclesiæ suæ erroribus patrocinetur, ultima tamen Magendei animadversio ostendit, quod

ne

ne dimidiam quidem primi ſeculi partem abſolverit.

XXVII. Examen perpetuum in annales Baronii conſcripſit JOHANNES HENRICUS OTTIUS, cujus prima, ſecunda & tertia centuria impreſſæ ſunt Tiguri A. 1676. Reliquæ centuriæ, etſi pridem promiſſæ, lucem publicam, quod ſciam, nondum aſpexerunt. Hottium pro Ottio nominat Pagi in præfatione ſuæ Criticæ, ubi chronologiam ab hoc autore neglectam deſiderat, aliaque in ipſius examine reprehendit.

XXVIII. Novo huic Baronii adverſario novus Baronii vindex ſe oppoſuit AUGUSTINUS REDING, Abbas Einſidelenſis in opere, cui hunc titulum fecit: *Vindex veritas annalium eccleſiaſticorum Eminentisſimi ac Reverendisſimi ſacræ Romanæ eccleſiæ Cardinalis Cæſaris Baronii adverſus arrogatum Joh. Henrici Ottii Tigurini examen perpetuum. Autore Reverendisſimo & Illuſtrisſimo S. R. I. Principe ac Domino, Domino Auguſtino, exempti Monaſterii Einſidlenſis Ordinis S. Benedicti Abbate &c. ac Helveto-Benedictinæ Congregationis viſitatore centuria prima.*

Typis Monasterii Einsidlensis per Josephum Reymann Anno Christi M. DC. LXXX. Num & secundam & tertiam Ottii centuriam refutaverit Redingius, me latere fateor.

XXIX. Nec hic tacenda ANTONII PAGI Doctoris Theologi Ordinis Minor. Convent. S. Francisci *Critica Historico-chronologica in annales Baronii, in qua rerum narratio defenditur, illustratur, suppletur, ordo temporum corrigitur, innovatur, & Periodo Græco-Romana munitur*, cujus primus tomus quatuor priora secula complexus Parisiis A. C. 1689. lucem publicam aspexit. Novam editionem primi hujus tomi procuravit Franciscus Pagi, Antonii nepos, & ejusdem Ordinis Theologus, quo obstetricante etiam tomus secundus, tertius, & quartus fœtus posthumi in lucem protracti sunt. Quatuor ergo tomis jam constat Antonii Pagi critica in annales Baronii, qui excusi sunt Coloniæ Allobrogum A. C. 1705. Accesserunt etiam in hac editione veterum Pontificum Romanorum catalogi decem hactenus inediti, qui primo tomo post dissertationem de Periodo Græco-Romana inserti sunt.

XXX.

XXX. Baronii adverſariis accenſendus etiam GOLDASTUS. Prodiit enim A. C. 1607. *Melchioris Haiminsfeldii Goldaſti Rationale conſtitutionum Imperialium* αὐτοσχεδιασθὲν *ſive extemporale, in quo cum ipſis conſtitutionibus argumenta dicuntur, tum ſacri Romani Imperii jura adverſus Cæſaris Baronii Cardinalis Romani annales elenchos præſcribuntur.* Quod Rationale tot irrationabilibus deliri cerebri confartum mendaciis, convitiis & maledicentiis, quot nec ipſe nequam Spiritus, quo agitabatur, excogitari poſſe ab ullo confideret, Spondanus in præfatione ſuæ epitomes annalium Baronii egregie calumniatur. Nec in aliis ſcriptis Baronium notare omiſit Goldaſtus, adverſus quem pro vindicando Baronio *apologiam pro Baronio contra Goldaſtum, ejusdemque apologiæ contra Replicatorem defenſionem* Jeſuita GRETSERUS edidit.

XXXI. Inter JOHANNIS DARTIS opera canonica Pariſiis 1656. edita, parte 3. quæ varia ejus opuſcula continet, quarto loco occurrunt: *in annales eccleſiaſticos Cæſaris Baronii, & Iſaaci Caſauboni exercitationes, animadverſiones Jo. Dartis, in quibus Baronius*

ronius quidem tanquam ab Aristarcho arguitur, sed a Casauboni tanquam Phalaridis sagittis liberatur; ad Virum Ill. Antonium Seguerium sacri Consistorii Consiliarium & Senatus Franciæ Præsidem eximium. Sed illæ Dartis animadversiones A.C. 1616. primum editæ, & numero paucæ sunt, ac momenti non adeo magni.

XXXII. GERARDO JOHANNI VOSSIO propositum aliquando fuisse contra Baronium scribere, ex Gulielmi Laudi ad eum epistola constat. Eundem animum habuit ABRAHAMUS SCULTETUS, ut testatur ipse *in medulla Patrum part 3. p. 219.* cujus verba ob insigne de Baronio testimonium hic repeto: *Dignissima Historiographo vox est Cæsaris illa Baronii*: annales nostros omni suspicione mendacii carere volumus. *Quod si, quam animose hoc scripsit, tam fortiter id præstitisset; esset profecto, cur de annalibus istis orbi christiano gratularemur. Verum enimvero tantum abest, ut a mendaciorum suspicione sibi temperaverit Baronius, ut mendacia ipsa magno numero in annales suos congesserit. Quæ si quis melioris judicii falce resecuerit,*

non

non jam amplius solidum historiæ corpus, sed exsangue & vix ossibus suis hærens σκελετὸν est habiturus. Vera me scribere, docebunt disputationes in Baronium meæ, quas suo tempore, volet modo Deus, cum veræ antiquitatis & antiquæ veritatis studiosis communicabo. Sed neutrius proposito respondit eventus. Idem dicendum de CHRISTIANO LUPO, & HENRICO NORISIO. Nam Norisio quidem emendatio annalium Baronii in mentem veniebat, sed cum Lupum eodem labore occupari cognosceret, consilium mutabat. Interim vero etiam Lupo causæ nescio quæ obstiterunt, quo minus spem de Baronii emendatione factam impleret. Verum de Baronio ejusque epitomatoribus, continuatoribus, adversariis, & vindicibus satis egimus.

XXXIII. Præter Centuriatores & Baronium copiose historiam ecclesiasticam pertractavit NATALIS ALEXANDER Theologus Parisiensis ordinis Dominicani. Hic enim historiæ ecclesiasticæ in selecta capita distributæ, & suis dissertationibus illustratæ, volumina duo & triginta in 8. Parisiis vulgavit. Exorsus est hoc opus ab historia ecclesiastica No-

vi Teſtamenti, cui usque ad ſeculum XVII. continuatæ 26. volumina impendit, quæ A.C. 1676. & ſequentibus impreſſa ſunt. Præmittit cujusque ſeculi ſynopſin certis capitibus atque articulis incluſam, in quibus imprimis Pontificum Romanorum, Scriptorum eccleſiaſticorum, perſecutionum, hæreſium & ſchismatum, nec non Imperatorum Romanorum hiſtoriam exponit. Accedunt in primo ſeculo capita quædam de Chriſto, Apoſtolis & evangelii prædicatione, in 4. & ſequentibus ſeculis de conciliis & politia eccleſiaſtica, in ſeculo 6. & ſequentibus capita de Regibus Francorum & Hiſpanorum, in ſeculo 7. & ſeqv. caput de Regibus Anglorum, in ſeculo 15. & 16. caput de Regibus & Imperatoribus Turcarum.

XXXIV. In diſſertationibus ſuis ad hæc hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita interdum integros Dallæi tractatus refutandos ſuſcipit. Nam in diſſertatione 4. ſecundi ſeculi tractatum Dallæi de jejuniis, in diſſertatione 10. ejusdem tractatum de confirmationis ſacramento, in diſſertatione 16. ejusdem tractatum de uſu Patrum, in diſſertatione 25. ſeculi 5. ejusdem tra-

ctatum de religiosi cultus objecto, & in dissertatione 8. sexti seculi ejusdem tractatum de imaginum usu refellere nititur. Non raro autem ejus dissertationes aliis Pontificiis sunt oppositæ, ut seculo I. dissertatio 14. in qua negat S. Jacobum in Hispaniam venisse, dissertatio 17. de canonibus apostolicis, dissertatio 18. de constitutionibus apostolicis, dissertatio 20. de epistolis veterum Pontificum decretalibus; seculo IV. dissertatio 24. de ficta Constantini donatione; Seculo VII. dissertatio 2. de Pontifice Honorio a sexta Synodo œcumenica juste damnato; Seculo XI. & XII. dissertatio 2. de Gregorio Septimo, quem contra praxin veteris ecclesiæ, & contra ipsum verbum Dei jus Imperatores exautorandi sibi arrogasse arguit, item dissertatio 9. qua non soli Pontifici judicium in causis fidei competere probat; Seculi XIII. & XIV. dissertatio 3. in qua potestatem Pontificis Romani in temporalia Regum sive directam sive indirectam negat, dissertatio 8. de jure Regaliæ, dissertatio 9. de dissidiis inter Bonifacium Octavum & Philippum Pulchrum, dissertatio 12. directa contra propositionem Johannis de Monteso-

no asserentis, eorum, quæ fidem tangunt, examinationem & decisionem ad solum Pontificem pertinere, cui dissertationi subnexum est censorium suffragium A.C. 1683. in Sorbona ab autore solenniter dictum de propositione: *ad solam sedem Apostolicam divino immutabili privilegio spectat de controversiis fidei judicare*, quæ propositio in censorio hoc suffragio prolixe refutatur; Seculi XV. & XVI. dissertatio 4. de autoritate & sensu decretorum 4. & 5. sessionis in Synodo Constantiensi de generalis concilii supra Papam autoritate, dissertatio 5. de mente Constantiensis concilii circa potestatem ecclesiæ in temporalia Regum, dissertatio 6. opposita libello Francisci d' Enghien de autoritate sedis Apostolicæ in Reges, ut plures alias hujusmodi Autoris dissertationes Pontificiis quibusdam Scriptoribus oppositas taceamus.

XXXV. Et priora quidem hujus historiæ ecclesiasticæ N.T. volumina sereno cœlo & tranquillo mari lucem aspexerunt, siquidem Pontifex Romanus Innocentius XI. apostolicam suam benedictionem per Cardinalis Cybo literas ipsi impertire dignatus est, & Generalis

ralis Magiſter Ordinis Dominicani Antonius de Monroy ſemel iterumque huic operi applauſit, cujus literas Natalis Alexander una cum Cardinalis Cybo literis primæ parti ſeculi xv. & xvi. præfixit. Verum poſt editionem xi. & xii. ſeculi gravis tempeſtas adverſus ipſum excitata eſt. Præiverunt hanc tempeſtatem literæ prædicti Magiſtri Generalis Ordinis Dominicani, Archiepiſcopi poſtea Compoſtellani, datæ d. 31. Maji A. 1683. quibus ipſum, quod Romani Pontificis autoritatem fodicare auſus fuiſſet, graviter reprehendit, & in grave fulmen nubes corrugari indicavit. Erupit illud fulmen d. 10. Julii A. 1684. quo Innocentius XI hiſtoriam eccleſiaſticam Natalis Alexandri, in qua tum usque ad ſeculum 13. progreſſus fuerat, cum omnibus ejus operibus proſcripſit, eorumque deſcriptionem, impreſſionem, lectionem & uſum omnibus chriſtianis ſub pœna excommunicationis interdixit. Legitur illud Breve in novellis Reipubl. literariæ *menſe Oct bris A.C. 1684. art. 7. p. 260.* Nec mitius actum eſt cum hiſtoria ſeculi xiii. & xiv. item xv. & xvi. quam ſimili fulmine percuſſam ipſe Alexander re-

f 3 fert,

fert, in præfatione ſeculi XV. & XVI. ubi etiam duriora ſubinde mandata, & pœnas graviſſimas decernentia contra ſe ab Archiepiſcopo Compoſtellano emiſſa queritur.

XXXVI. Quamvis vero Autor in his tempeſtatibus adverſus ſe excitatis benignam Regis Galliæ auram & ſecurum ſub ejus præſidio portum expertus fuerit, eo tamen in ſenſu ſe Pontifici adulari velle dicit, quo Tertullianus Chriſtianos Deo non ſolum obſequi, ſed etiam adulari cupit. Et forte ne novas Romanæ Curiæ iras in ſe excitaret, ab hiſtoria ſeculi decimi ſeptimi tractanda abſtinuit, quas evitare non potuiſſet, ſi in referendis diſſidiis, quæ inter Ludovicum XIV. Galliæ Regem, & Innocentium XI. Pontificem Romanum de jure Regaliæ interceſſerant, aut in quatuor propoſitionibus, quibus Clerus Gallicanus A. C. 1682. Pontificum Romanorum poteſtatem limitavit, aut aliis hujusmodi materiis pro Regis ſui autoritate ſtetiſſet, & libertatem Gallicanæ eccleſiæ vindicaſſet. Quamobrem omiſſa ſeculi 17. hiſtoria ſelecta hiſtoriæ eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti capita in eum, qui ipſi commodus viſus eſt, ordinem redegit,

egit, & diſſertationibus ſuis illuſtravit. Prodiit hiſtoria illa Veteris Teſtamenti eccleſiaſtica ſex voluminibus in 8. comprehenſa Pariſiis A.C. 1689. Argumenta autem diſſertationum, quæ illis voluminibus continentur, in ſupplemento I. ad acta Eruditorum p. 538. & ſeqv. recenſentur, nec opus eſſe puto, ut hic denuo illa repetam.

XXXVII. Conſtat igitur hiſtoria eccleſiaſtica Natalis Alexandri, ſi hiſtoria V. & N. T. conjungitur, tomis duobus & triginta minoris formæ ſeu in 8. qui membratim & per partes lucem publicam viderunt. Verum nova editio majoris formæ ſeu in Folio, quæ Pariſiis 1699. prodiit, in octo tomos eſt digeſta. En titulum primi tomi: *R. P. Natalis Alexandri Ordinis FF. Prædicatorum in ſacra Facultate Pariſienſi Doctoris & emeriti Profeſſoris, Hiſtoria eccleſiaſtica Veteris Novique Teſtamenti, ab orbe condito ad annum poſt Chriſtum natum milleſimum ſexcenteſimum: Et in loca ejusdem inſignia diſſertationes hiſtoricæ, chronologicæ, criticæ, dogmaticæ; In octo diviſa Tomos: Ante quidem per partes, nunc autem conjunctim & accuratius edita: Rerum*

nova-

novarum accesſione, ſcholiis & indicibus locupletisſimis aucta, illuſtrata, ornata. Tomus primus. In hac nova editione accedunt aliquæ diſſertationes, quæ antea ſeorſim ab Autore vulgatæ fuerant. Edidit enim Natalis Alexander A. 1679. diſſertationem polemicam *de confesſione Sacramentali adverſus libros 4. Johannis Dallæi Calviniſtæ, divinam ejus inſtitutionem & uſum in eccleſia perpetuum impugnantes.* Eodem anno edidit quoque diſſertationum eccleſiaſticarum triadem, nempe I. diſſertationem *de divina Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia*, adverſus Blondelli apologiam ſententiæ Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris, cui diſſertationi acceſſit *quæſtio de Chorepiſcopis*; II. diſſertationem *de ſacrorum Miniſtrorum cœlibatu*; & III. *de Vulgata Scripturæ S. verſione.* Cum autem hanc disſertationem de Vulgata verſione Claudius Fraſſenius *in diſquiſitionibus ſuis biblicis lib. 2. c. 6.* impugnandam ſuſcepiſſet, ubi Natalem Alexandrum hiſtoriæ eccleſiaſticæ compilatorem & hæreticorum exſcriptorem appellat, eumque variis hujusmodi titulis traducit, Natalis Alexander A. C. 1682. diſſertationem eccle-

clesiasticam, apologeticam & anticriticam adversus Claudium Frassenium, seu *dissertationis Alexandrinæ de vulgata Scripturæ sacræ versione vindicias* Parisiensibus typis imprimi curavit, crimen plagii a Frassenio sibi objectum primo statim & secundo articulo a se declinans, & in ipsum Frassenium retorquens. Edidit quoque seorsim A. C. 1680. in eadem urbe *dissertationes historicas & criticas de S. Thoma Aquinate*, seu apologetica pro S. Thoma opuscula, quorum prius inscribitur: *Expostulatio cum Patre Oliva Societatis JESU Præposito Generali de injuria S. Thomæ illata ab Henschenio & Papebrochio officium venerabilis Sacramenti illi abjudicantibus*; posterius autem: *Collatio Dominicani cum F. Minore de titulo Præceptoris S. Thomæ ex elogio Alexandri Halensis expungendo.* Quibus opusculis accedit *Panegyricus Angelico huic Doctori dictus.* Has ergo dissertationes seorsim antehac editas Alexander novæ editioni historiæ suæ ecclesiasticæ, suo quamque loco, inseruit. Adjecta etiam est novæ huic editioni nova *dissertatio* his maxime temporibus, ut judicat, necessaria *adversus errores Begvardo-*

dorum in Quietiſtis redivivorum, qua ſpuriorum Myſticorum fanaticum ſyſtema funditus everti, & periculoſa eorum dogmata refelli dicit. Acceſſerunt vero etiam ad novam hanc hiſtoriæ eccleſiaſticæ editionem ſcholia, quibus, ſi pauca hiſtoriam veteris teſtamenti illuſtrantia excipiantur, occaſionem dedit indiculus Anonymus Religioſorum quorundam Cenſorum, qui varios in Natalis Alexandri hiſtoria eccleſiaſtica errores annotarunt. Cum enim Cardinalis quidam hunc indiculum Natali Alexandro communicaſſet, hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam adverſus illas cenſuras brevibus ſcholiis vindicare voluit.

XXXVIII. Scribere ſe adverſus Alexandrum voluiſſe dicit SERAPHINUS PICCINARDUS, ejusdem cum Alexandro ordinis, in præfatione ad novum opus, quod Prædeſtinatus inſcribitur, ſed addit, ſe nauſea & bile commotum hunc ſcriptorem æternum abjeciſſe. Verum nauſea illa inde forte orta eſt, quod vires ſuas huic propoſito impares cognoſceret. Sane illa, quæ in prædicta præfatione contra unum & alterum Alexandri locum profert, tam putida ſunt, ut ſine nauſa vix legi posſint.

sint. Papebrochius *in præfatione ad conatum historico-chronologicum ad catalogum Pontificum Romanorum p. 5. & 6.* excusat se, quod sæpe Natalem Alexandrum allegaverit, cum illa in Belgio scripserit antequam decretum contra Natalem Alexandrum Romæ conderetur, ubi addit hanc declarationem, quod impressa pro non impressis haberi velit, & promittit insimul, quod in sexto & septimo tomo Maji, antequam prælo tradantur, expungere velit quæcunque loca autoris hujus mentionem facientia. Verum hoc promissum Papebrochius non servavit, unde novis excusationibus ipsi opus fuit in responsione ad exhibitionem errorum per Sebastianum a S. Paulo evulgatorum *part. 1. artic. 3. §. 6. p. 94* & passim alibi.

XXXIX. Antequam a Natali Alexandro discedamus, memoranda est Theologi Ulmensis Celeberrimi D. ELIÆ VEIELII νῦν ἐν ἁγίοις dissertatio isagogica in selecta historiæ ecclesiasticæ capita, sive dissertationes historicas, chronologicas, criticas, dogmaticas Natalis Alexandri, quæ Ulmæ A. C. 1699. lucem publicam aspexit. Distinctus est hic

Veielii tractatus in articulos XIV. quorum hæc eſt ſeries: Articul. I. de inſtituto & opere Nat. Alexandri, cum judiciis adverſariorum ipſius. II. Judicia Nat. Alexandri de Patribus. III. de obelis Nat. Alexandri in Scriptores Pontificios. IV. de telis Nat. Alexandri in FF. Minoritas & Carmelitas. V. de eccleſiæ Gallicanæ & Academiæ Pariſ. prærogativis, & infallibili judicio doctrinali. VI. Cenſuræ Nat. Alexandri in Papas Romanos. VII. Invectivæ Nat. Alexandri in Reges Angliæ & Reges Hiſpaniæ. VIII. Criminationes Nat. Alexandri in Auguſtos Romano-Germanicos, & breves vindiciæ. IX. Improperia Nat. Alexandri in Lutherum, Brentium, Chemnitium, Gaſtium & eccleſiam Confeſſioni Aug. addictam cum vindiciis. X. Nat. Alexander ſibimetipſi & doctrinæ Romanenſi adverſus, noſtræ vero propitius. XI. Pſeudhermeniæ Nat. Alexandri. XII. Malignitas Nat. Alexandri in Germanos, & ignorantia rerum Germanicarum. XIII. Cenſuræ Nat. Alexandri in Reformatos. XIV. Stricturæ Nat. Alexandri in varios Scriptores.

XL. LUCÆ OSIANDRI Epitome hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſedecim centurias continet,

net, e quibus prima, ſecunda, & tertia Tubingæ A. 1592. cæteræ ſequentibus annis ibidem impreſſæ ſunt. Cum octavam centuriam abſolviſſet & metueret, ut ſi eo, quo cœperat, modo ad reliquas centurias procederet, eo usque victurus non eſſet, donec decimam ſextam centuriam, quæ imprimis magna cum diligentia tractari merebatur, attingeret, hanc ſtatim omiſſis tantisper intermediis centuriis aggreſſus eſt, & duobus tomis abſolvit. Hac autem centuria 16. abſoluta etiam 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15 Centurias uno volumine breviter complexus eſt. In prioribus centuriis centurias Magdeburgenſes velut in epitomen redegit, ita tamen, ut cujusque ſeculi hiſtoriam non juxta certas materias, ſed juxta temporum ordinem digeſſerit, & ſubinde nonnulla alia adjecerit, nec raro ſua ipſius monita & judicia ſubjunxerit. In poſterioribus autem centuriis 14. 15. & 16. Centuriatores Magdeburgenſes continuavit. De hac Oſiandri hiſtoria eccleſiaſtica agens Joh. Henricus Hottingerus *in bibliothecario ſuo quadripartito p. 406.* ſcribit, quod Oſiander Centuriatorum vitula non infeliciter, ſed cum laude araverit.

 XLI. Et

XLI. Et hic ipſe quoque HOTTINGERUS inter hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptores non incelebris eſt, quippe cui ſedecim ſeculorum hiſtoriam eccleſiaſticam in novem tomos diſtinctam debemus. Et primus quidem tomus enneadem ſeu novem priora ſecula continet, in quibus ita verſatur, ut de chriſtianiſmo, judaiſmo, & gentiliſmo, nec non de harmonia doctrinæ Reformatæ cum doctrina illorum ſeculorum, & de falſa denique eccleſia agat, quibus in ſeculo 7. 8. & 9. etiam Muhamediſmus additur. Secundus tomus dyadem, ſeu decimum & undecimum ſeculum eadem methodo pertractat. Tertius tomus triadem ſeculorum, ſeu ſeculum 12. 13. & 14. exhibet. Quartus tomus ſeculum 15. ſiſtit, cujus ſectioni primæ ſubjecta ſunt geſta Andreæ Archiepiſcopi Craynenſis cum Petri Numagen commentariis, ex bibliotheca Tigurinæ eccleſiæ in lucem protracta. Reliqui autem tomi circa ſeculum 16. verſantur. Quintus enim tomus, ſeu prima ſeculi 16. pars, de natura & politia hujus ſeculi, nec non de eccleſia Orientali & Occidentali Pontificia agit. Tomus ſextus, ſeu ſecunda pars ſeculi

culi 16. cui hypotyposis totius operis & epistola de ratione conscribendæ historiæ reformationis præmittitur, de ecclesia Reformata tractare incipit, ubi necessitas reformationis & offendiculum infidelium ex Pontificiorum doctrina, & reformationis causa efficiens exponitur. Tomus septimus, seu tertia pars seculi 16. agit de causis impulsivis reformationis, & in specie de indulgentiis, nec non de colloquiis & disputationibus publicis in religionis negotio habitis. Tomus octavus, seu quarta pars seculi 16. cui appendicis loco tam oratio de statu ecclesiæ Tigurinæ, quam uberior ecclesiæ Tigurinæ historia subjungitur, de reformantium ac Zwinglii imprimis vocatione ordinaria & extraordinaria ejusdemque doctrina tractat. Nonus denique tomus seu quinta pars seculi 16. de causis adjuvantibus reformationem deque ejus impedimentis agit. Plures historiæ hujus de Reformata ecclesia tomos fuisset editurus Hottingerus, nisi vitæ stamen morte inopinata abruptum fuisset, ut narrat Heideggerus in historia de vita & obitu Hottingeri, quæ ultimo tomo hujus historiæ ecclesiasticæ præfixa est, ubi hanc hi-

ſtoriam eo imprimis nomine commendat, quod res Judaiſmi & Muhamediſmi accurate exponat. Primus hujus operis tomus A.C. 1651. Tiguri in lucem prodiit, quem cæteri ſequentibus annis exceperunt, nempe A. C. 1653. 1654. 1655. 1664. 1665. 1666. & 1667.

XLII. Brevius hiſtoriam eccleſiaſticam a Chriſto nato usque ad medium ſeculi decimi ſeptimi ſuccincte & perſpicue deduxit HIERONYMUS KROMAYERUS, Lipſienſis Academiæ Theologus. Inſcribitur ejus hiſtoria eccleſiaſtica Lipſiæ aliquoties impreſſa *Eccleſia in Politia*, quia ſingulis ſeculis Imperatorum hiſtoriam præmittit. Toti autem operi compendium hiſtoriæ Romanæ præfixum legitur.

XLIII. JOHANNES MICRÆLIUS in Syntagmate hiſtoriarum eccleſiæ omnium, quod in dialogi formam compoſitum eſt, ab eccleſia patriarchali ad Moſaicam, & inde ad Chriſtianam progreditur, quam in diverſas periodos diſtribuit. Prima eſt ſub Imperatoribus ethnicis usque ad Conſtantinum Magnum. Secunda ſub Imperatoribus Græcis usque ad Carolum Magnum. Tertia ſub Imperatoribus Germanicis usque ad tempus re-

reformationis. Quarta a reformatione usque ad Autoris tempora procedit. Accessit in editione quarta A. 1679. continuatio historiæ ecclesiasticæ per DANIELEM HARTNACCIUM, in qua de schismatibus & sectis nonnullis agit, quæ vel a Micrælio breviter tantum recensitæ, vel post ejus tempora exortæ sunt, ut Socinianorum, Arminianorum, Conradi Vorstii, Syncretistarum, Henrici Nicolai, Mennonistarum, Davidis Georgii, Valentini Weigelii, Esaiæ Stifelii & Ezechielis Methi, Christiani Hohburgii, Jacobi Böhmii, Quackerorum, Labadistarum, Antoniæ Burignoniæ, Brownistarum, Independentium, Stengerorum, Jansenistarum, Quietistarum, Francisci de Salignac Fenelon, Cartesianorum, Coccejanorum, Payonistarum, Neonomorum in Anglia, Isaaci Peyrerii & Præadamitarum, Naturalistarum, Hobbesianorum, Benedicti Spinosæ, Richardi Simonis, & Matthiæ Knuzii atheistæ. In quinta editione anni 1699. loca in margine citata adjecit, & continuationem ita adornavit, ut historia hæresium & schismatum locupletior exhibeatur.

XLIV. TIMANNI GESSELII Medicinæ in Belgio Doctoris historia sacra & ecclesiastica in duas partes divisa est, quarum prior ab orbe condito usque ad A. C. 726. progreditur, altera in A. C. 1025. definit. Scopum suum, quem sibi in hac historia ecclesiastica præfixit, ipse statim in titulo indicat, cum se pio affectu conari asserit, ut viam ad pacem ecclesiæ aperire possit, quo fine etiam ad calcem secundæ partis irenica quædam monumenta vulgavit, quorum nonnulla in præfatione partis primæ non procul a fine recensentur.

XLV. FRIDERICI SPANHEMII historia ecclesiastica variato subinde habitu prodiit. Nam A. C. 1675. in lucem publicam emisit Lugduni Batavorum introductionem ad historiam & antiquitates sacras cum appendice chronographica & critica. Præmittitur in hac introductione methodus isagogica ad chronologiam sacram, hanc excipit epitome isagogica ad historiam veteris testamenti cum summaria Palæstinæ veteris descriptione, deinde epitome isagogica ad historiam ecclesiasticam novi testamenti usque ad

ſeculum decimum tertium. Sequuntur tandem canones iſagogici ad Criticam eccleſiaſticam, ſeu ad fontes genuinos eccleſiaſticæ antiquitatis, & fraudes circa monumenta primæ antiquitatis. Idem Spanhemius ibidem A. 1689. edidit ſummam hiſtoriæ eccleſiaſticæ a Chriſto nato ad ſeculum 16. inchoatum. Præmittitur doctrina temporum, ſeu introductio chronologica ad hiſtoriam eccleſiaſticam præcipue veteris teſtamenti. Præceſſit hanc ſummam hiſtoriæ eccleſiaſticæ ibidem A. C 1683. uberior introductio ad chronologiam & hiſtoriam ſacram ac præcipue chriſtianam ad decimum usque ſeculum, cum caſtigationibus annalium Baronii, & recentiorum in Gallia Pontificia Scriptorum. Et hæc editio in duos tomos diſtincta eſt, quorum primus usque ad ſeculum VII. procedit, ſecundus in ſeculo X. ſubſiſtit. Rurſus Spanhemius A. C. 1694. breviorem introductionem ad hiſtoriam ſacram utriusque teſtamenti ac præcipue chriſtianam usque ad cœptam in Saxonia & Helvetia reformationem uni tomo incluſam publici juris fecit, quæ editio in titulo omnium purgatisſima dicitur. Accedunt duæ ejusdem oratio-

nes, una de degenere christianismo, altera de corruptis & emendandis studiis. Novissime Spanhemii historia ecclesiastica inter ejus opera prodiit Lugduni Batavorum A.C.1701. Primus enim operum istorum tomus continet geographiam, chronologiam, & historiam sacram atque ecclesiasticam utriusque temporis.

XLVI. CHRISTOPHORI SANDII nucleus historiæ ecclesiasticæ primum A.C.1668. Cosmopoli h.e. Amstelodami prodiit, ubi & posterior editio anni 1676. lucem publicam adspexit, etsi titulus illius Coloniæ nomen præ se ferat. Compositus autem est hic nucleus cum præmisso tractatu de veteribus Scriptoribus ecclesiasticis in gratiam Arianorum, quorum sectæ Sandius se addixit, unde in hoc scripto Ariana i.e. pessima fide passim agit. Addidit Sandius A.C. 1678. appendicem nuclei sui continentem nonnulla addenda, confirmanda & emendanda, cum defensione hujus nuclei adversus Samuelem Gardinerum; cujus responsoria ad Sandium epistola, cum nova Sandii ad Gardinerum epistola in hac appendice itidem legitur.

XLVII

XLVII COMPENDIUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, Ducis Ernesti jussu IN USUM GOTHANI GYMNASII scriptum in duos libros dividitur, quorum primus A. C. 1666. editus ab orbe condito ad natum usque Christum, secundus A. C. 1670. vulgatus a Christo nato usque ad medium seculi decimi septimi procedit. De autoribus hujus compendii illustri Seckendorfio qui priorem librum, & Johanne Christophoro Artopœo, qui posteriorem conscripsit, & totius hujus operis Directore Celeberrimo Bœclero videatur Summe Reverendus D. Fechtius *in præfatione isagogica ad Bœcleri histor. universal. p. 8.* Indicem in hoc compendium confecit Heinricus Ernestus Treiberus sæpius cum compendio vulgatum.

XLVIII. GEORGII HORNII historia ecclesiastica itidem ab orbe condito ad Autoris usque ætatem pergit. Prodiit primum Lugduni Batavorum A. C. 1665. In editione Lipsiensi 1673. annotationes quædam DANIELIS HARTNACCII accesserunt. Postea A. C. 1687. MELCHIOR LEYDECKERUS Hornianum hoc historiæ ecclesiasticæ compendium

annotationibus ſuis illuſtravit, hiſtoriæ veteris teſtamenti Ludovici Capelli hiſtoriam judaicam adjunxit, & præterea hiſtoriæ novi teſtamenti ſupplementum ab anno 1666. ubi Hornius deſiit usque ad A. C. 1687. adornavit. In novisſima hiſtoriæ eccleſiaſticæ Hornianæ editione ad Hartnaccii & Leydeckeri notas & obſervationes, & Capelli compendium hiſtoriæ judaicæ, & Leydeckeri ſupplementum JOHANNES DANIEL CRAMERUS Profeſſor Hanovienſis novum ſupplementum adjecit, quod ab anno 1687. ubi Leydeckerus ſubſtitit, ad annum usque 1701. perducitur. Prodiit autem ultima hæc editio Francofurti A. C. 1704.

XLIX. JOHANNIS PAPPI Epitome hiſtoriæ eccleſiaſticæ A. C. 1584. edita poſt præmiſſum de Scriptoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ procemium tria tantum hiſtoriæ eccleſiaſticæ capita pertractat. Agit enim primo de converſionibus gentium, deinde de perſecutionibus eccleſiæ & piorum martyriis, & tertio de hæreſibus & conciliis œcumenicis. Cum autem Pappus brevitati ſtuduerit, & in prioribus eccleſiæ ſeculis ſubſtiterit, epitomen iſtam

au-

augere & continuare voluit M. EUSEBIUS BOHEMUS Jun. Cygneus S. Theol. Studiosus, cujus epitome historiæ ecclesiasticæ Witterbergæ A. C. 1626. in lucem emissa 1. de scriptoribus ecclesiasticis, 2. de conversionibus gentium, 3. de persecutionibus & martyriis, 4. de hæresibus & conciliis œcumenicis, & 5. de repurgatione & propagatione ecclesiæ veræ & religionis christianæ agit. Postea etiam HENRICUS KIPPINGIUS Pappi epitomen recognovit suisque notis & auctariis illustravit, & supplementum historicum de initiis & progressu religionis vindicatæ, insertis quoque aliis seculorum 16. & 17. memorabilibus, adjunxit. Quæ Kippingii auctaria & supplementa una cum ipsa Pappi epitome partim Jenæ partim Francofurti annis 1661. & 1662. impressa sunt.

L. Historia ecclesiastica MICHAELIS BUCHINGERI Scriptoris Pontificii, quæ Moguntiæ A. C. 1560. impressa est, duplicem exhibet faciem, unam ecclesiæ catholicæ quam vocat, cujus præcipua pars est catalogus Pontificum Romanorum a Petro usque ad Paulum IV. altera vero ecclesiæ antichristianæ in

qua

qua de Tyrannis, Hæreticis & falſis fratribus agitur.

LI. Inſigne compendium hiſtoriæ eccleſiaſticæ in varios Studioſæ juventutis uſus A. C. 1701 conſcripſit & edidit Dn. D. JOHANNES ANDREAS SCHMIDIUS Theologus in Academia Julia celeberrimus & Abbas Mariæ Vallenſis, qui etiam hoc ipſo, quem nunc agimus, anno 1708. hiſtoriam eccleſiaſticam veteris teſtamenti publicavit.

LII. Nec inutilem operam navavit Theologus Academiæ noſtræ Lipſienſis Primarius Dn. D. ADAMUS RECHENBERGIUS, cum A. C. 1697. in Studioſæ Juventutis commodum hiſtoriæ eccleſiaſticæ Summarium adornavit, cujus prima pars hiſtoriæ eccleſiaſticæ V. Teſtamenti delineationem chronologicam exhibet, ſecunda autem pars hiſtoriam eccleſiaſticam N. Teſtamenti ſeu Chriſtianam complectitur. Subjectum eſt huic ſummario Claudii judicium de Patribus Græcis & Latinis ex operibus ejus poſthumis excerptum, & D. Martini Chemnitii oratio de lectione Patrum. Equidem in primam editionem errata quædam irrepſerunt, quale eſt, quod p. 299 Saidus

Pa-

Patriarcha Alexandrinus, & Eutychius Batrici filius tanquam diversi Scriptores memorantur, verum & hoc & alia quædam hujusmodi errata ab ipso Autore in indice sphalmatum extantiorum animadversa & correcta sunt. Debebat igitur Typopraphus hoc, aliaque errata ab Excellentissimo Autore observata, in secunda, tertia, quarta & quinta editione corrigere, saltem indicem erratorum primæ editioni additum in novis editionibus non omittere debebat, ut ipsi lectores ex illo menda illa emaculare possent. Quod cum a Typographo neglectum fuerit, contigit ut *Dn. H. G. VVeland*, qui Rechenbergianum historiæ ecclesiasticæ Summarium in tabulas Lipsiæ 1706. impressas redegit, in errorem induceretur, & nunc alios quoque in errorem inducat, cum p. 42. inter seculi X. Scriptores refert Saidam Patriarcham Alexandrinum, & huic tanquam diversum subjungit Eutychium Medicum & Chronologum, qui Arabica lingua scripsit, cum tamen in indice erratorum primæ editionis Vir celeberrimus eundem esse Saidum & Eutychium jam pridem notaverit.

LIII. Neque hic tacenda, quæ eodem anno Lipſiæ prodiit hiſtoria eccleſiaſtica novi Teſtamenti κατ᾽ ἐπιτομὴν a Chriſto nato usque ad ſeculum 17. incluſive, ſiſtens ſtatum eccleſiæ ſub Imperatoribus, Schiſmata, Hæreſes, Synodos & eccleſiæ Doctores, edita ex Manuſcripto D. CHRISTIANI KORTHOLTI Profeſſoris Theologi in Kilonienſi Academia Primarii.

LIV. JOH. GEORGII LAYRIZ Ducis Saxo-Vinar. Concionatoris Aulici Supremi & Superintendentis Generalis, Synopſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ Novi Teſtamenti ante plures annos dextro & congruo ordine concinnata, nunc vero perpetuis annotationibus ultra dimidium aucta, & figuris æneis pro memoria illuſtrata Lipſiæ A. C. 1700. lucem publicam aſpexit, non indigna quæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ Studioſis commendetur.

LV. Ejusdem Aulæ Vinarienſis Eccleſiaſtes & diœceſeos Inſpector Generalis, JOHANNES KROMAYERUS cum epitome libri chriſtianæ concordiæ Lipſiæ A. C. 1657. in uſum eccleſiarum & ſcholarum Ducatus Saxonici Vinarienſis edidit indiculum hiſtoriæ eccle-

cle-

clesiasticæ in hac editione suppletæ. Incipit ab origine mundi, & desinit circa tempora Synodi Dordracenæ.

LVI. Simili brevitate usus est ex Reformatis DANIEL PAREUS, qui universalis historiæ ecclesiasticæ medullam ex vasto & varie disperso tot sanctorum Patrum, Theologorum & historiæ ecclesiasticæ Scriptorum corpore justo ordine concinnavit, & edidit Francofurti A. C. 1638.

LVII. Ad historiam ecclesiasticam Novi Testamenti introductionem memoriæ juvandæ ergo per tabulas synopticas adornavit M. JOHANNES STUBNERUS illustris ad Fontes Salutis Gymnasii Conrector, quibus facies ecclesiæ christianæ sub Imperatoribus, præcipuis Doctoribus, Pontificibus Romanis, Tyrannis, Heterodoxis, una cum Scriptoribus historiæ ecclesiasticæ, conversarum gentium, Eruditorum pariter, & potissimorum conciliorum, colloquiorum, Academiarum &c. syllabo repræsentatur, Norimbergæ A. 1684. Postea clarissimus Autor etiam tabulas synopticas ad historiam ecclesiasticam Veteris Testamenti concinnavit, & simul cum tabulis

ſynopticis N. Teſtamenti ibidem Anno Chriſti 1690. vulgavit.

LVIII. THOMÆ HOBBII vel Hobbeſii Malmesburienſis hiſtoria eccleſiaſtica carmine elegiaco concinnata Auguſtæ Trinobantum A. C. 1688. vulgata eſt. Verum hic tractatus in dialogi morem carmine elegiaco conſcriptus hiſtoriæ eccleſiaſticæ nomen non meretur, cum autor id ſibi negotii datum crediderit, ut indifferentiſmum religionum commendaret, & theologiam polemicam in Patribus Nicænis aliisque orthodoxis acerbe perſtringeret.

LIX. HERIBERTI ROSWEIDI hiſtoria eccleſiaſtica a Chriſto nato usque ad pontificatum Urbani VIII. in duos tomos diviſa, qui Antverpiæ A. C. 1623. prodierunt, inter ejus ſcripta in bibliotheca Jeſuitica memorantur. ANDREÆ SERVATII VELLEI hiſtoriam eccleſiaſticam Hafniæ A. C. 1579. prodiiſſe in Königii bibliotheca legi.

LX. AUGUSTINI RIBOTHI Florum chriſtianum, ſeu epitomen hiſtoriæ eccleſiaſticæ A. C. 1666. Pariſiis editam refert Cornelius a Beughen in bibliographia hiſtorica pag. 208.

Ejus-

Ejusdem epitomes editionem A. C.1677. emissam memorat bibliotheca Slusiana.

LXI. ONUPHRII PANVINII Eremitæ Augustiniani historiam ecclesiasticam manuscriptam inter literaria bibliothecæ Vaticanæ cimelia asservari Schelstratenus in antiquitate illustrata Romanæ editionis passim indicat. Prodiit interim Panvinii hujus chronicum ecclesiasticum ab imperio Julii Cæsaris usque ad Maximilianum II. A. 1568. cui præmittitur index autorum, ex quibus tam chronicon hoc ecclesiasticum, quam historiam ecclesiasticam nondum hactenus editam concinnavit.

LXII. Ex HIERONYMI VIGNERII historia ecclesiastica collationem Episcoporum & imprimis Aviti Viennensis coram Gundebaldo Rege Burgundionum adversus Episcopos Arianos, & alia quædam monumenta tomo V. sui Spicilegii inseruit Lucas D' Acherius, qui etiam in præfatione illius tomi Vignerii vitam & scripta recenset. Verum historiam illam ecclesiasticam, seu potius Episcoporum orbis Gallici Vignerius morte præventus non edidit, sed inter manuscripta sua reliquit. NICOLAI autem VIGNERII,

quem Hieronymus Vignerius parentem habuit, hiſtoriam eccleſiaſticam a Chriſti baptiſmo usque ad A. C. 1559. quæ Gallico idiomate ſcripta eſt, Leidæ A. C. 1601. prodiiſſe ex Telleriana bibliotheca p. 24'. didici.

LXIII. Præter Nicolaum Vignerium Gallico idiomate hiſtoriam eccleſiaſticam ſcripſit ANTONIUS GODEAU Epiſcopus Vencienſis, qui poſt præmiſſam brevem hiſtoriæ eccleſiaſticæ ab Adamo ad Chriſtum delineationem hiſtoriam eccleſiaſticam novi Teſtamenti a Chriſto usque ad X. ſeculum deduxit. Quod opus tanti habitum, ut jam aliquoties typis exſcriptum fuerit. Eſt enim mihi ad manus quarta editio quinque tomis diſtincta, Pariſ. A. C. 1674. & 1678. in fol. impreſſa, & ab Autore reviſa, & nonnullis in locis locupletata.

LXIV. Eodem nempe Gallico idiomate hiſtoriam eccleſiaſticam ſcripſerunt ABBAS DE CHOISY, cujus tomus primus tria prima ſecula complexus Pariſiis A. C. 1703. ſecundus, qui ab anno 306. usque ad annum 378. progreditur, A. C. 1704. & tertius, qui ab anno 378, exorſus in anno 565. ſubſtitit A. C. 1705. lucem publicam aſpexit; & ABBAS

FLEU-

FLEURY, cujus historiæ primus tomus primum & secundum seculum, secundus tertium, tertius partem quarti seculi usque ad A. C. 362. quartus, quintus, sextus, septimus & octavus historiam ecclesiasticam ab A. C. 362. usque ad annum 679. tomus nonus historiam ab anno 679. usque ad annum 794. decimus historiam ab anno 794. ad annum usque 858. undecimus historiam ab anno 858. usque ad annum 952. persequitūr, qui tomus A. C 1705. Parisiis prodiit, ubi hæc historia in 4to. majoris formæ editur. Editio autem Bruxellensis in octavo historiam hanc ecclesiasticam exhibet.

LXV. Referenda huc etiam LUDOVICI ELLIES DU PIN Doctoris Theologi in Sacra, quæ dicitur, Facultate Parisiensi, & Philosophiæ Professoris Regii, Bibliotheca autorum ecclesiasticorum itidem Gallice ab Autore scripta. Etsi enim prima fronte opus hoc ad specialem historiæ ecclesiasticæ partem, quæ de Scriptoribus ecclesiasticis agit, pertinere videatur, posteriores tamen hujus operis tomi non solum de Scriptoribus ecclesiasticis, sed etiam de aliis historiæ ecclesiasti-

cæ

cæ capitibus agunt. Occaſionem huic mutationi præbuerunt diſſidia quædam Dupinium inter & alios enata. Boſſvetus enim Epiſcopus Meldenſis ægre tulit, quod Dupinius aſſeruiſſet, Patribus trium priorum ſeculorum peccatum originis non ſatis cognitum fuiſſe, quodque alia quædam in hæreticorum favorem in nova ſua bibliotheca docuiſſet, qua de re videri poteſt epiſtola ad Basnagium ſcripta, & ab ipſo edita in hiſtoria *des Ourages des Scavans 1692. menſ. Septemb. p. 140.* Quin etiam Benedictinus quidam adverſus Dupinium inſurrexit, & A. 1691. animadverſiones quasdam contra novam Dupinii bibliothecam vulgavit, qui eodem anno in illa bibliothecæ ſuæ parte, qua ſeptimi & octavi ſeculi Scriptores recenſuit, reſpondit. Quo reſponſo inſuper habito anno 1692. alter animadverſionum tomus ſecundo Dupinii tomo oppoſitus prodiit, in cujus præfatione etiam primus animadverſionum illarum tomus adverſus Dupinii reſponſum vindicatus legitur. His igitur litibus enatis Boſſvetus, qui æmulatione quadam tacite accenſus fuerat, quod eodem tempore, quo ipſe ſuas in

Pſal-

Pſalmos notas edidit, etiam Dupinius commentarium ſuum in Pſalmos vulgavit, autoritate ſua facile effecit, ut Dupinius bibliothecam ſuam Scriptorum eccleſiaſticorum ſub prætextu errorum illa contentorum continuare prohiberetur. Quo facto Dupinius, ne contra interdictum bibliothecam ſuam continuare videretur, in poſterioribus tomis formam hujus operis ſimul cum titulo mutavit. Hinc hiſtoria ſeculi IX. in editione Pariſienſi non amplius nova bibliotheca autorum eccleſiaſticorum inſcribitur, etſi etiam hic tomus de Scriptoribus eccleſiaſticis noni ſeculi agere non omittat, ſed hiſtoria controverſiarum aliarumque materiarum eccleſiaſticarum in nono ſeculo tractatarum. Qualis mutatio etiam in ſequentibus tomis facta eſt. Unde tres ultimi tomi hiſtoriam ſeculi 16. tractantes inſcribuntur: *hiſtoire de l' Egliſe & des Auteurs Eccleſiaſtiques du ſeizieme ſiecle*, i. e. hiſtoria eccleſiæ & autorum ſeculi decimi ſexti. Patet igitur ex ipſis titulis editionis Pariſienſis, Dupinium in poſterioribus tomis a ſeculo IX. usque ad XVI. non ſolum de Autoribus eccleſiaſticis, ſed etiam de aliis rebus ad

k hi-

hiſtoriam cujusque ſeculi eccleſiaſticam ſpectantibus egiſſe, ideoque inter Scriptores hiſtoriæ eccleſiaſticæ referendum eſſe.

LXVI. Neque hic tacendus Dn. SEBASTIANUS LE NAIN DE TILLEMONT, quippe qui Gallica lingua edidit: *Memoires pour ſervir a l' hiſtoire eccleſiaſtique des ſix premiers ſiecles. Juſtifiez par les citations des Auteurs originaux; avec une chronologie, ou l' on fait un abregé de l' hiſtoire eccleſiaſtique & profane; & des Notes pour eclaircir les difficultez des faits & de la chronologie*, ſeu commentarios ad conſcribendam hiſtoriam eccleſiaſticam ſex priorum ſeculorum utiles, qui per allegationes Autorum originalium confirmantur & notis illuſtrantur. Opus hoc Pariſiis in 4to, Bruxellis autem in 12mo prodiit. Et in Pariſienſi quidem editione, quæ mihi ad manus eſt, primus tomus, qui Chriſti & Apoſtolorum tempora continet, Pariſiis A. 1693. ſecundus, qui ad annum usque 177. pergit, A. 1694. tertius ab anno 177. ad 253. progrediens A. 1695. quartus ab anno 253. usque ad finem tertii ſeculi A. 1695. quintus perſecutionem Diocletiani & Licinii, & marty-

res,

res, quorum epocha ignoratur, complectens A. 1698. sextus de Donatistis usque ad Episcopatum Augustini, de Arianis usque ad imperium Theodosii Magni, item de concilio Nicæno & aliis agens A. 1699. septimus historias particulares ab anno 328. usqud ad annum 375. ut & origines Eremitarum, Cœnobitarum, Congregationum & Canonicorum Regularium comprehendens A. 1700. octavus, qui vitam Athanasii, & Sanctorum, qui ab anno 378. usque ad annum 394. defuncti sunt, ut & historiam hæreseos Messalianorum & Priscillianistarum delineat, A. 1702. prodiit, Tomus 9. 10. 11. & 12. nondum, quod sciam, prodierunt. Interim eodem anno, quo octavus tomus prodiit, nempe A. 1702. simul lucem publicam aspexit tomus 13. quo vita Augustini & simul Donatistarum & Pelagianorum illius temporis historia exponitur.

LXVII. Dionysii Mudzaerts historiam ecclesiasticam ab orbe condito usque ad A. C. 1624. Belgica lingua scriptam memorat Valerius Andreæ *in bibliotheca Belgica p. 190.* Jacobi Leydeckeri historia ecclesiastica V. & N. Testamenti ab orbe condito

usque ad A. 1691. Belgice scripta, recensetur in actis erud. Tom. II. Supplem. p. 61. Alias hujusmodi historias ecclesiasticas peregrino idiomate scriptas recensere supersedeo.

LXVIII. Inter historias ecclesiasticas Germanice scriptas famosum imprimis opus est GODOFREDI ARNOLDI, quod inscribitur Unpartheyische Kirchen- und Ketzer-Historie von Anfang des neuen Testaments biß auf das Jahr Christi 1688. Franckfurt am Mäyn A. C. 1699. At pulcro tituli nimium ne crede colori, quisquis titulum hunc legis. Nihil minus est hæc ecclesiastica historia, quam eine unpartheyische Historie. Omnis candor, omnis fides hic prorsus exulat. Mendaciis, calumniis, variisque strophis, falsis allegationibus, corruptis, mutilatis, in alienum sensum detortis Autorum verbis omnia sunt referta. Κυβεία & πανουργία πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης utramque in hoc opere facit paginam. Cum enim Autor id tantum negotii sibi proposuisset, ut orthodoxam doctrinam ejusque doctores acerbe perstringeret, heterodoxos autem tanquam carissimos suos fratres excusaret, defenderet, & commendaret, facere id non poterat, nisi fron-

frontem perderet, & omnem pudorem decoqueret. Conferantur de hac Arnoldi historia ecclesiastica partium fanaticarum studio deditissima, scripta quæ sequuntur: D. ELIÆ VEIELII præfatio concionum in posteriorem Petri epistolam. H. G. W. E. M. augenscheinliche Erweisung / daß der vermessene Ketzer-Patron Gottfried Arnold das Valentinianische Ketzer-Fragmentum Theodoti weder verständlich noch treulich übersetzet / und damit seine schlechte Wissenschafft in der Grichischen Sprache selbst verrathen habe / cum præfatione Theologi Ulmensis modo laudati D. Eliæ Veielii. ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI, olim Professoris in Academia Julia, nunc Athenæi Casimiriani Directoris & Theol. P. P. ordinarii, allgemeine Anmerckungen über Gottfried Arnolds Kirchen- und Ketzer-Historie / worinnen bescheidentlich und gründlich erwiesen wird / daß Arnold vermöge seiner vorgefaßten Meynungen nothwendig partheyisch schreiben / seine Klagen wider die Kirche auf schwache Gründe bauen / und einiger Scribenten Meynung so gar verdrehen müssen / daß auch nur in einem halben paragrapho der Sinn und die Worte Augustini denen Donatisten zum Behuff / über sechsmahl verfälschet worden / Helmstadii A. C. 1700. quibus observationibus in editione tertia Francofurti & Lipsiæ

A. C. 1701. procurata accessit partim eine Antwort auf alle dagegen edirte Schrifften / partim ein Vorbericht von Arnolds Religion / partim fernere Anmerckungen von dessen historischen Verfälschungen und Fehlern. *Ejusdem* fernere Proben von Gottfried Arnolds Partheilichkeit / vornehmlich die Geschichte derer Qvacker / Brownisten / Dr. Krellens / und Jacob Böhms betreffende / cum præfatione ad D. Veielium Francofurti & Lipsiæ A. 1702. ANONYMI, qui se einen Liebhaber der Warheit nominat, aufrichtige Vorstellung vieler von Herrn M. Gottfried Arnold verübter fürsetzlicher Verfälschungen an alten und neuen Scribenten / und ärgerlicher Verthendigung der boßhafftigsten Ketzern und Atheisten / womit derselbe seine so genannte unpartheyische Ketzer-Historie beflecket / und damit Cordate Männer zu seiner Bestraffung genöthiget hat. Ulm / A. 1702. JOH. FRIDERICI CORVINI, Pastoris Hornburgensis Primarii, gründliche Untersuchung der so genannten unpartheyischen Kirchen- und Ketzer-Historie / und einiger anderer Schrifften Gottfried Arnolds / in welcher klar und deutlich gezeiget wird / daß er in derselben nichts weniger als unpartheyisch sich erwiesen / sondern vielmehr nach allen Kräfften wiewol gantz vergeblich / sich bearbeitet / die historische Warheit unverantwortlich zu verfälschen / alle / auch die ärgesten Ketzer und Ketzereyen von Anbegin zusamt einigen Verfolgern der Kirchen zu verthätigen / die Kirche GOttes auf

auf das äusserste zu schmähen / auch gar zu leugnen / dero rechtschaffenste Lehrer / und die ersten Christlichen Käyser zu verunglimpffen / die in Gottes Wort fest gegründete / und der Kirchen GOttes anvertrauete theure Beylage der heylsamen Glaubens-Lehre / theils ungewiß und zweiffelhafftig zu machen / theils gar über einen Hauffen zu werffen / hingegen allen falschen Lehrern und Irrthümern wiederum einen freyen Gang zu öffnen. Da denn die von ihm allegirte Autores mit Mühe und Fleiß nachgeschlagen / die darinnen von ihm begangene Verkehrungen und falsa ans Licht gestellet / seine falsche hypotheses historice und theologice nach dem Göttl. Wort und der ersten Kirchen Lehre examiniret / und dargethan wird / daß er solches nicht etwan aus Versehen oder Irrthum / sondern gantz vorsetzlich den Leser zu verleiten / und zu confundiren / gethan habe. Dabey denn zugleich einige seiner andern Schrifften in etwas beleuchtet / und mit der Ketzer-Historie zusammen gehalten werden. Alles GOTT / und seinem eingebohrnen Sohn JESU zu Ehren / zu Rettung der Warheit / und allen frommen Christen zur aufrichtigen Warnung sich vor diesen höchstschädlichen Schrifften zuhüten / auf vieler Gottseliger Hertzen Verlangen vorgestellet / und zum Druck übergeben. Franckfurt am Mayn. A. C. 1701. in Fol.

ANDREÆ DAVIDIS CAROLI, Ephori Kirchheimensis, Wirtenbergische Unschuld durch Christliche Prüfung dessen / was Herr Gottfried Arnold von des Löbl. Hertzogthums Wirtenberg Regenten / Regierung

rung und Lehrern / bevorab von dem sel. D. Jacobo Andreæ, aufgezeichnet und seiner so genannten Kirchen- und Ketzer-Historie einverleibet hat; aus Liebe der Warheit / zur Ehre Gottes und Erläuterung zerschiedener merckwürdiger Stücke der Wirtenbergischen und anderer Kirchen-Geschichten gründlich und bescheidentlich dargethan. Ulmæ A. 1708. cujus tractatus præfatio indicat Arnoldum Philostorgio, qui in sua historia ecclesiastica omnia, quæ ad defensionem Arianorum & Eunomianorum, & denigrationem orthodoxorum facere visa sunt, compilavit, & Sandio, cujus nucleus historiæ ecclesiasticæ rectius Arianismi commentatio diceretur, & Zwickero venerandam ecclesiæ antiquitatem pessimis quibusdam convitiis proscindente, longe pejorem esse, cum non unius & alterius sed omnium sectarum patrocinium in se susceperit. D. JOHANNIS FECHTII disputatio de studio Theologiæ polemicæ contra Arnoldum, respondente Johanne Joachimo Arends Rostochii A. 1704. habita; *Ejusdem* critica contra criticam Arnoldi, h.e. judicia veriora in Judicia ejus iniquiora de Davide Chytræo lata, quæ sub Fechtii præsidio defendit Rostochii M. Joachimus Manzel A. 1704.

Ejus-

Ejusdem diſſertatio Theologica G. Arnoldo oppoſita, exhibens brevem enodationem quæſtionis, utrum libri ſymbolici vere an æquivoce dicantur divini? reſpondente Daniel Henr. Becmann Roſtochii A. 1705. *Ejusdem* vindiciarum pro veritate adverſus Arnoldi criminationes inſtitutarum teſſaras pro diſputatione circulari & ordinaria, propoſita eodem anno reſpondente Juſto Henrico Runcken. Dn D. JOH. FRIDERICI MAYERI diſputatio de Pædobaptiſmo Apoſtolorum temporibus coævo contra Arnoldum, reſpondente M. Nicolao Grubb, Gryphisvvaldiæ A. 1708. D. JOHANNIS JOACHIMI ZENTGRAFII vindiciæ Lutheri contra Arnoldi hiſtoriam eccleſiaſticam defenſæ a M. Joh. Friderico Herttenſtein, Argentorati A. 1702. D. SAMUELIS SCHELGUIGII ex hiſtoria eccleſiaſtica diſputatio de Ebionitis contra Arnoldum Gedani habita A. 1700. reſpondente Jacobo Joachimo Wendio. D. PHILIPPI LUDOVICI HANNECKENII Arnoldus ἀνιστορητίας convictus, quem ſub ejus præſidio ventilandum propoſuit Autor Fridericus Chriſtianus Feuſtkingius, Wittebergæ A. 1699. Ejusdem FEUSTKINGII, nunc Theologiæ

Doctoris, Arnoldus ἐλεγχόμενος, oder kurtze doch gründliche Widerlegung der fürnehmsten Einwürffe / worinnen Gottfried Arnold seinen Adeptis und begeisterten Weibes Personen das Wort hat reden wollen. Francof. & Lipsiæ A. 1704. D. GOTTLIEB WERNSDORFII Disputatio, qua contra Arnoldum demonstrat, quod liber Sapientiæ & Ecclesiasticus pro canonicis non sint habendi, respondente Andrea Schuberto A. 1702. D. VALENTINI ERNESTI LOESCHERI Disputatio, qua Thomæ Müntzeri doctrinam & facta ex idoneis monumentis examinavit, & G. Arnoldi hac etiam in parte lapsus exposuit, respondente M. Georgio Nicolao Kieslingio, Wittebergæ A. C. 1708. M. DAVIDIS SCHULTETI innocentia Theologorum Hamburgensium contra Arnoldum asserta, Hamburgi A. C. 1706. D. POLYCARPI LYSERI, Præsulis Capituli Winstorpiensis officium pietatis seu scriptum apologeticum, quo Proavum suum D. Polycarpum Lyserum Electori Saxoniæ a Consiliis Ecclesiasticis, Confessionibus & Concionibus Aulicis Primariis adversus Arnoldi historias vindicat Lipsiæ 1704. TOBIÆ PFANNERI, qui etsi Arnol-

noldum quodammodo excuſare ſatagat, non omnia tamen, quæ Arnoldus in ſua hiſtoria eccleſiaſtica effutiit, probare audet, unpartheyiſches Bedencken über Arnolds unpartheyiſche Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie ſambt deſſen kurtzer Beantwortung / und darauf erſtatteter Erläuterung / Gothæ A. 1701. Autor der Monatlichen Auszüge A. 1702. Menſ. Jun. Autores des Alten und Neuen 1701. p. 102. ſeq. ut alia ſcripta Arnoldo oppoſita taceamus. Vir quidam Celeberrimus in prooemio ad Examen novæ Theologiæ hunc Arnoldum hiſtoriæ hæreticæ conditorem facundum ſed virulentum, ac conciliorum œcumenicorum hoſtem capitalem vocat. Addit tamen ſe jam de eo meliora ſperare, poſtquam in gratiam cum noſtra eccleſia rediit, & teſſeræ ejus h. e. Auguſtanæ Confesſioni ſub religione juramenti ſubſcripſit. Bonum id factum, niſi forte Arnoldus idem cum Poireto ſentiat, qui ſtatuit, religionem in animo conſiſtere non in externo opere, ideoque hominem ſalva conſcientia aliam religionem externa profeſſione ſimulare, & aliam corde amplecti poſſe. Inter Patronos Arnoldi eſt ejusdem furfuris Scriptor PETERSENIUS, qui inter alia ſcripto quodam germani-

co Untersuchung &c. quod A. 1701. Francofurti prodiit, pudendum falsi crimen ab Arnoldo sciente & volente in vertendis nonnullis Dannhaueri verbis commissum fuisse contra manifestam veritatem & suam ipsius conscientiam negare non veretur.

LXIX. Præter historiam suam ecclesiasticam & hæreticam in 4. partes divisam idem Arnoldus Francofurti A. 1703. vulgavit *Supplementa*, *illustrationes* und *emendationes* zur Verbesserung der Kirchen-Historie. Annexæ sunt huic Supplemento Anonymi cujusdam observationes sub titulo: aufrichtige Anmerckungen über die bißher erregten Streitigkeiten wegen der Kirchen- und Ketzer-Historie des Herrn Arnolds / nec non Herrn **Volckmeyers** über Hn. Arnolds Kirchen- und Ketzer-Historie von Zacharias Götzen / Rectore der Oßnabrückischen Schule heraus gegeben. Neque hic tacendum *compendium historiæ ecclesiasticæ* ab Arnoldo adornatum. Prodiit enim Lipsiæ A. C. 1708. Gottfried Arnolds kurtzgefaßte Kirchen-Historie des alten und neuen Testaments / quod compendium antea etiam Anno 1697. & 1700. ibidem lucem aspexit.

LXX.

LXX. D. JOH. WILHELMI ZIEROLDI tractatum, qui inſcribitur: Einleitung zur gründlichen Kirchen-Historie / mit der Hiſtoria Philoſophica verknüpffet / & A. 1700. Stargardiæ prodiit, ut & alteram partem, cujus titulus: gründliche Kirchen-Historie von der wahren und falschen Theologie, anderer Theil A. 1703. Francofurti vulgatam, hoc loco commemorare operæ pretium vix eſt. Cui plura de illa cognoſcere lubet, is Maxime Reverendi Bucheri Menſes adeat.

LXXI. Adolphus Clarmundus in quæſtionibus ſuis de hiſtoria eccleſiaſtica, quas germanice haud ita pridem edidit, inter recentiores hiſtoriæ eccleſiaſticæ Scriptores refert etiam D. MATTHIAM ZIMMERMANNUM ob amœnitates hiſtoriæ eccleſiaſticæ ab eo editas. Verum iſtæ amœnitates hiſtoriæ eccleſiaſticæ nihil aliud ſunt, quam Dorothei Aſciani (ſub quo nomine Matthias Zimmermannus latere voluit) tractatus de montibus pietatis. Cum enim ille tractatus ſub hoc titulo paucos emtores inveniret, Typographus ut ſcriptum hoc lectu non indignum vendibilius faceret, titulum mutavit. Quamobrem

non eſt, ut in hoc tractatu hiſtoriam aliquam eccleſiaſticam quæramus, etſi multa hiſtoriæ eccleſiaſticæ inſervientia, imprimis quoad papatum, in eo reperiantur.

LXXII. D. Casparis Sagittarii indiculus hiſtoriæ eccleſiaſticæ A. C. 1698. Jenæ editus in Clarmundi quæſtionibus p. 103. ab egregia methodo & eruditione commendatur. Verum in catalogo Scriptorum Sagittarii, vel ab ipſo editorum, vel poſt ejus mortem a Summe Reverendo Abbate Mariævallenſi D. Joh. Andrea Schmidio edendorum, nullam illius indiculi mentionem invenio. Quamobrem neſcio an forte Clarmundus ad Sagittarii introductionem in hiſtoriam eccleſiaſticam reſpexerit, quæ tamen non A. 1698. ſed 1694. Jenæ prodiit.

LXXIII. In hac ipſa Sagittarii introductione c. 15. inter Scriptores hiſtoriæ eccleſiaſticæ univerſales recenſetur Philippus Ludovicus Authæus, cujus index hiſtoriarum in religionis negotio geſtarum Francofurti 1675. lucem aſpexit, Martinus Nesselius, qui ex Cluverii epitome compendium hiſtoriæ eccleſiaſticæ adornavit, Rinthelii excu-

cuſum A. 1614. & ANONYMUS, cujus breviarium hiſtoriæ eccleſiaſticæ chronographicum Francofurti A. 1689. prodiit. In eadem introductione c. 17. inter Pontificios hiſtoriæ eccleſiaſticæ univerſalis Scriptores memoratur ARNOLDUS MERMANNUS, qui tamen eam tantum hiſtoriæ eccleſiaſticæ partem, quæ de converſionibus gentium agit, tractavit, quæ hiſtoria Antverpiæ A. 1563. & 1572. ſeorſim, & in chronico chronicorum Eccleſiaſtico-Politico prodiit per Johannem Gualtherium Belgam, ſeu Janum Gruterum collecto, cujus tomo primo pag. 96. hoc Mermanni ſcriptum legitur tali ornatum titulo: *Theatrum converſionis gentium totius orbis, ſive Chronologia de vocatione omnium populorum, & propagatæ per univerſum orbem fidei chriſtianæque religionis deſcriptio, autore Arnoldo Mermanno.* In eodem Sagittarianæ introductionis capite recenſentur AUGUSTINI MANNI ſelectæ hiſtoriæ rerum in eccleſia, Romæ A. 1612. editæ; & MATTHIÆ CHEFNEUX catholicæ eccleſiæ ab origine mundi ad Chriſtum, & a Chriſto usque ad noſtra tempora ſpeculum A. 1662. & 1666. impreſſum.

LXXIV.

LXXIV. JOHANNIS RIOCHÆ Compendium temporum & hiſtoriarum ab aſcenſione Domini in cœlum usque ad annum 1576. Pariſiis editum memorat Waddingus *in bibliotheca Scriptorum ordinis Minorum p. 224.* JACOBI GAULTERII tabulam chronographicam ſtatus eccleſiæ catholicæ a Chriſto nato usque ad annum 1614. Lugduni A. 1609. & ſæpius tam in Gallia, quam alibi editam Sotwelli bibliotheca Jeſuitica *p. 365.* prodit. Eadem bibliotheca *pag. 368.* commendat JACOBI GRANDAMICI chronologiam chriſtianam de Chriſto nato, & rebus geſtis ante & poſt nativitatem, cujus editio ſecunda Pariſiis 1668. tribus voluminibus prodiit.

LXXV. Pertinet huc etiam libellus minutis characteribus Hamburgi A. 1693. impreſſus, quo ſtatus eccleſiæ orientalis & occidentalis, concilia generalia & particularia, ut & Scriptores eccleſiaſtici, nec non ſchiſmata, hæreſes & opiniones ab eccleſia damnatæ, lectoris conſpectui exhibentur. Autor hujus conſpectus chronologici eſt GULIELMUS MARCELLUS Pontificiæ religioni addictus, ideoque Luthero & evangelicæ eccleſiæ mi-

minus æquus, quem tamen alias ob novam eamque non injucundam methodum laude sua non defraudari cupit latinus hujus opusculi interpres.

LXXVI. FRANCISCUS a S. AUGUSTINO MACEDO Lusitanus, Jesuitico primum ordini addictus, sed postea in Fratrum Minorum sodalitium se conferens, Magister Conimbricensis, Lector sui Ordinis Jubilatus, Exlector Regius Madriti, Romæ in Collegio de propaganda fide & in Sapientiæ Collegio Theologiæ & historiæ ecclesiasticæ Professor, Exqualificator S. Officii Romani, Concionator & Consiliarius Regis Christianissimi, Lusitaniæ Regis Historicus Latinus, Civis Venetus, & in extrema senectute Publicus in Academia Patavina Professor, præter alia scripta, quæ ab Alegambio & Sotvvello in Bibliotheca Jesuitica, & Nicolao Antonio *in bibliotheca Hispana tom. I. p. 236.* & a Gregorio Leti *in Italia regnante part. 3. pag. 192. seq.* recensentur, edidit *Medullam historiæ ecclesiasticæ emaculatam, emdullatam & vindicatam. Patavii typis Petri Mariæ Frambotti 1671. in fol.* Est autem hic tractatus idem plane,

m

ne, excepto titulo & dedicatione, cum illo, quem antea ediderat ſub hoc titulo: *Aſſertor Romanus, ſeu Vindiciæ Romani Pontificis & Pontificatus, Romæ A. C. 1666. per Mancinum in fol.*

LXXVII. Veteris Teſtamenti annales ſacros, & ex profanis præcipuos, ab O. C. usque ad Chriſti paſſionem, duobus tomis comprehenſos ſcripſit AUGUSTINUS TORNIELLUS, qui hos annales poſt primam editionem Mediolanenſem, & duas Francofurtenſes, in quarta editione, quæ ex Plantiniana officina Antverpiæ A. 1620. emiſſa eſt, mendis quibusdam expurgavit, & nonnullis additamentis locupletavit.

LXXVIII. Torniellum æmulatus Jeſuita JACOBUS SALIANUS annales eccleſiaſticos Veteris Teſtamenti ab orbe condito usque ad Chriſti nativitatem, connexis annalibus imperii Aſſyriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum atque Romanorum in ſex tomos digeſſit, qui Pariſiis A. 1618. & ſequentibus, & poſtea etiam Coloniæ A. 1620. in lucem prodierunt. Ego quarta editione utor Pariſiis A. 1641. impreſſa, quæ ſecundis ipſi-

ipſius autoris curis auctior & melior in titulo dicitur. Epitome horum annalium prodiit Pariſiis A. 1635. Enchiridium autem, ſeu annalium illorum & ipſius epitomes medulla Coloniæ 1638. Flavium Joſephum in his annalibus paſſim exagitat Salianus, rationesque reddit in præfatione ad lectorem, quæ ſecundo tomo præfixa legitur. Verum hanc ipſam ob cauſam Salianus a Viris quibusdam doctis male audit, quod in ipſius annalibus per omnes fere paginas Joſephi reprehenſio utramque paginam faciat.

LXXIX. Neque hic tacenda CHRISTIANI SCHOTTANI hiſtoria ſacra V. T. ſeu exercitationes hiſtoricæ in ſacram Scripturam & Joſephum, per modum commentarii in hiſtoriam ſacram Sulpitii Severi, quoad illam partem, quæ ad vetus teſtamentum ſpectat. Diſtributa autem eſt hæc Schottani bibliotheca in duos tomos, quorum primus ab Adamo ad Moſen, ſecundus a Moſe ad Chriſtum, ſeu everſam ab Herode Haſſanonæorum dominationem procedit. Impreſſum eſt hoc opus Franekeræ A. C. 1661. quo primus

mus tomus prodiit, & 1664. quo ſecundus tomus lucem publicam adſpexit.

LXXX. Inſignem quoque induſtriam in annalibus V. T. digerendis exhibuit JACOBUS USSERIUS Armachanus Archiepiſcopus, qui ultra etiam progreſſus annales ſuos a prima mundi origine usque ad extremum templi & reipublicæ Judaicæ excidium deduxit. Impreſſa eſt prior annalium veteris Teſtamenti ab Uſſerio conſcriptorum pars Londini A. 1650. altera autem pars, quæ Maccabæorum & N. T. hiſtoriam complectitur, ibidem 1654. impreſſa eſt, ut teſtatur index Scriptorum Uſſerii, quem Gulielmus Bateſius in vitis ſelectorum quorundam virorum a ſe collectis & editis exhibet *p. 749.* Conjunctim annales V. & N. Teſtamenti impreſſi ſunt Pariſiis A. C. 1673. cui editioni ſubjuncta eſt ejusdem Uſſerii chronologia ſacra poſt mortem Autoris a Thoma Barlow Oxoniæ 1660. ſeorſim edita.

LXXXI. Breviori libello, qui Londini A. 1685. impreſſus eſt, ANTONIUS LE GRAND hiſtoriam a mundi exordio ad Conſtantini M. usque tempora deduxit, ut ANTO-

TONII BOLERANI Florum ſanctum ab orbe condito usque ad Chriſti tempora Pariſiis A. 1674. editum, quem a Mabillonio in tractatu de ſtudiis monaſticis inter libros ſelectos bibliothecæ eccleſiaſticæ referri video, & alios taceamus.

LXXXII. JACOBI CAPELLI hiſtoria ſacra & exotica ab Adamo usque ad Auguſti ortum Sedani A. 1612. lucem publicam aſpexit. Eſt autem illa hiſtoria quoad priores annos ab initio rerum usque ad annum ante Chriſtum 521. in codice, qui manuſcriptus ſupereſt, longe auctior, ut Jacobi illius Capelli ex Fratre Ludovico nepos, Jacobus Capellus junior indicat in indice Scriptorum Patris & Patrui ſui, quem novellis eorum operibus a ſe nuper editis præfixit. Ubi etiam inter inedita Jacobi Capelli ſcripta refertur ejus hiſtoria eccleſiaſtica ab ortu Chriſti usque ad annum 848. quæ multis in locis mutila dicitur, nec non ejusdem Jacobi Capelli hiſtoria Chriſti & Apoſtolorum quatuor voluminibus comprehenſa, ab anno ante natum Chriſtum 7. usque ad annum Chriſti 70. & aliquot ſequentes. Sed omiſſis ineditis illis

Jacobi Capelli ſcriptis referre potius convenit hiſtoriæ eccleſiaſticæ centurias 5. ab Auguſti ortu usque ad Valentinianum III. cui præmiſſa eſt ſynopſis hiſtoriæ ab O. C. usque ad annum Chriſti 1622. quo anno illæ centuriæ Sedani in lucem prodierunt. Conferatur de Jacobo Capello Colomeſii *Gallia Orientalis pag. 157.*

LXXXIII. Haud ſegnius in ſtudio hiſtoriæ eccleſiaſticæ laboravit Jacobi frater LUDOVICUS CAPELLUS. Huic enim debemus chronologiam ſacram ab orbe condito ad eundem reconditum, indeque ad ultimum Judæorum excidium deductam, quæ Pariſiis 1655. edita, iterumque Londini in apparatu ad Biblia polyglotta Waltoni, quin etiam ſeorſim Tiguri A. 1673. lucem publicam adſpexit. Debemus præterea eidem Ludovico Capello hiſtoriam apoſtolicam illuſtratam, cum compendio hiſtoriæ Judaicæ, Genevæ A. 1634. & Londini in Bibliis Criticis tom. 9 impreſſam.

LXXXIV. Hiſtoriam eccleſiaſticam in dramate quodam ſacro, quod Chriſteidem inſcripſit, partim ænigmatice, partim aper-

aperto commentario delineavit D. JOHANNES CONRADUS DANNHAUERUS, cujus operis primus tantum actus, triſecularem eccleſiæ ſortem, a Chriſto in cœlos ſublimato usque ad Conſtantinum M. in throno terreſtris victoriæ conſidentem exhibens, lucem publicam adſpexit Argentorati 1646. editus. Reliqui actus penes ejus Diſcipulos & hæredes manuſcripti aſſervantur

LXXXV. Eorundem trium ſeculorum hiſtoriam eccleſiaſticam a Chriſto usque ad Conſtantini in eccleſia geſta totidem libris pertractavit CONRADUS HORNEJUS, qui tamen compendium ſuum hiſtoriæ eccleſiaſticæ Brunſuici A. 1649. editum non a Chriſti adſcenſione, ſed a Chriſti nativitate auſpicatur.

LXXXVI. Quatuor priorum ſeculorum antiquitates BALTHASAR BEBELIUS edidit, in quibus de Scriptoribus eccleſiaſticis, miniſterio, doctrina, diſciplina, ritibus, conciliis, perſecutionibus, hæreſibus, aliisque rebus ad eccleſiaſticam hiſtoriam ſpectantibus concinno ordine diſſerit, ac poſtremo Pontificiorum aliorumque adverſariorum argumen-

menta ex ſeculorum illorum Scriptoribus petita nervoſe confutat. Antiquitates trium priorum ſeculorum conjunctim uno volumine Argentorati A. 1669. prodierunt. Antiquitates autem quarti ſeculi in duos tomos diſtributæ ſunt, quorum prior A. 1679. poſterior 1680. in lucem prodiit. Neque hic ſilentio prætermittendæ ſunt ejusdem antiquitates Evangelicæ & Judaicæ ex quatuor Evangeliſtis erutæ, & ex Patribus illuſtratæ; ut hiſtoriam eccleſiæ antediluvianæ, & Noachicæ ab eodem conſcriptam taceamus.

LXXXVII. Quinque ſeculorum hiſtoriam eccleſiaſticam, cui tamen etiam civilis jungitur tribus tomis dedit JOHANNES HENICHIUS, quorum primus tria prima ſecula complectens A 1669. ſecundus de quarto ſeculo agens 1670 & tertius isque poſthumus, qui quinti ſeculi hiſtoriam continet, 1674. Rinthelii prodiit. Adjuncta eſt tomo 2. appendix ſatis prolixa in uſum eorum, qui homileticam artem excolunt, plurima Chryſoſtomi dicta exhibens.

LXXXVIII. D. JUSTI SOEFFINGII Superintendentis Rudolſtadiani Schvvarzburgici

gici historia quinquesecularis, seu rerum in ecclesia & politia christiana gestarum per secula a Christo nato V. Jenæ A. 1674. prodiit. Idem etiam historiam seculorum sequentium usque ad sec. XVI. elaboravit. & per modum disputationum in Gymnasio Rudolstadiensi habitarum edidit.

LXXXIX. Sulpitii Severi, inter veteres historiæ ecclesiasticæ Scriptores non ignobilis, a Juliani imperio usque ad Henricum Aucupem continuavit CHRISTIANUS SCHOTTANUS, quæ continuatio impressa est Franeckeræ A. 1656. Alia Sulpitii Severi continuatio usque ad Caroli V. imperium ex Sleidani libris de quatuor summis imperiis adornata Lugduni Batav. A. 1626. in publicam lucem prodiit.

XC. Cum apparatu Theologico GEORGII CALIXTI Helmstadii A. 1661. impressa est historia ecclesiæ occidentalis per octavum & sequentia aliquot secula.

XCI. Commentarium de rebus seculi IX. & X. Argentorati An. 1656. vulgavit JOH. HENRICUS BOECLERUS, qui tamen commentarius non tantum in ecclesiasticis, sed etiam in civilibus rebus occupatur. Methodus, qua

utitur, hæc est, ut per seriem Germanicorum Cæsarum a Carolo M. usque ad Ottonem III. procedat.

XCII. JACOBI USSERII tractatus de christianarum ecclesiarum in Occidentis præsertim partibus successione & statu Londini A. 1613. Hannoviæ A. 1656. iterumque Londini una cum antiquitatibus ecclesiæ Britannicæ, seu tractatu de primordiis ecclesiæ Britannicæ A. 1687. prodiit

XCIII. Historiam ecclesiasticam seculi XV. in thesauro antiquitatum, seu opere historico, quod Francofurti A. 1662. lucem publicam adspexit, pertractavit ELIAS EHINGERUS. Intelligit autem per seculum XV. illud tempus, quod ab anno 1500. usque ad 1600. fluxit, & rectius seculum XVI. dicitur. Cæterum in hoc thesauro id imprimis agit Autor, ut doctrinam seculi XVI. cum doctrina priorum seculorum conferat, variasque disputationes cum adversariis instituat.

XCIV. Historiam ecclesiasticam seculi XVI. in tabulis Rostochii A. 1690. impressis repræsentavit, & elegantem dissertationem de ubertate & fructu, qui ex historia illius seculi

culi

culi redundat, præmiſit Celeberrimus Roſtochienſis Academiæ Theologus D. JOHANNES FECHTIUS, qui etiam ſimiles tabulas chronologico-hiſtoricas ab anno 1541. usque ad annum 1613. edidit in Supplemento hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſeculi XVI. ſeu ſyntagmate epiſtolarum a plurimis Theologis ad Marbachios ſcriptarum, quod præmiſſo inſigni ad has epiſtolas apparatu Durlaci A. 1644. lucem publicam adſpexit.

XCV. Annalium Evangelii renovati decadem I. ab anno 1516. usque ad annum 1526. Heidelbergæ A. 1618. vulgavit Calvinianarum partium Theologus ABRAHAMUS SCULTETUS, qui etiam 1620. ſecundam decadem ab anno 1526. usque ad annum 1536. adjunxit.

XCVI. Hiſtoriam Lutheraniſmi ſeu eccleſiæ Reformatæ libris 6. deſcripſit LUDOVICUS MAIMBURGIUS ob alia quædam ſcripta, quibus Innocentium XI. offendit, Jeſuitarum ſocietate, cui per 55. annos addictus fuerat, excluſus, ut ipſe in præfatione ad hiſtoriam Calviniſmi memorat. Tres priores libros ex Lutheraniſmi hiſtoria latine reddidit, & ſimul confutavit, eaque occaſione hiſtoriam eccle-

ſiaſticam ſeculi decimi ſexti ab anno 1517. usque ad annum 1546. quo Lutherus obiit, egregie illuſtravit Illuſtris SECKENDORFIUS, cujus commentarius de Lutheraniſmo A. 1692. Lipſiæ prodiit, cum prior ejus pars multis poſtea acceſſionibus locupletata jam anno 1688. prodiiſſet.

XCVII. De ſtatu religionis & reipublicæ ſub Caroli V. imperio ab initio reformationis libros 26. ex archivo Argentoratenſi aliisque actis publicis compoſuit JOHANNES SLEIDANUS. Quem ita hoc opus elaboraſſe Carolus V. judicavit, quaſi aut Sleidanus ſuus Cancellarius, vel Cancellarii ſui arcanorum ſuorum apud Sleidanum proditores fuerint, quod certis autoribus ſibi conſtare aſſerit Berneggerus in demolitione idoli Lauretani, etſi Poſſevinus *in bibliothecæ tomo 2. p. 404.* Carolum V. ſæpe de Sleidano dixiſſe referat: *nebulo ille mentitur*. Strenue vero etiam mentitus eſt Bartholomæus Latomus, qui ſe probaturum jactavit, quod errorum undecim millia in Sleidani hiſtoria reperiantur. Prodiit hoc Sleidani opus primum Argentorati A. 1555. ex officina Riheliana. Secuta eſt mox editio

Ant-

Antverpienſis ex officina Simonis a Boſco, addidis notis marginalibus, quæ editio invito Sleidano & inſcio prodiit. Secundæ Argentoratenſis editionis, quæ vivo adhuc Sleidano prodiit, meminit Hortlederus in præfatione Actorum belli Germanici, in qua Sleidani cauſam prolixe egit. In alia Argentoratenſi editione, quæ poſt Sleidani mortem iterum ex officina Riheliana prodiit, acceſſit liber 26. qui hactenus deſideratus fuerat, & apologia Sleidani Cochleo aliiſque obtrectatoribus oppoſita; Notæ marginales, quæ ab ipſo Sleidano compoſitæ non fuerant, in eadem editione correctæ, & nonnunquam aliæ ſubſtitutæ ſunt. In editione Argentoratenſi anni 1578. Michaelis Beutheri commentarii, & Juſtini Gobleri ſummaria ſingulorum capitum acceſſerunt, ut Hertzius in tractatu de Scriptoribus rerum Germanicarum *part. 2. ſect. 2.* indicat. Et hinc forte Varilaſius occaſionem arripuit obtrectandi, quaſi editiones Sleidani ſæpius mutatæ & interpolatæ fuerint, quem aliosque Sleidani obtrectatores refutat Seckendorfius in additione I. ad præloquium ad hiſtoriam Lutheraniſmi, & in ſcholiis ſive ſupplementis ad in-

dicem hiſtoricum ſect. 71. Laudaverit ne an vituperaverit Sleidanum Carolovitius dicere ſolitus Sleidani hiſtoriam omnem ſuperiorum hiſtoricorum fidem ſibi adimere, in medio relinquit Thomas Pope Blount in tractatu, quem cenſuram celebriorum Autorum inſcribit, pag. 444. Verum ſi Dreſſeri orationem de uſu hiſtoriarum legiſſet, quam ibidem allegavit, & qui illud Carolovitii judicium p. 645. allegavit, non laudantis, ſed vituperantis illa verba fuiſſe, ignorare non potuiſſet. Cæterum quanti hæc Sleidani hiſtoria a plurimis habita fuerit, vel inde judicare licet, quod non ſolum toties impreſſa, ſed etiam in Germanicam, Belgicam, Gallicam, Italicam, & alias linguas translata fuerit.

XCVIII. Continuatio Sleidani usque ad annum 1618. ſub nomine GOTTHARTI ARTHUSII Francofurti prodiit. Verum eam, cum ab Arthuſii Mercurio Gallo-Belgico ſæpe diſcrepet, magnaque ex parte Gallicam Rudolphi Bothereji hiſtoriam exprimat, Autori huic ſuppoſitam ſuſpicatur OSEAS SCHADÆUS, qui germanicam Sleidani verſionem recognovit, & continuationem usque ad annum

num 1620. addidit, cujus priores libri ex Michaele Beuthero, & Conrado Lauterbachio, qui & ipsi Sleidanum continuaverant, concinnati, posteriores ab ipso Schadæo elaborati sunt. Prodiit Sleidanus hic Germanicus cum suis continuationibus Argentorati A. 1625. Aliam Sleidani continuationem MICHAEL CASPAR LUNDORPIUS usque ad annum 1610. deduxit; cui continuationi addi possunt ejusdem Lundorpii libri duo de bello sexennali civili Germaniæ, seu commentariorum de statu religionis & reipubl. ab anno 1617. usque 1622. editi Francofurti A. 1622. Neque hic tacendus HENRICUS PANTALEON, qui non solum Sleidani historiam primus in vernaculam linguam transtulit, quod postea a Beuthero quoque & aliis factum est, verum etiam tribus libris latine & germanice Sleidanum continuavit, ut ipse ad calcem prosopographiæ suæ testatur. Arthusius autem paulo ante memoratus etiam Mercurium suum Gallo-Belgicum Sleidano succenturiatum dicit, eumque ab anno 1555. quem Sleidani ultimum esse dicit, incipit. Impressus est primus tomus Francofurti A. 1609. reliqui tomi, qui plures numero sunt, annis sequentibus.

XCIX.

XCIX. Inter Sleidani adverſarios fuit LAURENTIUS SURIUS, cujus commentarii rerum in orbe ſuo tempore geſtarum Coloniæ 1568. & 1574. quousque ejus hiſtoria pervenit, impreſſi ſunt, Gallico etiam & Germanico idiomate donati. Exagitat hanc Surii hiſtoriam Autor libelli Germanici, qui inſcribitur der Bienen Korb *part. 5. c. I. p. 194. ſeq.* Contra hoc opus commendat Andreas de Sauſſay aſſerens, quod Surius hunc librum tanquam antidotum Johannis Sleidani hiſtoriæ oppoſuerit, eique ſilentium perenniter impoſuerit. Scilicet Sleidano ſilentium Surius haud difficulter imponere potuit, qui Sleidano jam pridem mortuo hiſtoriam ſuam evulgavit.

C. JOH. HEINRICI BOECLERI de rebus ſeculi poſt Chriſtum natum 16. liber memorialis cum commentario A. 1685. Argentorati prodiit, iterumque Kilonii 1697. cum ſupplementis JOH. BURCHARDI MAJI, Eloquentiæ & Hiſtoriarum in Kilonienſi Academia Profeſſoris, qui etiam plurima prioris editionis menda emaculavit. Ubi obiter noto, extare etiam Bœcleri hiſtoriam univerſalem quatuor primorum ſeculorum, a Joh. Gottlieb Möl-

lero

lero Roſtochii A. 1695. in 4to & Sedini A. 1699. a D. M. Fr. in 8vo editam. Utrique editioni præmiſſa eſt Summe Reverendi D. Johannis Fechtii præfatio iſagogica, ubi inter alia Bœcleri hiſtoriam univerſalem ab orbe condito usque ad Chriſti nativitatem A. 1680. Argentorati editam memorat, ſed tantum tres priores mundi ætates ab exordio mundi usque ad regnum Davidis complexam, cum cæterarum editio promiſſa quidem, ſed fides nondum liberata fuerit.

CI. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ compendium a reformatione Zwinglii & Lutheri ad noſtra usque tempora, vulgavit D. JOHANNES ANGELUS BERNIERA Italus Ultrajecti ad Rhenum A. C. 1703.

CII. In hiſtoria eccleſiaſtica ſeculi XVII. edenda occupatus fuit JOH. WOLFGANGUS JÆGERUS Theologus Tubingenſis celeberrimi nominis, ut & Cancellarius & eccleſiæ Præpoſitus, qui primum hujus ſeculi decennium A. 1691. ſecundum 1692. & tertium 1693. Tu-

bingæ vulgavit. Inter autores, quibus usus est, commendat Nanum, qui historiam suam ab anno 12. hujus seculi exorsus usque ad annum 72. Italico idiomate continuavit. Titulus primi decennii est: *Historia ecclesiastica seculi decimi septimi, in qua fata ecclesiæ Protestantium indicantur, Conclavia Pontificum Romanorum omnia referantur, diversi motus & schismata in eccles. Christ. & inprimis Syncretismus, Naturalismus, Bohemismus, Borrismus, Quietismus, Arminianismus, Amyraldismus, Jansenismus, Cartesianismus, Coccejanismus: recentesque in Gallia & Anglia controversiæ ob oculos dilucide ponuntur: cum parallelismo profanæ.* Eodem titulo gaudet decennium secundum. Tertii autem decennii titulus ita se habet: *Historiæ ecclesiasticæ cum parallelismo politicæ seculi XVII. decennium III.*

CIII. Integram seculi XVII. historiam ecclesiasticam scripsit Dn. ANDREAS CAROLI Abbas San-Georgianus in Ducatu Wirtembergico sub titulo: *Memorabilia ecclesiastica seculi a nato Christo decimi septimi, juxta*

ta

ta annorum seriem notata & convenienti ordine digesta. Tomus I. qui anterius hujus seculi dimidium exhibet, A. C. 1697. Tomi II. pars prima, quæ duo dimidii posterioris decennia complectitur, A. 1698. pars secunda itidem duo decennia continens 1699. & tertia denique pars, quæ circa ultimum decennium occupatur, A. 1702. Tubingæ prodiit.

CIV. Memoriarum ecclesiasticarum Tomum I. Gallico idiomate Parisiis A. C. 1690. vulgavit Abbas ROQUIUS. In his memoriis primum de ecclesiæ amplitudine, ejusque extra & intra Europam propagatione, deinde vero de Reformatorum in Gallia persecutione, quam conversionem appellat, aliisque rebus memorabilibus, quæ anno 1685 & 1686. contigerunt, agit. Errata quædam hujus operis notantur in actis erudit. *A. 1691. p. 153. seq.* E quibus etiam cognosci potest VARILASII opus de revolutionibus Europæ ob religionem, quod recensetur in actis A. 1686. 1687. 1691; item BOSSUETI historia de variationibus Protestantium, relata in actis 1689. & refutata a

Basnagio adversus quem Bossuetus suam historiam postea defendere conatus est. Quorsum etiam BURNETI scripta spectant Varilasio & Bossueto opposita, quorum summa itidem in actis eruditorum recensetur.

CV. Recensui hactenus recentiores historiæ ecclesiasticæ Scriptores præcipuos, quorum aliqui, etsi civilem historiam non plane omiserint, majorem tamen ecclesiasticæ quam civilis rationem habuerunt. Quod si addere vellemus illos, qui civilis historiæ non minorem aut etiam majorem quam ecclesiasticæ habuerunt, sive plura secula recensuerint, ut Calvisius in opere suo chronologico, Helvicus in suo theatro, Raynaudus in tabulis chronologicis, & breviario historiæ sacræ & humanæ, Cluverus in epitome historiæ universalis, Jonstonus in suo Polyhistore, ut & in compendio historiæ civilis & ecclesiasticæ, Dresserus in Isagoge historica, Sleidanus in tractatu de IV. Monarchiis, Matthias in theatro historico, Petavius in rationario temporum, Boxhornius in historia universali, Lætus

tus in compendio historiæ universalis, Christianus Weisius Gymnasii Zittaviensis Rector, dum viveret, optime meritus, nunc beate defunctus, Fautor Compater & Amicus meus æstimatissimus, in tabulis chronologicis, Samuel Basnagius in annalibus ecclesiastico-politicis, quorum tres priores tomi a Christo nato usque ad annum Christi 602. excurrunt, & plures alii, sive brevius temporum spatium emensi fuerint, ut Julius Cæsar Bulengerus, Paulus Jovius, Jacobus Augustus Thuanus, aliique, qui tantum sui temporis historias scripserunt, præfatio hæc ipsum tractatum chartarum numero vel æquatura vel superatura esset. Quamobrem hæc de recentioribus historiæ ecclesiasticæ Scriptoribus dixisse sufficiant. Unicum adhuc moneo, nempe quod Christeidos Dannhauerianæ, cujus actus primus supra th. 84. a nobis recensitus est, secundus actus alteram trisecularem ecclesiæ sortem, a Constantino M. usque ad triumphum Hera-

clii Imperatoris exhibens, haud ita pridem Havniæ A. C. 1708. ex Manuſcripto codice, cura Joh. Frid. Wandalini prodierit, optandumque eſt, ſi qui reliquas hujus ſacri dramatis partes in ſcriniis ſuis habent, ut illas quoque publico non invideant.

CVI. Præſens, quem Juventuti hiſtoriæ eccleſiaſticæ Studioſæ conſecro, tractatus ad hiſtoriam primi ſeculi eccleſiaſticam pertinet, cujus aliqua capita ſelecta pertractantur. Et *primum* quidem caput de Scriptoribus eccleſiaſticis primi ſeculi agit, quorum plerique pſeudepigraphi ſunt & ſuppoſiti. Unde Pontificii non audiendi ſunt, cum falſæ ſuæ doctrinæ antiquitatem ex ejusmodi ſcriptis ſtabilire ſatagunt, Gibeonitis illis ſimiles, qui cum ad Joſuam accederent, ſe ex longinquis regionibus advenisse ſimulabant, ideoque verbis ad fraudem compoſitis mucidos quos in peris ſuis gerebant panes, & detritos, quos pedibus ſuis adaptaverant,

rant, calceos ostentabant. Quod autem nihil scriptorum præter apostolica & canonica ex primo seculo integre & sine suspicione falsi, vel interpolationis argumentis ad nos pervenit, Viri quidam docti divinæ providentiæ tribuunt, quæ prospicere voluit, ne ob vicinitatem temporum alia si extarent, cum Apostolicis confunderentur, & magis æstimarentur humanitus quam divinitus scripta. Cæterum variæ fuerunt causæ, cur ævo apostolico pauci admodum libris scribendis operam dederint, quas recenset Maxime Reverendus Dn. D. Schmidius in programmate de Historicis rerum sacrarum deperditis, quod ejus compendio historiæ ecclesiasticæ N. T. præfixum est. *Secundum* tractatus mei caput agit de conciliis primi seculi, quæ omnia, uno Hierosolymitano excepto, vel conficta, vel congressibus potius qualibuscunque, quam conciliis proprie sic dictis annumeranda sunt. Capite *tertio* in plures sectiones distributo perlustro doctrinam, quæ scriptis ecclesiasticis primi seculi si-

ſive genuinis, quæ forte rectius interpolata dicerem, vel ſuppoſitis continentur. *Quartum* caput inſcribitur de Hierarchia eccleſiaſtica variiſque inſtitutis, ritibus & cerimoniis primi ſeculi, ubi imprimis primatus Petri & Pontificum Romanorum impugnatur, & inſtituta quædam primo ſeculo perperam afficta memorantur. Quæ autem Centuriatores Magdeburgenſes *cent. I. libr. 1. & 2.* utrobique cap. 6. & 7. de primi ſeculi politia & gubernatione eccleſiæ, variiſque ritibus & ceremoniis, ex Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis collegerunt, repetere hic noluimus. *Quintum* caput de hæreſibus tractat, in quo tanto breviori mihi eſſe licuit, quod jam olim diſſertationem de hæreſiarchis primi ſeculi ediderim. *Sextum* caput perſecutiones & Martyres præcipuos recenſet. *Septimum* denique circa alias perſonas & res primi ſeculi memoratu dignas verſatur.

CAPUT I.

CAPUT I.

De *Scriptoribus & scriptis ecclesiasticis seculi primi.*

I.

ABGARI AD CHRISTUM EPISTOLA CUM EPISTOLA CHRISTI RESPONSORIA legitur apud Eusebium *libr. 1. hist. eccles. c. 13.* Nicephorum *libr. 2. c. 7. hist. eccles.* & alios, inter quos Constantinus Porphyrogenneta in narratione de Edessena Christi imagine per Combefisium edita *p. 79.* epistolæ Christi nonnulla assuit, quæ apud Eusebium non leguntur. De sigillo, quo Christus hanc epistolam obsignasse perhibetur, videatur Cedrenus *Compend. histor. Tom. I. p. 167.* & codex Vindobonensis, de quo a-

git Lambecius *biblioth. Vindobon. Tom. V. p. 9.* In Armenorum lingua epistolæ illæ leguntur apud Clementem Galanum *de conciliatione eccles. Armenæ cum Romana part. I. c. 6.* Persice exhibentur in evangelica Christi historia per Xavierium conscripta *pag. 355. 356.* Arabice apud Gregorium Abul-Pharajum *in historia Dynastiarum p. 71. & 72.* a quo Arabico exemplari plane diversa est Arabica Christi ad Abgarum epistola, quam ex codice MSC. cum versione sua latina exhibet in notis ad Persicam Christi historiam Ludovicus a Dieu *p. 611. & 612.* Prolixius de illis epistolis egi in Dissertatione de pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum, quæ appendici dissertationis de hæresiarchis ævi apostolici & apostolico proximi adjecta est, ubi & varias veterum quorundam Scriptorum de illis epistolis relationes, & recentiorum quorundam lapsus, nec non varia de istis epistolis judicia recensui, illorumque sententiæ accessi, qui hypobolimæas esse statuunt. In alteram partem inclinat Grabius, qui in Spicilegio Patrum *Tom. I. tam in præfatione p. 1. & seq. quam in notis p. 313. seq.* de his epistolis agit, & inter alia rationes, quibus istæ epistolæ impugnari solent, diluere conatur. Verum argumentis, quæ contra γνησιότητα harum epistolarum urgeri possunt, non satisfecisse Grabium, recte judicat doctissimus Fabricius in codice apocrypho N. T. in quo *p. 316. & seqv.* epistolas illas cum scholiis suis exhibet; præter quem conferri etiam poterit Samuel Basnagius in annalibus politico-ecclesiasticis *A. C. 29. n. 37. & seqv.*

II. Sub-

II. Sub B. VIRGINIS MARIÆ nomine tres extant epiſtolæ, una ad Ignatium, altera ad Meſſanenſes, tertia ad Florentinos. Et EPISTOLAM quidem AD IGNATIUM Sixtus Senenſis libr. 2. bibliothecæ ſuæ ſanctæ ſub voce Mariæ, & plerique Ignatianarum epiſtolarum editores vulgarunt. Etſi vero Petrus de Natalibus in *catalog. Sanct. libr. 3. c. 64.* & quidam alii ejus furfuris Scriptores hujus epiſtolæ meminerint, tanti tamen illorum teſtimonia non ſunt, ut contra totius genuinæ antiquitatis ſilentium huic epiſtolæ aliquid autoritatis conciliare poſſint. Vnde fruſtraneus eſt Petri Halloixii conatus, qui *Tom. I. illuſtr. eccleſ. orient. Scriptorum pag. 464.* in quæſtione ſingulari, quam ſuæ pro ſcriptis Ignatii apologiæ ſubnectit, hanc epiſtolam genuinam eſſe contra Baronium, Bellarminum, & Chriſtophorum a Caſtro probare contendit. Sane & ipſe Halloixius ſuis rationibus diffidere videtur. Poſtquam enim multum pro hac epiſtola laboravit, tamen in concluſione liberam cuique, quodcunque in hac re voluerit, ſtatuendi facultatem relinquit. Hac igitur libertate utentes Mariæ epiſtolam ad Ignatium non a beata Virgine, ſed ab impoſtore aliquo ſcriptam eſſe judicamus.

III. EPISTOLAM MARIÆ AD MESSANENSES Hebraice exaratam A. C. 430. in tabulario Meſſanenſi repertam tradit in chronico ſuo Pſeudo-Dexter, qui etiam *ad A. C. 86.* dixerat: *apud Meſſanenſes celebrem eſſe memoriam B. Virginis Mariæ miſſa ipſis ab eadem dulci epiſtola.* Quæ verba explicans

Franciſcus Bivarius in *notis ad Dextrum p. 177.* hanc epiſtolam Hiſpanice & Latine exhibet. Eandem Johannes Baptiſta Laurus commentario ſuo de annulo pronubo inſeruit, ex quo Rivetus *libr. 2. apolog. pro Virg. Maria c. 9.* hanc epiſtolam brevi cenſura addita exhibet. Præter L. Dextrum Adrianus Lyræus in Triſagio Mariano pro hac epiſtola adducit Conſtantinum Laſcarim, qui hebraice ſcriptam, & jam olim græce a Paulo translatam epiſtolam in latinum ſermonem transmiſiſſe perhibetur, ut alios taceam nominatos a Varenio in *rationar. ſec. 1. p. 149.* qui omnes iſtos recentiores eſſe obſervat, quam ut autoritate ſua hanc epiſtolam genuinam eſſe probare poſſint. De Melchioris Incoferi tractatu, quo hanc epiſtolam vindicare conatus eſt, ejusque fatis, & duplici editione egi in diſſertatione de Pſeudepigraphis Chriſti, Mariæ & Apoſtolorum *cap. III. p. 115.* Nec minus pro hac epiſtola pugnant Marcellus Laurus, qui teſtante bibliotheca Jeſuitica concionem de hac epiſtola Meſſanæ habuit, & habitam ibidem A. C. 1642. edidit; Paulus Bellius, qui eadem bibliotheca referente tractatum de gloria Meſſanenſium A. C. 1627. Meſſanæ publicavit, & Benedictus Selvagus, qui ſua pro Meſſanenſium pietate apologia epiſtolam Mariæ ad Meſſanenſes velut nutantem e diſcrimine eripuit, ut Leo Allatius in ſuis ad antiquitatum Etruſcarum fragmenta animadverſionibus *p. 94.* loquitur. Verum omnes hujus epiſtolæ Patroni magno conatu magnas nugas egerunt. Quod probe animadvertens Dux Oſſunæus, cum ipſi in templo Metropolitano hanc epiſtolam oſculandam & adoran-

randam Archiepiſcopus obtuliſſet, Meſſanenſium ſuperſtitionem tacite irridebat, longe rectius, inquiens, B. Virgo rebus noſtris conſuluiſſet, ſi locupletes literas cambii nobis reliquiſſet, quibus ad Turcas profligandos nunc oportune uteremur, ut ex ejus vita per Gregorium Letum deſcripta refert doctiſſimus Fabricius in Codice apocryph. N. T. *p. 846.* Memoriam hujus epiſtolæ Franciſcus Carrera in Pantheo ſuo Siculo recolit d. 3. Jun. *p. 136.* ubi inter alias ineptias autographum hujus epiſtolæ forte a cœlo raptum ſuſpicatur. Quam jacturam ne Meſſanenſes nimium lugerent, Antiſtes quidam Græcus ſpem recipiendi autographi illis fecit, & mox exemplar hujus epiſtolæ hebraice pia fraude ſcriptum ſub lateribus certo loco abſcondit, quam impoſturam poſtea viri religioſi detexerunt, ut narrat Rocus Pirrus in Sicilia ſacra, & ex eo Mabillon *de re diplomatica lib. I. c. 6. p. 25.*

IV. EPISTOLAM MARIÆ AD FLORENTINOS ex Caniſio, Lyræo aliisque Pontificiis Scriptoribus exhibent Varenius *in rationario ſeculi I. p. 148.* & Samuel Andreæ in diſputatione de epiſtolis Mariæ ſub finem, aliique. Et pro hac epiſtola Bivarius in *notis ad Dextrum p. 178.* adducit Hieronymum Savanarolam, qui de hac epiſtola d. 25. Octob. A. C. 1495. concionem ad Florentinos habuit, inter ejus opera editam. Verum operæ pretium non videtur his Mariæ epiſtoliis immorari, quibus commendandis nonnulli Pontificii tantum temporum & chartarum cum oleo & opera perdiderunt.

V. LITURGIAM sub nomine PETRI græce & latine Gulelmus Lindanus Antverpiæ A. 1589. & postea Johannes a S. Andrea Canonicus Parisiensis Parisiis A. 1595. edidit; quæ posterior editio A. 1624. Auctario græco-latino bibliothecæ Patrum Parisiensis tom 2. & bibliothecæ Patrum Parisiensi A. C. 1654. inserta legitur. Hanc Petro suppositam esse prolixe probat Cardinalis Bona *rer. liturg. libr. I. c. 8.* cujus argumenta in dissert. de pseudepigraphis Apostolorum *c. 13. p. 228.* retulimus. Præter Bonam ex Pontificiis hanc liturgiam tanquam spuriam reprobant le Nourry in apparatu ad bibliothecam Patrum Lugdunensem *p. 65. edit. in octav.* Ellies du Pin in *dissert. prælim. ad bibl. diss. 2. c. 6.* Natalis Alexander *hist. eccles. sec. I. part. 1. p. 39.* Labbe *de Scriptor. eccles. Tom. 2.* & alii. Ex Reformatis consuli poterunt Cocus *in censur. Script. eccles. p. 12.* Rivetus *Critici S. libro 1. c. 3.* Mornæus de *Missa libr. 1. c. 2. p. 44.* Ex nostris Gerhardus *Conf. Cathol. Tom. 1. p. 421.* Varenius *in rationario secul. I. p. 121.* & imprimis Dorscheus *in mysaria Missæ pag. 257.* ubi quam infirma sit, quam Lindanus pro hac liturgia scripsit, apologia ostendit. Puto igitur non prius probatum iri, quod genuina sit hæc Petri liturgia, quam cum Jesuita Raynaudus in tractatu de prærogativis pentecostes christianæ probaverit, duce & auspice Petro primam missam in festo Pentecostes celebratam fuisse: Vnde etiam temere inquirit, quo vestium & ceremoniarum apparatu, & juxta quam liturgiæ formam sacrificium illud peractum fuerit. Qua de re ipsi transigendum erit cum Johanne Marone, qui in com-

commentario ad liturgiam Jacobi apud Ecchellensem in *notis ad Catalogum Hebed Jesu p. 48.* primam Missam in hebdomade, qua Spiritus S. visibiliter super Apostolos effusus est, feria quarta a Jacobo celebratam fuisse tradit.

VI. De EPISTOLÆ AD LAODICENOS, QVÆ PAULO TRIBUI SOLET, variis editionibus, & occasione hanc epistolam fingendi, diversisque loci *Coloss. IV, 16.* ubi Paulus epistolæ τῆς ἐκ Λαοδικείας mentionem fecit, interpretationibus, egi in dissert. de Pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum *c. 6.* & num hodierna ad Laodicenos eadem sit cum illa, quam Hieronymus ab omnibus explosam asserit, quam Philastrius in ecclesia lectam fuisse negat, & quam Theodoretus fictam nominat, incertum esse dixi; certum tamen esse minime dubitavi, nullam epistolam Pauli ad Laodicenos, quæ genuina sit, vel olim extitisse, vel hodie extare. Inter alia mentionem feci editionis A. C. 1595. a Stephano Prætorio procuratæ. Nunc addo, etiam inter Prætorii opuscula, ab Henrico Ammersbachio A. 1675. collecta, hanc epistolam latine & germanice cum nonnullis prolegomenis & germanico ad illam epistolam commentariolo legi, & tanquam insigne Pauli scriptum commendari. De editione Wormatiensi A. 1529. Argentoratensi 1530. Bremensi 1692. & quibusdam aliis hujus epistolæ editionibus dixi in præfatione ad Biblia Germanica Lutheri a Clarissimo Dn. M. Reineccio hoc ipso anno edita. Peculiares autem dissertationes de

de hac epiſtola ediderunt Argentorati 1671. D. Iſaac Fauſtus, & Gieſſæ 1680. D. Kilianus Rudrauffius.

VII. Mutuas PAULI AD SENECAM & SENECÆ AD PAULUM EPISTOLAS, nempe octo Senecæ ad Paulum, & ſex Pauli ad Senecam, & ſic in univerſum 14. in bibliotheca ſua ſancta *libr. 2. p. 89. & ſequ.* edidit Sixtus Senenſis. Easdem Jacobus Faber Stapulenſis libro 13. ſuorum in Paulinas epiſtolas commentariorum inſeruit, & ſuis annotationibus illuſtravit. Uterque autem has epiſtolas tanquam genuinas veneratur. Nec alia mens Bivario *in notis ad Dextrum p. 123.* ut nonnullos alios taceamus. Et fatendum quidem eſt, non recentem eſſe harum epiſtolarum notitiam, ſed earum meminiſſe non ſolum malæ notæ Scriptores, nempe fabulatorem illum, qui Lino tractatum de paſſione Petri & Pauli ſuppoſuit, & Chronographum, qui Lucii Dextri Hieronymo coævi nomen mentitur, ſed ipſum quoque Hieronymum in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum, & Auguſtinum in epiſtola ad Macedonium, quorum autoritate Scriptores nonnulli perſuaſi, has Pauli & Senecæ epiſtolas genuinas eſſe crediderunt. Alii vero, etſi commercium aliquod literarium Senecam inter & Paulum interceſſiſſe concedant, genuinas tamen utriusque literas intercidiſſe, & eorum loco ſpurias, quæ nunc circumferuntur, epiſtolas ſucceſſiſſe cenſent, in qua ſententia verſatur Natalis Alexander *hiſt. eccleſ. ſec. I. p. 91.* Verum probabilius ſtatuitur, nullas unquam inter Senecam & Paulum literas reciprocatas, ſed illas quoque ab impoſtore

ſtore quodam confictas fuiſſe, quas Hieronymus & Auguſtinus ex vulgi rumore a Seneca & Paulo ſcriptas referunt. Certe neque Juſtinus, neque Clemens Alexandrinus, neque Tertullianus, neque Euſebius, neque alii priorum ſeculorum Scriptores ullam amœbæarum Senecæ & Pauli literarum mentionem fecerunt, quam omiſſuri non fuiſſent, ſi aliquam rei tam memorabilis notitiam habuiſſent. Quicquid autem ſit de epiſtolis Pauli & Senecæ, quas Hieronymus & Auguſtinus memorarunt, certum eſt hodiernas νοθείαν ſuam ubivis prodere. Unde Nicolaus Antonius in bibliotheca vetere Hiſpanica *libr. I. cap. 8.* epiſtolas has percurrens in ſingulis aliquid, quod deſideret, deprehendit. Deinde de univerſis pronunciat, quod neque ſtyli exilitas, neque ſenſus obſcuritas perſonis illis conveniat. Addit inſuper Conſulum notas poſterioribus epiſtolis ſubjectas vitioſas eſſe. Præterea hæ epiſtolæ Senecam a chriſtiana religione non alienum indicant, cum tamen ex Tacito conſtet, quod Seneca jam moriturus ſtagno calidæ aquæ, quod ingreſſus fuerat, proximos ſervorum reſperſerit addita voce, libare ſe liquorem illum Jovi liberatori, quæ verba a Chriſtiano homine aliena eſſe, nemo non videt. De cætero Dupinius in tractatu præliminari, ſeu prolegomenis ad biblia *lib. 2. c. 7. pag. 119.* epiſtolas Pauli & Senecæ, quæ hodie circumferuntur, eaſdem eſſe cum iis, quæ Hieronymi & Auguſtini ævo lectæ ſunt, ex eo probat, quod verba, quæ ex his epiſtolis Hieronymus allegat, adhuc in epiſtola II. legantur. Quod contra doctiſſimum Basnagium obſervamus, qui hodiernas Pauli & Senecæ lite-

B ras

ras a priſcis, quas Hieronymus manibus ſuis trivit & oculis uſurpavit, diverſas eſſe ex eo probat, quod in hodiernis epiſtolis illa non legantur, quæ Hieronymus ſua ætate in Pauli & Senecæ epiſtolis ſe legiſſe dicit. Obſervamus tamen etiam adverſus Dupinium, quod argumento non plane infallibili utatur. Potuit enim recens quidam impoſtor verba quædam Hieronymianis ſimilia de induſtria epiſtolis a ſe confictis addere, ut lectores eo magis de antiquitate harum epiſtolarum perſuaderentur. Sed hæc de mutuis Pauli & Senecæ epiſtolis dicta ſufficiant, de quibus plura legere cupientes adire poterunt D. Johannem Albertum Fabricium, qui in codice apocrypho N. T. *p. 880.* has epiſtolas denuo cum notis ſuis edidit, variorumque Scriptorum de illis teſtimonia cum eruditis ſcholiis præmiſit, ut clariſſimorum Virorum D. Ægidii Strauchii, & D. Chriſtiani Kortholti diſſertationes de Senecæ chriſtianiſmo taceamus. Inter eos autem, qui mutuas Pauli & Senecæ epiſtolas ediderunt, referendus Judocus Chlichthoveus, qui, cum Lovanii A. C. 1513. in ædibus Theodorici Martini Aloſtenſis Pauli & reliquorum Apoſtolorum epiſtolas ederet, etiam Pauli ad Laodicenſes epiſtolam, & mutuas Pauli & Senecæ epiſtolas ſubjunxit, quas in hac editione multum diſcrepare ab aliis editionibus ex humaniſſimis Thomæ Crenii ad me literis intellexi, cujus etiam liberalitati hoc Apoſtolicarum epiſtolarum volumen gratus debeo.

VIII. ACTA PAULI ET THECLÆ, quæ, ut Tertullianus *libro de baptiſm. c. 17.* & Hieronymus

mus in *Catalogo Script. eccleſ. c. 7.* teſtantur, Presbyter quidam Aſiaticus ſub Pauli nomine confinxit, hodie non amplius extare, dixi in *diſſert. de pſeudepigr. Chriſti, Mar. & Apoſt. c. 5.* Sed poſtea A. C. 1698. Oxoniæ Johannes Erneſtus Grabe in ſpicilegio Patrum & Hæreticorum *Tom. I. p. 95. & ſeqv.* edidit Martyrium ſanctæ & glorioſæ Protomartyris & Apoſtolatu defunctæ virginis Theclæ, textui græco, quem Bodlejana bibliotheca ſuppeditavit, novam verſionem addens, & poſtea verſionem latinam antiquam ex alio Bodlejanæ bibliothecæ codice ſubjungens. Et hæc Pauli & Theclæ acta Grabius illa ipſa eſſe putat, quæ a Presbytero Aſiatico conficta Tertullianus aſſeruit. Verum id mihi minime probabile videtur ob rationes, quas adduxi in tractatu de bibliothecis Patrum *cap. 20. p. 700. & ſeqv.* ubi illam Grabii ſententiam prolixe refutavi. Quamobrem acta hæc Pauli & Theclæ a Grabio vulgata non minus fide indigna judico, quam illa, quæ a Simeone Metaphraſte & Baſilio Seleucienſi conſcripta ſunt. Sane ſi talis & tanta Thaumaturga fuit Thecla, qualem & quantam Grabianus impoſtor eam fuiſſe narrat, Lucas Pauli individuus fere comes in actis Apoſtolicis ejus mentionem ſilentio prætermiſſurus non fuiſſet, cum longe majora & notatu digniora fuerint, quæ impoſtor Grabianus de Thecla memorat, quam quæ Lucas in actis de Thabea vel Lydia memorat. Valeant igitur aniles illæ de Thecla fabulæ.

IX. LITURGIA MATTHÆI, quæ vulgo Miſſa Æthiopum & canon univerſalis inſcribitur,

latine edita est in bibliotheca Patrum Parisiensi Bignæi *edit. 1. tom. 4. & edit. 2. tom. 6*, nec non in bibliotheca Patrum Parisiensi Anni 1654. *tom. 6.* & in Lugdunensi *tom. 27.* inter scripta, quorum autores incerti sunt & ætas ignoratur. Nam hujus quoque Missæ & autor & ætas obscura est. Certum tamen est, quod sequiori ævo scripta sit, unde passim ut opus spurium reprobatur. Conferantur ex Pontificiis Bona *rer. liturg. lib. I. c. 8.* & Natalis Alexander *secul. I. part. 1. cap. 11. art. 1.* ex Reformatis Rivetus *Critic. s. libr. 1. c. 3.* ex nostris Gerhardus *Conf. Cathol. Tom. I. p. 423.*

X. MATTHÆI TRACTATUS DE NATIVITATE MARIÆ quasi a Matthæo hebraice scriptus, & ab Hieronymo latine versus inter pseudepigrapha Hieronymi *tomo 2. editionis Erasmianæ*, & *tomo 9. Victorianæ editionis*, præmissa Chromatii & Heliodori ad Hieronymum, & Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum epistola, legitur. Eundem tractatum novissime in codice suo apocrypho N. T. Dn. D. Johannes Albertus Fabricius denuo edidit, doctisque scholiis illustravit. Neander in epistola nuncupatoria suorum apocryphorum hunc tractatum appellat librum Joachim, sive de nativitate Mariæ. Vincentius autem Bellovacensis in speculo historico eundem nominat historiam Joachimi & Annæ, & Hieronymo ascribit *libr. 7. c. 64.* quemadmodum & Anselmus, Trithemius aliique hunc librum Hieronymi titulo dignantur. Sed hunc tractatum neque a Matthæo hebraice scriptum, nec ab Hieronymo la-

latine verſum eſſe facile apparet. Unde illum tanquam ſpurium reprobant Sixtus Senenſis *biblioth. S. libr. 2.* Canus *loc. theolog. libr. II. c. 6.* Petavius *de incarnat. libr. 14. c. 7.* & alii. Eadem ſententia eſt Baronii in *apparat. ad annal. ſect. 39. & 44.* quod Baronii judicium approbat Caſaubonus *exercit. 1. ad apparat. Baron. c. 15.* Idem Caſaubanus dicto loco in Chriſtophorum a Caſtro Jeſuitam Hiſpanum invehitur, quod librum hunc pſeudepigraphum a peſtilentiſſimo hæretico profectum nugarumque plenum tueri auſus fuerit, quam invectivam repetit Hoſpinianus in addendis ad tractatum de feſtis chriſtianis. Sed Rosweidus in lege talionis Chriſtophori a Caſtro patrocinium contra Caſaubonum ſuſcipit *p. 107. & ſeqq.* At Caſaubonum etiam contra Rosweidum prolixe vindicavit Richardus Montacutius in *analect. exercitat. 5. ſect. 4.* & brevius in *apparatu VIII. ad origines eccleſiaſticas p. 299.* Cæterum etſi Pſeudo-Hieronymus tractatum ſuum de nativitate Mariæ a tractatu notiſſimi impoſtoris Seleuci Manichæi, qui etiam Lucius, Leucius, Leontius, Lentius, Lentitius & Leutitius nonnullis appellatur, diſtinguere velle videatur, veretur tamen Voſſius *de Genealog. Chriſti p. 34.* ne hic impoſtor librum, quem ex hebraico ſermone ſe vertiſſe ſimulat, vel ex Gnoſticorum libro de ſtirpe Mariæ, vel ex iſto Seleuci libro de Mariæ nativitate exſcripſerit, & tantum nonnulla Gnoſticorum & Manichæorum portenta, cæteris fabulis retentis, reſecuerit. Quo loco Voſſius etiam Jeſuitam Hiſpanum ſupra memoratum Chriſtophorum a Caſtro notat, qui autorem hujus libri, ſi

non Hieronymum, ſaltem veterem aliquem & pium Scriptorem eſſe pronunciat, quaſi pius eſſe Scriptor poſſit, qui ſub Chromatii & Heliodori, & maxime Hieronymi larva orbi Chriſtiano turpiter imponere auſus eſt. Fulberti Carnotenſis judicium de hoc ſcripto videatur in ejus ſermone de ortu almæ Virginis Mariæ, quem edidit Combefiſius *Tom. VIII. biblioth. concionator. p. 118.*

XI. LITURGIAM SEU MISSAM JACOBO ASCRIPTAM Romæ 1526. Demetrius Ducas, & Pariſiis 1560. Gulielmus Morelius edidit. Ex priori editione textum græcum, ex poſteriori latinum mutuatus eſt Ducæus in auctario græco-latino bibliothecæ Patrum Pariſienſis 1624. Latine hanc Miſſam exhibet etiam Gulielmus Eiſengreinius de Nemeto Spirenſis in primo Centenario adverſus Magdeburgenſes Ingolſtad. Anno 1566. edito *fol. 197. ſequ.* ut alias editiones taceamus. Quid ex Johannis Maronis & Dionyſii Epiſcopi Amed commentariis in hanc liturgiam, & Jacobi Edeſſeni epiſtola ad Thomam Presbyterum de hac liturgia referat Abraham Ecchellenſis; quid de uſu hujus liturgiæ in eccleſia Hieroſolymitana ex vita Euthymii tradant in analectis ſuis græcis Fratres Benedictini e congregatione S. Mauri Pariſienſes; quos Scriptores pro autoritate hujus liturgiæ Leo Allatius in epiſtola ad Nihuſium, quæ inter Σύμμικτα ejus legitur, allegaverit; quid contra Richardus Simonius in annotationibus ad apologiam Gabrielis Severi, item in tractatu de collatione cere-

mo-

moniarum judaicarum cum ritibus christianis, liturgiæ Jacobi opposuerit; quas ob causas Jacobi liturgiam a Basilio & Chrysostomo mutatam Proclus in libello de traditione divinæ liturgiæ, & Amphilochius in vita Basilii tradiderint; & quibus rationibus Jacobi liturgiam Nicolaus le Nourry in apparatu ad bibliothecam Patrum impugnaverit, dixi in dissertatione *de pseudepigraphis Christi & Apostolorum c.13. thes.4. & seqq.* Nunc addimus in libro liturgiarum, quo Græci utuntur, legi tantum Missam Chrysostomi, Missam Basilii M. & Missam præ-sanctificatorum, Jacobi autem, ut & Petri, Marci, & Clementis liturgias a Græcis negligi, nisi quod Missa Jacobi semel quotannis in Hierosolymitana ecclesia legatur, ut testatur Allatius *de libr. eccles. Græc. p.16.* Addimus insuper Petrum Arcudium, cum prius statuisset, Cyrillum Hierosolymitanum uti consuevisse liturgia Jacobi, postea *sub finem c.33. libr.3. de concordia ecclesiæ occidentalis & orientalis* sententiam hanc retractasse, cum deprehenderit, a posterioribus Græcis multa addita fuisse. Præterea structuram sermonis in hac liturgia tam elegantem esse observat, ut nulla ex parte hebraismum sapiat, ideoque valde sit dubium, an hæc liturgia Jacobum autorem habeat, nisi eam multum mutatam fuisse dicere velimus. At certum est Jacobi liturgiam non tam sequentibus seculis auctam & interpolatam, quam sub Jacobi nomine confictam fuisse. Unde Pontificii orationes pro defunctis, necessitatem vinum eucharisticum cum aqua miscendi, sacrificium Missæ, & alios errores ex Jacobi liturgia frustraneo conatu probare con-

contendunt. Ante Proclum nulla ejus mentio occurrit. Nam quod Baronius *ad A. C. LXIII. 17.* pro hac Missa Cyrilli Hierosolymitani catecheses allegat, & verba nonnulla Cyrilli ex Jacobi liturgia desumta esse putat, in eo oppido fallitur, cum verba illa non ex Jacobi liturgia in Cyrilli catecheses, sed ex Cyrilli catechesibus in Jacobi liturgiam transierint. Sane si Patres 4. & 5. seculi Jacobi liturgiam cognitam habuissent, vocem ὁμοούσιος contra Arianos, & vocem Θεοτόκος contra Nestorianos ex Jacobi liturgia, quæ utramque vocem adhibet, firmare potuissent. Quamobrem multis post Jacobi ævum seculis hanc liturgiam, quæ Jacobi nomen præ se fert, compositam fuisse necesse est, quod etiam Anachoretarum, Confessorum, Monasteriorum, templorum, aliarumque ejusmodi rerum mentio, & variorum rituum a seculo apostolico alienorum descriptio confirmat. Conferantur quæ contra Jacobi liturgiam proferunt Gerhardus *confess. cathol. Tom. I. p. 418.* Dannhauerus *in Christeid. p. 893.* Varenius *in rationar. secul. I p. 124.* Dorscheus *in Mysaria Miss. p 251.* Cave *histor. liter. Scriptorum eccles. p. 9.* Cocus *censur. p. 16.* Rivetus *Critici S. libr. I. c. 3.* Mornæus *libr. I. de Miss. c. 2. p. 39.* Hoornbeck *miscell. libr. I. p. 41.* Basnag. *annal. polit. eccles. ad A. C. 58. p. 695.*

XII. De PROTEVANGELIO JACOBI egi *in dissert. de pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum c. 4.* & *in dissert. de Gulielmo Postello thes. 22.* Primum prodiit Basileæ A. C. 1552. ex versione Gulielmi Postelli cum Præfatione Theodori Bibliandri, qui

moniis, non immerito ambigat, concedit tamen quod Nicolaus Methonensis in libello ad hæsitantes asserit, nempe ecclesiæ Alexandrinæ omnino aliquam liturgiam a Marco traditam fuisse. At ne hoc quidem probari posse arbitramur, Marcum Ecclesiæ Alexandrinæ peculiarem aliquam liturgiæ formam scripto tradidisse.

XVI. JOHANNIS MARCI ACTA BARNABÆ græce & latine ex versione Cardinalis Sirleti publici juris fecit Papebrochius in actis Sanctorum Junii *Tom. II. d. XI. p. 431. & seqv.* ubi memorat codicis Vaticani hunc esse titulum: Περίοδοι καὶ μαρτύριον τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Βαρνάβα, itinerarium & martyrium S. Apostoli Barnabæ. Sed acta ista ex mendaciis consuta esse Baronius *ad A. C. 51.* jampridem judicavit. Nec dubium est, pseudepigrapha esse hæc acta, quicquid Sigebertus Gemblacensis *de Scriptoribus ecclesiast. c. 2.* de passione Barnabæ per Johannem Marcum scripta retulerit. Nec ipse Papebrochius hæc acta pro genuinis venditare audet.

XVII. De DIONYSII AREOPAGITÆ scriptis egi in dissertatione de Patribus apostolicis §. *41. & seqv.* Ac primum quidem præcipuas editiones latinas, græcas, & græco-latinas, quæ vel conjunctim Autoris hujus opera, vel separatim unum alterumve opusculum exhibent, nec non codices aliquos MSCtos, & varios horum operum Scholiastas recensui. Plures editiones operum Dionysii Areopagitæ recensent Nicolaus le Nourry in apparatu suo ad Lugdunensem Patrum

bibliothecam *libr. I. differt. 10. c. 21.* & Laurentius Cozza in vindiciis Areopagiticis *part. 2. c. 22.* Deinde paucis probavi, Dionysium Areopagitam, cujus ad christianam fidem conversio in actis apostolicis *Act. XVII, 34.* commemoratur, scripta hæc, quæ sub Areopagitæ Dionysii nomine feruntur, minime elucubrasse. Prolixius hoc argumentum tractavit Johannes Dallæus, qui Genevæ A. 1666. duos libros de scriptis Dionysii Areopagitæ & Ignatii edidit, & in primo libro ultra 40. argumenta producit, quibus scripta, quæ sub Dionysii Areopagitæ nomine circumferuntur, supposita esse probat, variisque eorum, qui contrariam sententiam defendunt, exceptionibus, objectionibus & cavillationibus respondet. Præter Dallæum conferri poterunt Rivetus *Critic. S. lib. I. c. 9. 10. 11.* Cocus *in censura quorundam Scriptorum p. 92.* Edmundus Albertinus *de eucharist. libr. 2. p. 260.* Pearsonius in vindiciis epistolarum Ignatii *part. I. c. 10.* Usserius *in differt. de scriptis* Pseudo-Dionysii, quæ legitur in ejus historia dogmatica de sacris vernaculis, Voetius *part. I. disputt. p. 894.* Hoornbeckius *Miscellan. libr. I. p. 80.* Scultetus medulla Patrum *part. 1. p. 483.* Vedelius *ad epistolas Ignatii p. 125.* & Reformati quod sciam, omnes, e quibus Casaubonus suo Dionysianorum operum exemplari hæc verba adscripsit: ***hunc autorem apostolicis temporibus vixisse, stupor est credere, furor velle id aliis persuadere, asinos esse oportet, qui hoc sibi persuaderi sinunt.*** E Lutheranis Dionysii scripta hypobolimæa esse judicant post ipsum Lutherum centuriatores Magdeb. *centur. I. p. 625.* Flacius *in responsione ad invectivam Bruni p. 38.* Gerhardus Confess. Cathol.

Tom.

Tom. I. p. 621. & seq. Tubingenses *resp. 1. ad Jeremiam Patriarcham p. 174.* & *respons. 2. p. 315.* Dannhauerus *in Christeid. p. 901.* Bebelius *in antiquit. eccles. sec. 4. p. 91.* Varenius *in rationario sec. I. p. 34.* Dorscheus *in Syllog. p. 31. & seq.* item *in indice iniquit. p. 50.* & alii. Socinianorum quæ sit sententia, patet ex Socini defensione animadversionum in assertiones Collegii Posnaniensis, ubi asserit *pag. 693. (Tom. II. operum)* perspicuum esse, quod omnes latinæ ecclesiæ Romano Pontifici non parentes scripta Dionysii Areopagitæ pro adulterinis habeant. Nec desunt inter ipsos Pontificios, qui Dionysium Areopagitam verum esse scriptorum sub hoc nomine editorum autorem sibi minime persuadere possunt, quos inter Laurentius Valla *ad Act. 17.* Erasmus Roterodamus *ad Act. 17.* ubi etiam Gulielmi Grocini Angli sententia recensetur, Thomas Cajetanus *in commentario ad Act. 17.* Cardinalis Bona *rerum liturgic. libr. I. c. 8.* Christianus Lupus *in dissert. de 6. Synodo c. 3. p. 781.* & *in not. ad Tertullianum de præscriptione p. 159.* Papebrochius in responsione ad exhibitionem errorum per Sebastianum a S. Paulo vulgatorum *part. 1. artic. 5. p. 144.* & *part. 2. artic. 13. p. 2.* Imprimis vero in Gallia multi docti viri inventi, qui, etsi haud nescirent, Parisienses Theologos A. 1521. Lutherum, & A. 1527. Erasm. Roterodamum eam ob causam gravi censura notasse, quod scripta Dionysii Areopagitæ pro genuinis non agnovissent, non obstantibus illis censuris cum Luthero & Erasmo scripta illa Dionysii Areopagitæ nomen mentiri censuerunt. Nominavi ex his in prædicta dissertatione de Patribus Apostolicis *p. 148.* Paschasium

Quesnelium cujus ſententia de Dionyſio Areopagita qualis fuerit, cognoſci poteſt ex ejusdem epiſtola, in qua poſt allegatas quinquaginta rationes concludit, Autorem horum operum, quem ortu Judæum, natione Ægyptium, profeſſione Monachum, diſciplina Platonicum fuiſſe aſſerit, ſexto ſeculo vixiſſe, & Neſtorianorum odio actum plus quam par fuit ad Eutychianorum & Severianorum partes declinaſſe. Quesnelio *p. 151. & 152.* addidi Gerardum du Bois, qui in hiſtoria eccleſiæ Pariſienſis *libr. 6. c. 3.* imprimis quatuor illa argumenta urget, quæ jam olim contra γνησιότητα Scriptorum Dionyſii Areopagitæ a nonnullis adducta fuerunt, & in quibus diluendis Theodorus quidam Presbyter in Photii bibliotheca primo ſtatim loco nominatus, oleum dubio procul & operam perdidit. Adjeci porro *p. 159.* Johannem Launojum, qui hac de re egit in judicio de ſcriptis Dionyſii Areopagitæ, quod inter ejus opuſcula de duobus Dionyſiis legitur, Johannem Morinum *in tractatu de ſacris ordinationibus part. 2. in præfatione ad ritus ordinationum* ex Dionyſio deſcriptos *c. 1. & ſeqv. p. 23.* & Philippum Labbeum *in addit. ad Tom. I. de Scriptoribus eccleſ. p. 765.* Nunc ulterius addo Carolum le Cointe in annalibus eccleſiaſticis Francorum *Tom. 8. ad A. C. 835. ſect. 130. & ſeqv.* Ludovicum Ellies du Pin *in bibliotheca Autor. eccleſ. Tom. I. p. 34.* Richardum Simonium *in Not. ad Gabrielis Severi Philadelphienſis Metropolitæ opera*; Iſaacum Habertum *in archieratico*; Dionyſium Petavium, qui ſe Dionyſii Areopagitæ ſcripta pro ſpuriis habere paſſim prodit; Nicolaum le Nourry *in apparatu libr. I. diſſertat. 10. c. 2.* &

& seqq. tribus; Dn. de Tillemont *in memoriis eccles. Tom. I. p. 134.* item *in notis p. 566. & sequ.* ubi inter alia asserit, omnes eruditos, qui aliquam antiquitatis notitiam habent, ferme sine omni exceptione in eo convenire, quod scripta Dionysii Areopagitæ nomen ferentia multis post Areopagitæ mortem seculis ab alio quodam composita fuerint; Antonium Godeau, qui *in histor. eccles. ad A. C. 99.* doctos pæne omnes dubitare dicit, an opera hæc vere sint Dionysii Areopagitæ; & Nicolaum Fabrum, cujus sententiam ex Antonio Mornaco repetit Dallæus de scriptis Dionysii *pag. 205.* Si Tenzelio *in dialogis menstruis A. 1696. p. 80.* fides adhibenda foret, eruditis Gallis, qui Dionysii Areopagitæ scripta pro spuriis habent, annumerandus etiam esset Natalis Alexander. Verum hic Tenzelium memoria fefellit. Natalis enim Alexander *dissertat. 21. seculi I.* communem Pontificiorum de Areopagitæ scriptis sententiam sequitur. Est autem communis Pontificiorum sententia, scripta sub Dionysii Areopagitæ nomine vulgata non alium, quam cujus nomen præ se ferunt, autorem habere. Ita sentiunt præter alios Matthæus Galenus in prolixa præfatione ad Hilduini Areopagitica *p. 30. sequ.* Jodocus Clichtoveus *in Anti-Luthero libr. I. c. 5. 6. 7. 8. 9.* Martinus Delrio *in vindiciis Areopagiticis*, Leonardus Lessius *in epistola ad Lansselium*, & ipse Lansselius *in disputatione apologetica de S. Dionysio*, Baronius *in annal. Tom. II. p. 36. & seq. editionis Romanæ*, Petrus Halloixius *Tom. I. eccles. Oriental. Script. quæst. 2. ad vitam Dionysii p. 175.* Feuardentius *in Theomach. Calvinist. libr. 12. c. 17.* Johannes Novius *in*

apologia pro scriptis Areopagitæ contra Laurentium Vallam, Sixtus Senensis *libr. 2. biblioth. sanctæ*, Sanderus *de visibili monarchia p. 260*. Possevinus *in apparatu Tom. I.* Andreas Schottus *in scholiis ad Bibliothecam Photii*, Petrus Annatus *in methodico ad positivam Theologiam apparatu libr. 4. art. 9.* & alii, e quibus Emmanuel Schelstratenus *in antiquit. illustr. part. 2. dissert. 3. c. 3.* scripta hujus Dionysii post 10. secula a Luthero primum impugnata fuisse per impudentissimum mendacium cavillatur. Idem Schelstratenus *in tractatu de disciplina arcani c. 7. artic. 2.* causam, quod Dionysii Areopagitæ scripta prioribus seculis incognita fuerint, ex disciplina arcani arcessere conatur, quæ sententia a Tenzelio in dissert. de disciplina arcani illiusque vindiciis haud immerito refutatur, cum non minus absurda sit quam illorum, qui Areopagitæ scripta primis ecclesiæ seculis vel a Gentilium Philosophis abscondita, vel ab hæreticis occultata, vel per magnas ecclesiæ calamitates suppressa somniant. Non minus temeraria est Bellarmini assertio *in tractatu de Scriptoribus ecclesiasticis p. 43.* asserentis, de Dionysii operibus viros doctos & catholicos nihil dubitare, sed solos hæreticos Lutheranos & quosdam sciolos. Quæ assertio si vera est, ipsum Bellarminum neque doctum, neque catholicum, sed vel hæreticum Lutheranum, vel sciolum fuisse oportet, cum *libro 2. de confirmatione §. jam vero* Dionysium Areopagitam inter illos autores numeret, quos antiquissimos & optimos esse ait, licet incertum sit, an sint illi, quorum nomina præ se ferant. Inter recentissimos Pontificios, qui ex instituto Dionysio Areopagitæ scri-

pta

pta ſub ejus nomine vulgata vindicant, eſt Laurentius Cozza da S. Laurentio Ord. Minor. de obſervantia, Romanæ Provinciæ Lector Jubilatus, diœceſ. Viterb. Examinat. Synodal. & S. Congregat. Indicis Conſultor, qui Romæ A. 1702. vindicias Areopagiticas in publicam lucem emiſit. Duabus autem partibus iſtæ vindiciæ conſtant. In priori parte Autor ſententiam, quæ Dionyſii Areopagitæ opera pro genuinis agnoſcit, variorum ſcriptorum veterum & recentiorum judiciis confirmat. Sunt autem iſta judicia S. Maximi, Michaelis Syngeli, Johannis Erigenæ Scoti, Theodori Presbyteri, Anaſtaſii Bibliothecarii, Suidæ, Johannis Saraceni, Thomæ Vercellenſis, Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, Georgii Pachymeræ, Dionyſii Carthuſii, Marſilii Ficini, Johannis Trithemii, Jacobi Fabri, & quorundam aliorum ſeculi 16. & 17. ſcriptorum, quibus autor ſuum quoque judicium ſubnectit, quod tale eſt, ſcripta Dionyſii Areopagitæ non eſſe pſeudepigrapha, ſpuria, & ſuppoſititia, ſed hagiographa, genuina, & a tanto Doctore vere edita, & dementem ſe fore, ſi conclamante tota antiquitate, & cunctis fere ab ineunte ſeculo 7. per undecim ſecula conſpirantibus catholicis, hæreticorum judiciis acquieſceret, & multitudine relicta paucorum ſententiam ſequeretur. Num vero multitudo errantium errorum parit patrocinium? Et ubi quæſo Catholici conſpirant, Dionyſium Areopagitam genuinum eſſe? Num ergo hæreticis annumerat Laurentium Vallam, Theodorum Gazam, Antonium Faventinum, Gulielmum Grocinum, Eraſmum Roterodamum, Beatum Rhenanum, Johannem Fiſcherum Roffenſem Epi-

Episcopum, Thomam Cajetanum Cardinalem, Cælium Rhodiginum, Georgium Cassandrum, Gabrielem Albaspinæum, Johannem Launojum, Johannem Morinum, Nicolaum Fabrum, Antonium Godellum, Cardinalem Bonam, Christianum Lupum, Danielem Papebrochium, Paschasium Quesnelium, Gerardum du Bois, Philippum Labbeum, Carolum le Cointium, Ellies du Pinium, Richardum Simonium, Habertum, Petavium, Nourrium, Tillemontium & alios? Et ubi quæso universa antiquitas conclamat, Dionysii opera genuina esse? Certe si Justinus, si Irenæus, si Clemens Alexandrinus, si Origenes & alii primitivæ ecclesiæ Patres, qui prioribus quinque seculis floruerunt, ullam horum operum notitiam habuissent, eorum autoritatem hæreticis, quotiescunque occasio tulit, opponere omissuri non fuissent. Saltem Eusebius in historia ecclesiastica, & Hieronymus in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum tanta tanti viri opera, si jam tum in rerum natura fuissent, silentio involuturi non fuissent. Audiamus tamen rationes, quibus Cozza judicium suum confirmare nititur. Prima ratio est, si Dionysius Areopagita non sit verus autor tractatuum & epistolarum, quæ sub ejus nomine circumferuntur, sed alius quidam ab apostolico ævo aliquot seculis remotus, absurdum hoc inde sequi, quod autor horum operum mendax & impostor fuerit. Ego vero sine omni absurditate dici posse arbitror, mendacem & impostorem fuisse, quisquis sub larva Dionysii Areopagitæ scripta illa elucubravit, nec dubito putidissima & viro apostolico indigna mendacia his scriptis contineri, quale est,

cum

qui variis argumentis huic evangelio fidem & autoritatem conciliare conatur. Inter alia Eusebii & Hieronymi silentium huic evangelio nihil obesse putat, cum Epiphanius utroque antiquior traditionis hujus mentionem fecerit. Qua in re memoria ipsum fugit, cum Eusebius ante quarti seculi medium obierit, Epiphanius autem post quarti seculi medium florere cœperit. Idem Bibliander scriptum hoc non quidem canonicis Scripturis æquiparari, at nec inter apocryphorum deliramenta rejici, sed in ecclesiasticorum & hagiographorum numero haberi velit. Refert etiam Postellum testari hunc libellum publice in orientalibus ecclesiis legi, nec de autore dubitari, & ipsum Postellum æstimare hoc evangelium ut genuinum inter libros Theologicos, & basin atque fundamentum totius historiæ evangelicæ, & initium evangelii secundum Marcum. Primam hanc Basileensem editionem tres aliæ Basileenses secutæ, Latina A. C. 1555. in orthodoxographis Heroldi, & græco - latina in apocryphis Michaelis Neandri A. C. 1564. & in monumentis orthodoxographis Grynæi A. C. 1569. Novissime Hamburgi A. C. 1703. Dn. D. Fabricius in codice apocrypho N. T. hoc protevangelium græce & latine, additis eruditis prolegomenis & scholiis, publicavit. Inconsiderate autem agit Sixtus Senensis, cum *libr. 2. biblioth. S.* hæreticos, quos vocat, sui temporis suggillat, quod evangelium hoc pseudepigraphum typis excudi fecerint. Quem imitatus Simonius Protestantibus editionem hujus evangelii exprobrat. Non enim tam Protestantibus hujus evangelii editio debetur, quam Guliel-

lielmo Postello homini Pontificio, qui hoc evangelium ex oriente advexit, latine vertit, & Oporino Basileensi typographo imprimendum dedit, qui tandem Bibliandro adhortante hunc libellum diutius apud se latere noluit. Unde non male Montacutius *in analectis exercit. 5. sect. 3. extat*, inquit, *edente G. Postello, dignum certe patella operculum, Jacobi protevangelium.* Quo loco Montacutius longe aliter quam Postellus de hoc protevangelio scribit. Cum enim Postellus totam evangelicam historiam sine hoc protevangelio ob Atheos periclitari sibi persuaserit, Montacutius observat, quod ex putida hujus protevangelii lacuna multa ridicula, inepta, fabulosa Damascenus, Germanus, Nicephorus, Cedrenus aliique in suas historias, homilias, panegyres, & alia scripta transtulerint. Idem *exercitat. 7. sect. 2.* hoc evangelium insigne cujusdam impii impostoris opus, & hæretici hominis μυθολόγημα, dignum Postello & inventore & interprete appellat. Exempla quædam fabularum ex ista mythologia adducit Hoornbeckius *in miscellaneis libr. I. c. 1. p. 31.* Schmidius *in Pseudo-Novo Testamento p. 19. & sequ.* Ellies du Pin *in prolegom. ad bibl. libr. 2. pag. 89.* & alii. Et hæ fabulæ abunde produnt, hujus protevangelii autorem non esse Jacobum Apostolum. Quod etiam Leo Allatius *in notis ad Eustathium p. 285. & sequ.* agnoscit, ubi observat, quod autor hujus protevangelii ab Eustathio in commentario ad hexaemerum *p. 70.* non Jacobus Apostolus, sed Ἰακωβός τις, Jacobus aliquis, & ab Epiphanio Monacho Ἰάκωβος Ἑβραῖος, Jacobus Hebræus, appelletur.

XIII.

XIII. NICODEMI EVANGELIUM de passione & resurrectione Christi Grynæus inter monumenta orthodoxographa, quæ vocat, latine edidit Basileæ 1569. Editionis Lipsiensis A. C. 1516. meminit Sandius *in nucleo hist. eccles. pag. 10.* Editionem Antverpiensem anni 1534. memorat Gesnerus *in bibliotheca univers. p. 517.* Editionis Venetæ A. 1522. (quæ evangelium Nicodemi una cum Mechthildis revelationibus, epistola Lentuli, visione Esaiæ, visione S. Alberti Episcopi Agrippinensis de octo regulis vitæ humanæ meritoriis in Missa sibi oblatis, & Erythrææ Sibyllæ vaticinio ab excidio Trojano usque ad seculi consummationem, exhibet) meminit Voetius *part. 2. disp. theologic. p. 1062.* Versionem germanicam Marpurgi 1555. editam sibi ad manus fuisse refert Christophorus Theodorus Chüden in dissertatione de Pseudo-Novo Testamento, quam sub præsidio summe Reverendi Abbatis Dn. D. Schmidii in Academia Julia 1699. habuit. Ego aliud versionis germanicæ exemplar ad manus habeo, quod neque nomen interpretis, neque locum & tempus editionis indicat. Versio Anglo-Saxonica paucis abhinc annis Oxoniæ prodiit. Novissime Vir celeberrimi nominis D. Joh. Albertus Fabricius in codice apocrypho N. T. Nicodemi evangelium cum scholiis suis vulgavit. Verum quemadmodum imago illa Nicodemi, quæ Lucæ apud Italos Christum crucifixum in regio schemate ita repræsentat, ut ejus caput corona aurea, corpus veste serica, pedes calceis argenteis iisque inauratis exornentur, quemvis potius quam Nicodemum sculptorem habet, etsi vulgus illam statuam a Ni-

codemo fabrefactam sibi persuasum habeat: ita & evangelium, quod Nicodemi dicitur, quemvis potius quam Nicodemum Christi discipulum autorem habet. Tot enim nugis & fabulis oppletur, ut mirum foret, si Copti in Missa sua illud legerent, quod Sandius in nucleo suo eumque secutus Hallervordius in bibliotheca sua curiosa *p. 284.* asseruerunt. Verum doctissimus Ludolfus *in commentar. rer. Æthiop. p. 18.* me docuit, Nicodemi evangelium, quod Coptitæ in Missa sua legunt, non esse apocryphum hoc & adulterinum Nicodemi evangelium, de quo nunc agimus, sed Christi cum Nicodemo colloquium, quod Johannes in sua evangelica historia retulit, ut jam alibi monui, nempe in dissertatione de Patribus apostolicis, quam bibliothecæ Patrum apostolicorum a me editæ præfixi *thes. 15. & 16.* ubi etiam speciminis loco aniles quasdam fabulas hoc evangelio comprehensas retuli. Idem autem evangelium Nicodemi nonnunquam etiam *acta Pilati* nominari observat Daumius in præfatione ad Hieronymi cujusdam Græci disputationem, additque catalogos Anglicanos autorem hujus evangelii prodere Gregorium Turonensem. Quod Daumius ex Casparis Barthii notis ad Gallum Confessorem *p. 108.* depromsit, ubi recte observatur, frivolis ejusmodi commentis, qualia Nicodemi evangelium exhibet, non tam ecclesiæ deserviri, quam eandem hostium suorum ludibrio exponi.

XIV. Progredior ad EPISTOLAM BARNABÆ, cujus prima editio Oxoniensis a Jacobo Vsserio procurata antequam absolveretur, incendio periit.

Hanc

Hanc excepit Hugonis Menardi editio græco-latina, quæ ejusdem notis illustrata cum præfatione Lucæ Dacherii Parisiis 1645. lucem publicam aspexit. Secutæ editiones Amstelodamensis A. 1646. ab Isaaco Vossio procurata, Helmstadiensis 1655. a Madero vulgata, Parisiensis 1672. inter Patres apostolicos Cotelerii, Lugdunensis Batavorum 1685. inter varia sacra Stephani le Moyne, Oxoniensis eodem anno e theatro Sheldoniano, & Antverpiensis 1698. seu potius Amstelodamensis inter Patres apostolicos Johannis Clerici, de quibus editionibus egi in dissertatione de Patribus apostolicis, quam bibliothecæ Patrum apostolicæ græco-latinæ a me editæ præmisi, ubi etiam germanicam Godofredi Arnoldi, & Anglicam Gulielmi Wakæi versionem memoravi. Novam editionem omnibus hactenus recensitis præstantiorem cum notis Dodwelli & Bernardi prelo paratam esse indicat Dn. Cave *Scriptor. eccles. histor. liter. part. 2. p. 12.* Cujus novæ editionis promovendæ gratia etiam Papebrochius rogantibus viris doctissimis Johanne Millio & Thoma Smith, græca quæ ad Barnabam habuit ad Dodvvellum misit, ut testatur ipse Papebrochius in actis Sanctorum Jun. *Tom. II. p. 460.* Quis autem epistolæ hujus autor sit, eruditi certant, & adhuc sub judice lis est. Equidem Clemens Alexandrinus *libr. 2. Stromatum* autorem hujus epistolæ Barnabam Pauli adjutorem & unum ex 70. Discipulis, quem modo Apostolum Barnabam, modo Apostolicum Barnabam nominat, fuisse asserit. Nec desunt inter recentiores, qui hanc epistolam genuinum Barnabæ Viri Apostolici fœtum esse judicant, e quorum nu-

numero Anglicus interpres Wakæus, qui propterea hanc epistolam omni errore liberam ejusque autoritatem humana majorem esse statuit, Placidus Puccinellus, qui A. 1649. Barnabæ epistolam latine in Italia vulgavit, eamque Viro Apostolico Barnabæ ascribere non dubitavit. Eandem sententiam fovent Isaacus Vossius *in notis ad epistolam Barnabæ p. 309.* Bullus *in defensione fidei Nicæn. p. 29.* Hammondus *diss. I. de jur. Episc. p. 22.* Pagi *ad A. C. 49. num. 4.* Ex nostris Calovius *in confessione Martyrum cap. 1. sect. I.* Bebelius *antiquit. eccles. sec. I. p. 2.* Ex Novatoribus Arnoldus in prolegomenis ad germanicam hujus epistolæ versionem, Peterseniius in nube testium veritatis *libr. 2. pag. 58.* & alii. Etsi vero Pearsonius in lectionibus ad acta Apostolorum *p. 44.* asserat, neminem fuisse, qui hanc epistolam Barnabæ Pauli comiti non tribuerit, contrarium tamen haud difficulter demonstrari poterit. Quod enim Barnabas Pauli cooperarius hanc epistolam scripserit, non credidit Gul. Laudus in epistola ad Hugonem Menardum, nec ipse Menardus epistolæ hujus editor. Conferantur etiam Cotelerius in prolegomenis ad epistolam Barnabæ, Stephanus le Moyne *in dissertatione de Barnaba*, Tillemontius *hist. eccles. Tom. I. p. 689.* Spanhemius *in introductione ad historiam eccles. sec. I. sect. 10.* & *in quaternione dissertat. p. 310.* Natalis Alexander *histor. eccles. Tom. I. pag. 616.* Bochartus *in hierozoico Tom. I. pag. 1000.* Dallæus *de pseudepigraphis apostolicis libr. 2. c. 4.* Gatakerus *in cinno p. 12.* Suicerus *in thesauro ecclesiastico p. 1192.* & plures alii, qui varia in epistola Barnabæ deprehenderunt,

quæ

quæ Pauli Apoſtoli cooperario non bene congruunt, unde illum hujus epiſtolæ autorem eſſe ſibi perſuadere non poſſunt. Num vero duo fuerint Barnabæ, unus major, nempe Pauli cooperarius, & alter minor, epiſtolæ hujus autor, quæ Schotani eſt ſententia *in diatriba de autoritate verſionis LXX. p. 117.* an forte Judæus aliquis Alexandrinus ad Chriſtianam fidem converſus, Imperatoris Hadriani temporibus hanc epiſtolam elucubraverit, ut Tenzelius *in florum ſparſione ad Hieronymi catalogum Scriptor. eccleſ. c. 6. p. 17. & ſeqv.* prolixe probare ſatagit, ſuo loco jam relinquimus. Id certum eſt, ſatis antiquum eſſe hujus epiſtolæ autorem, cum Clemens Alexandrinus & Origenes ejus teſtimoniis uſi fuerint. Nec minus certum eſt, quod hæc epiſtola ab Euſebio *libr. 3. c. 25.* adulterinis ſcriptis annumeretur, & Hieronymus in catalogo ſuo hanc epiſtolam inter apocrypha legi teſtetur, h. e. inter pſeudepigrapha & ſuppoſititia, quo ſenſu Hieronymus ſæpius in catalogo ſuo apocryphi voce utitur. Ceterum de veteri hujus epiſtolæ interprete nihil addimus, quem Philaſtrium Brixienſem Epiſcopum fuiſſe ex fide codicis Manuſcripti Corbejenſis refert Papebrochius in actis Sanctorum Junii *Tom. II. pag. 457.* ubi typographi vitio pro Philaſtrio Philoſtorgius ponitur, quod erratum *p. 460.* iterum obrepſit. Imprudenter autem agit Ellies du Pin *in bibliotheca Autor. eccleſiaſt. Tom. I. p. 15.* cum eos imprudentiæ arguit, qui hanc epiſtolam a Barnaba Apoſtolo ſcriptam negant, quaſi ipſi ſint perſpicatiores, quam Clemens Alexandrinus & Origenes Barnabæ ævo longe propiores. Qua ratione Dupinius ſi-

ſibimet ipſi imprudentiam exprobrat, cum & ipſe nonnunquam tanquam ſpuria rejiciat, quæ Clemens Alexandrinus & Origenes tanquam genuina commendarunt.

XV. MARCI LITURGIAM Johannes a S. Andrea Canonicus Pariſienſis Pariſiis A. 1583. græce & latine vulgavit, & Fronto Ducæus A. 1624. ibidem bibliothecæ Patrum græco-latinæ inſeruit. Sed hanc liturgiam tanquam ſpuriam rejicit Theodorus Balſamon, ut patet ex ſupplemento locorum Balſamonis, quæ in codicibus MSCtis Pariſienſibus deſiderata, & ex Vaticanæ bibliothecæ codicibus exſcripta ſunt ad canonem 32. Synodi in Trullo p. 115. etſi Beveregius *in annotat. ad Synodicon p. 134.* verba illa de Marci liturgia ex ſcholio alterius cujusdam marginali Balſamoni addita fuiſſe ſuſpicetur. Quicquid autem ſit de illo ſupplemento, certum interim eſt, Marci liturgiam nullius fuiſſe apud Balſamonem autoritatis. Nam ad 1. interrogationem Marci cujusdam in Jure græco-Romano *libr. 5. p. 362.* reſpondet, quod nec S. Scriptura, neque canon aliquis Synodice editus, liturgiam aliquam a Marco conditam fuiſſe tradat, ideoque hæc liturgia recipi non debeat. Nec immerito Balſamon Marci liturgiam rejiciendam eſſe cenſuit. Multa enim in hac liturgia occurrunt, quæ ab apoſtolico ævo aliena ſunt, ut probant Natalis Alexander *ſec. I. part. 1. p. 84.* Nourry *in apparatu diſſ. 2. c. 3.* aliique. Cardinalis autem Bona *de rebus liturgicis libr. I. cap. 8.* etſi illam, quæ ad nos pervenit, a Marco ſcriptam eſſe, deficientibus per multa ſecula veterum Patrum teſtimo-

cum hic Pſeudo-Dionyſius *in libro de divinis nominibus cap. 3.* fingit ſe & Hierotheum, & Timotheum, & multos alios fratres, & ipſos divino ſpiritu plenos Hierarchas, præſente etiam Jacobo & Petro Apoſtolis, Hieroſolymis ad contuendum B. Virginis corpus conveniſſe, cui fabulæ neminem niſi delirantem vel omnis judicii expertem fidem adhibiturum exiſtimo. Quo fine autem hic impoſtor apoſtolicam ætatem ſimulaverit, & ſub hac larva nugarum fumos vendiderit, non opus eſt ut hic prolixe disquiramus. Secunda Cozzæ ratio eſt, quod Antiareopagitæ, ut ita loquar, de tempore, quo ſcripta hæc ſuppoſita perhibentur, non conveniant. Et negari certe non poteſt, eſſe in hac quæſtione, inter eos, qui Dionyſii Areopagitæ opera ſpuria eſſe conſentiunt, aliquem diſſenſum. Nonnulli enim hunc ſcriptorem cum Pearſonio in vindiciis epiſtolarum Ignatii *part. 2. c. 10.* poſtremis Euſebii temporibus ſcripſiſſe conjiciunt, qua ratione Pſeudo-Dionyſius ad quartum ſeculum referendus eſſet, quæ ſententia illis etiam placuit, qui vel Apollinarium ſive Seniorem ſive Juniorem, vel Didymum ſub Dionyſii Areopagitæ nomine latere judicant, ut Centuriatores *cent. 4. p. 1129.* Bebelium *ſec. 4. part. 1. p. 91.* & alios, qui Pſeudo-Dionyſium ad quartum ſeculum retulerunt, taceamus. Alii cum Uſſerio in diſſertatione de ſcriptis Dionyſii Areopagitæ ſcriptorem hunc ad quintum ſeculum rejiciunt, cui ſententiæ etiam favet Joſephus Scaliger *de emend. temp. l. 6. p. 539.* Nec deſunt, qui cum Dodwello *in tractatu de jure laicorum ſacerdotali p. 389.* ſcripta Dionyſii Areopagitæ nomen præ ſe ferentia

E ſexto

ſexto ſeculo (non tantum ætate Gregorii M. ut Cozza Dodwelli ſententiam refert) ſed forte ab ipſo Gregorio M. ſuppoſita fuiſſe ſuſpicantur. Veruntamen ex iſto diſſenſu inferri non poteſt, eorum ſententiam præferendam eſſe, quæ hæc ſcripta genuinum Dionyſii Areopagitæ fœtum eſſe profitentur. Qualis enim eſt hæc conſequentia: Antiareopagitæ non conveniunt, an Scriptor hic quarto, an quinto, an ſexto ſeculo floruerit, ergo verum eſt, quod patroni operum Areopagitæ aſſerunt, nempe quod ſcriptor hic apoſtolica ætate vixerit, & verus ſit operum ſub ipſius nomine editorum autor? Annon etiam Patroni operum Areopagitæ inter ſe diſſentiunt, dum alii hæc ſcripta Patribus primitivæ eccleſiæ cognita fuiſſe, alii vero eadem prioribus ſeculis in occulto manſiſſe tradunt, cujus occultationis cauſam alii inter ipſos infelicibus eccleſiæ fatis, alii Philoſophorum Gentilium aſtutiæ, alii Hæreticorum perfidiæ, alii ipſi Dionyſio, qui ſcripta ſua ob ſublimitatem non revelari voluerit, tribuunt. Num vero Cozza ex iſto diſſenſu inferri patietur, opera Dionyſii Areopagitæ eſſe ſpuria & pſeudepigrapha? Tertiam rationem Cozzæ ſuppeditat materia horum operum, quam per omnia ætati Dionyſii Areopagitæ conſentire ſomniat. At quam falſum hoc ſit, res ipſa loquitur. Sane jam olim Theodori Presbyteri tempore nonnulli hoc Dionyſii Areopagitæ ſcriptis objiciebant, quod in illis variarum traditionum mentio fieret, quæ poſt Apoſtolorum ætatem ſucceſſu temporis in eccleſia invaluerunt, & Theodorum quidem & hanc & alias difficultates Dionyſii ſcriptis objectas pro virili diſſolve-

vere ſtuduiſſe teſtatur Photius *cod. 1. ſuæ bibliothecæ*, at quomodo Theodorus id præſtiterit, neque Photius indicat, neque aliunde conſtat. Quarta Cozzæ ratio in eo poſita eſt, quod a tempore, quo hæc ſcripta Dionyſii cognita, examinata & probata fuerunt, nemo, niſi forte aliquis ſciolus auſus ſit iis contradicere, donec poſt plura ſecula Lutherus & alii Novatores hæc ſcripta impugnarunt. At non latuit Cozzam primum cognita fuiſſe Dionyſii Areopagitæ ſcripta in collatione Orthodoxos inter & Severianos inſtituta, & in illa ipſa collatione Severianos hæreticos ad Dionyſii Areopagitæ ſcripta provocaſſe, Orthodoxos autem ſcripta illa reſpuiſſe, quæ collatio circa A. C. 533. inſtituta eſt, & a Labbeo exhibetur *Tom. IV. Concil. p. 1763.* Nec latuit Cozzam poſt illam collationem Dionyſii ſcripta laudata fuiſſe ab his culpata ab illis, quod patet ex S. Maximi præfatione ad ſcholia in Dionyſium, & Theodori Presbyteri ſcripto apud Photium loco paulo ante allegato. Poſtea ſequiori ævo, cum & in literis barbaries, & in religione ſuperſtitio crevit, ſimul etiam opinio de genuinis Dionyſii Areopagitæ ſcriptis in illa temporum caligine invaluit, donec in ipſo renaſcentium literarum diluculo Valla, Cajetanus, Eraſmus, Lutherus aliique larvam huic Scriptori detraherent. Quinta Cozzæ ratio ab antiqua & legitima operum Dionyſianorum poſſeſſione arceſſitur. Quam poſſeſſionem probaturus ex primo vel ſecundo ſeculo teſtem Ignatium producit, quem in epiſtola ad Trallianos ea, quæ de Angelis & cœleſtibus virtutibus diſſerit, ex Dionyſii Areopagitæ ſcriptis mutuatum ſuſpicatur. Sed quo-

 mo-

modo Ignatius illa ex Dionyſio mutuari potuit, cum Ignatiana Angelicorum ordinum enumeratio a Dionyſiana multum differat? Præterea, ſi *Baronium ad A. C. CIX. n. 35.* ſequamur, Ignatius omnium primus novem Angelorum ordines conjunctim enumeravit, & ante Dionyſium Areopagitam ſcripſit, quæ Baronii ſententia ſi vera eſt, neceſſe eſt falſam eſſe Cozzæ ſententiam, qui cum Gulielmo Budæo ſtatuit, Ignatium novem Angelorum ordines a Dionyſio didiciſſe. Præterea locus ille Ignatii non in ſincera, ſed interpolata ejusdem ad Trallianos epiſtola legitur. Ex tertio ſeculo Cozza Origenem & Dionyſium Alexandrinum, ex quarto Gregorium Nazianzenum, Athanaſium, Hieronymum, & Chryſoſtomum, ex quinto Baſilium Seleucienſem, Cyrillum Alexandrinum, & Andream Cæſarienſem allegat. Verum illa Patrum teſtimonia partim ex dubiis & ſpuriis illorum ſcriptis deſumta ſunt, partim nullam plane Dionyſii mentionem faciunt, aut, ſi faciunt, de quo Dionyſio ſermo ſit, in ambiguo relinquunt; partim quidem ſententias aliquas exhibent, quæ ex Dionyſio Areopagita depromtæ videri poſſunt, ita tamen comparatæ ſunt, ut rectius Pſeudo-Dionyſius illas ex iſtis autoribus mutuatus dicatur, qua de re in diſſertatione de Patribus apoſtolicis *p. 144. & ſeqv.* jam aliqua breviter monui, nec ut plura addam opus eſt. Patrum 6. 7. & ſequentium ſeculorum adductione Cozza ſuperſedere potuiſſet, cum illis temporibus Dionyſii Areopagitæ opera jam cognita fuiſſe utrinque concedatur. Nec video, quid Cozzam juvare poſſit catalogus Patrum, qui Dionyſii Areopagitæ memi-

minerunt, per ſecula diſtributus, & ex Lansſelii diſputatione apologetica de S. Dionyſio repetitus. Non enim quæſtio eſt, an ſingulis ſeculis Dionyſii Areopagitæ mentio facta fuerit, ſed an ſingulis ſeculis Dionyſii Areopagitæ ſcripta cognita, & pro genuinis habita fuerint. In altera vindiciarum ſuarum parte Cozza eorum judicia recenſet, qui Dionyſii Areopagitæ opera ſpuria eſſe minime dubitarunt, & objectiones ab illis motas ſolvere conatur. Multum igitur ſe torquet, quomodo Dionyſius Areopagita Timotheo pridem defuncto ſcripta aliqua dedicare potuerit? quomodo hic Dionyſius ſententiam aliquam ex Ignatii epiſtola ad Romanos allegare potuerit, cum tamen mortuus fuerit antequam Ignatius epiſtolam ad Romanos ſcriberet? quomodo Dionyſius Apoſtolorum coætaneus tot traditiones & tantum ceremoniarum apparatum circa templa, altaria thurificationes, catechumenos, pœnitentes, energumenos, Monachos, eorumque habitum & tonſuram, baptiſmi & euchariſtiæ adminiſtrationem, mortuorum exequias, & alia in ſcriptis ſuis commemorare potuerit, cum tamen illi ritus Apoſtolorum ævo in eccleſiam invecti nondum eſſent? & quæ ſunt plura ejusmodi dubia, quæ quam infelici ſucceſſu Cozza enodare anniſus fuerit, inſtituti noſtri ratio non patitur, ut multis exponamus. Eodem autem anno, quo in Italia Cozza pro vindiciis ſcriptorum Dionyſii Areopagitæ peculiarem librum edidit, nempe A. 1702. etiam in Gallia Pariſiis novus Dionyſii Areopagitæ vindex prodiit, qui Gallice peculiarem librum de Dionyſio Areopagita in lucem publicam emiſit.

Etsi autem autor nomen suum suppresserit, prorsus tamen latere non potuit. Nam Michael Felibien Monachus Benedictinus e Congregatione S. Mauri in historia Abbatiæ S. Dionysii Autorem hunc anonymum prodit, & Claudium Davidem appellat. Tribus autem capitibus hæc Davidis dissertatio constat. Primo probandum suscipit, omnes ecclesiæ Patres, omnes summos Pontifices, omnia concilia, omnes celebres Doctores & Historicos opera Dionysii Areopagitæ pro genuinis agnovisse, sive ante collationem Constantinopolitanam cum Severianis A. 533. institutam, sive durante illa collatione, sive post illam vixerint. Sed quam miserabilis est asserti hujus probatio! Primus Patrum, quos allegat, est Dionysius Alexandrinus tertii seculi scriptor, quem scholia in Dionysium Areopagitam elucubrasse ex fide recentiorum quorundam Scriptorum memorat. At recentioribus illis Scriptoribus antiquiores opponi possunt, qui de istis Dionysii Alexandrini scholiis silent, quin etiam recentiores illi, quos adducit, Scriptores sub Dionysii nomine non celeberrimum illum tertii seculi Scriptorem, sed Dionysium quendam Rhetorem intellexisse videntur. Alter testis, quem pro Dionysio Areopagita ex Patribus producit, est autor quæstionum ad Antiochum, qui sub Athanasii larva prodiit, omnique fide indignus merito judicatur. Pseudo-Athanasium in hac Claudii Davidis dissertatione excipit Nazianzenus, qui num per aliquem ex Majoribus, qui de hymno angelico optime philosophatus est, Dionysium Areopagitam Pauli discipulum intellexerit, unde constabit? Locus Chrysostomi,

mi, qui Dionyſium Areopagitam volucrem cœli appellaſſe dicitur, ex ſpuria ejus de Pſeudo-prophetis homilia deſumtus eſt. Johannem Darem & Iſaacum Syrum, quos Patribus quarti ſeculi Claudius David annumerat, longe recentiores eſſe Johannes Morinus abunde probavit. Cyrilli Alexandrini libros, e quibus Acephali Dionyſium Areopagitam allegarunt, Orthodoxi a Cyrillo Alexandrino ſcriptos eſſe inficiati ſunt, ut refert Liberatus *in breviario c. 10.* Quæ de Juvenali Hieroſolymitano in gratiam Dionyſii Areopagitæ referuntur, unius Nicephori fabuloſi & mendacis Scriptoris fide nituntur. Eat ergo nunc Claudius David, & probet univerſos S. Patres Dionyſii Areopagitæ opera tanquam genuina commendaſſe, cum ne unum quidem ex quinque prioribus ſeculis probatum Patrem nominare potuerit. Eat nunc & probet univerſa ſacra concilia de genuinis Dionyſii Areopagitæ ſcriptis teſtari, cum tamen ex tot priorum ſeculorum conciliis ne unicum quidem pro Dionyſio allegare potuerit. Eat & probet omnes ſummos Pontifices Dionyſii Areopagitæ ſcripta tanquam genuina approbaſſe, cum ne unicum quidem ex Romanis priorum ſeculorum Pontificibus allegare potuerit. Unde tandem ad fabuloſa miracula converſus Dionyſii Areopagitæ ſcripta ab ipſo cœlo confirmata fuiſſe vaniſſime nugatur. In capite ſecundo hujus diſſertationis ex optimis regulis criticis, quibus ſcripta genuina a ſpuriis diſtingui ſolent, probare conatur ſcripta Dionyſio Areopagitæ tributa legitimum eſſe hujus autoris fœtum. Verum ex ejuſmodi criteriis contrarium potius

cla-

clarissime evinci potest. Est certe criterium scripti pseudepigraphi, si autor aliquis pro antiquo venditetur, & omni tamen sanæ antiquitatis testimonio destituatur, si in scripto aliquo, quod apostolicæ ætatis esse fingitur, mentio fiat talis disciplinæ aut politiæ, taliumque rituum & cerimoniarum, quæ longe recentiores sunt apostolica ætate, si in scripto aliquo, quod illustri viro tribuitur, insignes parachronismi, aut etiam historiæ probatis Scriptoribus incognitæ, & cum circumstantiis personarum, loci, temporis, aliisque male cohærentes occurrant, si in scripto primam antiquitatem mentiente pueriles fabulæ & aniles næniæ referantur, si scriptor aliquis hæresium suo ævo nondum motarum mentionem faciat, ut alia hujusmodi criteria taceamus, quæ operibus Dionysii Areopagitæ ad νοθείαν eorum probandam facili negotio applicari possunt. Tertio denique & ultimo hujus dissertationis capite Claudius David ad illos progreditur, qui Dionysii Areopagitæ opera spuria esse censent, tam Anonymos, quam certo nomine signatos, tam veteres, quam recentiores, tam Lutheranos & Reformatos, quam Pontificios, & in his Vallam, Erasmum, Morinum, Launojum, Tillemontium, Quesnelium, & Petavium, & ad argumenta horum Antiareopagitarum respondere conatur. Verum non minus ac Cozza, & alii quidam scriptorum Areopagitæ vindices, magno conatu magnas nugas venditat, & miramur in hodierna literarum luce quemquam adhuc inveniri, qui ista scripta tanquam genuina venerari possit. Multo magis miramur Joh. Wilhelmum Peterseniun in Lutherana ecclesia

clesia educatum, qui tamen postea ad Libertinos nostri temporis defecit, in nube testium *libr. 2. p. 64.* eo absurditatis procedere, ut eos falli putet, qui Dionysium hunc hypobolimæis Scriptoribus annumerant, & contra asserere minime dubitet, Scriptorem illum divinissimum divino actum spiritu res sublimissimas consignasse. Easdem cum Petersenio tibias inflavit ejusdem furfuris Scriptor Godofredus Arnoldus, qui in historia sua ecclesiastica & hæresiologica *lib. 1. c. 2. §. 9. & 10.* scripta sub Dionysii Areopagitæ nomine conficta tanquam genuina defendere non dubitavit, quo nomine ipsum merito castigavit Dn. D. Feustkingius in Arnoldo *ἀνιστορησίας* in re sacra convicto. Alibi tamen Arnoldus hunc Scriptorem vocat den Autorem, der sich unter den Nahmen Dionysii Areopagitæ versteckt gehabt / quam inconstantiam Arnoldo exprobrat Corvinus in der gründlichen Untersuchung *c. 21. §. 18.* Conferatur etiam Arnoldi tractatus *de historia & descriptione Theol. mystic. c. 10.* ubi se Dionysium hunc primis duobus seculis inserere noluisse dicit, cum plerique Scholasticorum, quos vocat, adeo ipsi adversentur, ut nullo modo eum Pauli discipulum & primævæ ecclesiæ Doctorem agnoscere velint, etsi paulo post Dionysii hujus characterem omnino apostolicum & divinum ab illuminatis reperiri tradat. Unde mirum est, Arnoldum, qui dubio procul se inter illuminatos esse judicat, in Scholasticorum gratiam Dionysium Areopagitam primi & secundi seculi Scriptoribus inserere ausum non fuisse. Postea, a quibus Dionysii scripta allegata, laudata & commendata, scholiis illustrata & latine versa

fuerint, recenset, & inter alia a Jacobo Thomasio Ambrosium Camaldulensem cum Ambrosio Calepino confundi animadvertit, varias quoque operum Dionysii Areopagitæ editiones commemorat, Laurentium autem Vallam & Erasmum hæc in dubium vocare conatos fuisse dicit, cum uterque literatus, & ideo spiritualia spiritualiter judicare incapaces fuerint. Quæ ratio si valeat, etiam ipse Dionysius Areopagita, cum literatus dubio procul, & inprimis in Platonica Theologia, quæ apud illuminatos magni æstimatur, probe versatus fuerit, spiritualia spiritualiter judicare incapax fuisse dicendus erit. Varias insuper operum Dionysii Areopagitæ editiones Arnoldus hic recenset, & tandem, quam discrepantes Protestantium sententiæ de his scriptis fuerint, exponit, & tam quæ rationes pro Dionysii scriptis, quam quæ contra illa allatæ fuerint, exponit, observans, Protestantes semel inchoata adversus Romano-Catholicos lite & disputatione, partim pro interesse suo non aliter potuisse, quam hæc Dionysii Areopagitæ, & similia antiqua scripta posthabere vel postponere, partim etiam ob innumerabiles verbales literalesque disputationes parum internæ & abstractivæ huic docendi methodo attendere potuisse, quæ quietam, abstractam & pacificam requirat vitam, quin etiam ipsos plerumque seculari & mundano externoque vivendi genere his rebus minime quadrante involutos esse. Si autem Protestantes plerique seculari & mundano externoque vivendi genere his rebus mysticis minime quadrante involuti de scriptis Areopagitæ non recte judicare poterunt, quæ impudens Arnol-

noldi est calumnia, quomodo Pontificii mundano, seculari & externo vivendi genere involuti eandem cum illuminato Arnoldo sententiam de genuinis Areopagitæ scriptis sententiam fovere poterunt ? & si Protestantes cœpta semel contra Pontificios lite ob innumerabiles verbales & literales disputationes de Dionysio minus dextre judicare potuerunt, quomodo Arnoldus, qui tot lites in historia sua ecclesiastica & aliis scriptis contra Protestantes instituit, nihilominus internæ & abstractivæ huic docendi methodo, quæ juxta ipsum quietam & pacificam vitam requirit, attendere potuit ? o cœcas talium illuminatorum mentes! o pectora cœca!

XVIII. De MARCELLI CONFLICTU SIMONIS PETRI CUM SIMONE MAGO, quem mutilum Ludovicus Jacobus a S. Carolo ad calcem bibliothecæ suæ Pontificiæ, integrum Fridericus Nausea inter rhapsodias de vitis, miraculis & passionibus Apostolorum sub nomine Anonymi Philalethi Eusebiani editas, & Franciscus Maria Florentinius in martyrologio Hieronymiano ediderunt, egi in dissertatione de Hæresiarchis ævi apostolici *Sect. I. c. 2. th. 7. & in appendice hujus dissertationis c. 2. thes. 13. 14. 15. & 16.* ut & *in dissertatione de Patribus Apostolicis p. 24.* Nec opus est, ut ista hic repetam. Addo tantum judicium celeberrimi Cave in historia literaria Scriptorum ecclesiasticorum his verbis expressum : *ego, si tanti res esset, ut conjecturis indulgerem, hunc libellum potius Marcello I. Episcopo Romano tribuendum esse existimarem.*

XIX. PRESBYTERORUM ET DIACONORUM ACHAJÆ de paſſione Andreæ epiſtolam poſt Mombritium Lipomannum & Surium in actis Sanctorum edidit Laurentius de la Barre in hiſtoria ſua chriſtiana, & Andreas du Sauſſay in tractatu de gloria Andreæ. Num Baronius hanc epiſtolam ut ſpuriam rejecerit, ut nonnulli contendunt, disquiſivi in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis *theſ. 25.* Ibidem indicavi, quibus argumentis Andreas du Sauſſay hujus epiſtolæ γνησιότητα & authoritatem probare ſategerit, & quid de ejus reſponſionibus ad Edmundi Albertini objectiones ſentiendum videatur *theſ. 26.* breviter indicavimus, ſimulque hanc epiſtolam omnino pſeudepigraphis ſcriptis annumerandam eſſe judicavimus, qua in re nonnullos ex ipſis Pontificiis, & in his Dupinium *biblioth. Script. eccleſ. Tom. I. p. 27. lat. editionis*, & Tillemontium *in memoriis hiſt. eccleſ. Tom. I. p. 620. & ſeq.* conſentientes habemus.

XX. ABDIÆ BABYLONII HISTORIAM CERTAMINIS APOSTOLICI primus Baſileæ A. 1552. edidit Wolfgangus Lazius, quem miramur hos carbones a ſe inventos pro magnis theſauris venditaſſe. Plures editiones indicat Fabricius in codice apocrypho N. Teſt. ubi & ipſe poſt alios denuo hunc Scriptorem cum ſuis annotationibus vulgavit *pag. 388. & ſeqq.* Abdiæ hiſtoriam cum Manuſcriptis Gladbacenſibus ab Henrico Rosvveido diligentiſſime collatam memorat Papebrochius *Tom. 2. actorum Junii p. 435.* ubi etiam eandem hiſtoriam cum præfatione Melito-

nis.

nis Episcopi, manu Reinoldi Dehnii ex plus quam sexcentorum annorum codice Henrici Julii Baronis de Blum transscriptam addit. Qui autem Abdiam etiam in bibliothecis Patrum quærendum existimant, eos vel aliorum autoritas, vel sua ipsorum memoria fefellit.

XXI. LINI LIBRI DUO DE PASSIONE PETRI ET PAULI bibliothecis Patrum, ut & Jacobi Fabri Stapulensis Commentario in epistolas Paulinas, & Laurentii de la Barre historiæ christianæ inserti sunt. Eos in monumentis orthodoxographis Basileensibus græce editos dum Labbeus *tom. 2. de Scriptor. eccles. p. 28.* asserit, dupliciter magnus hic Criticus & gravissimus aliorum censor labitur. Nam primum hi libri in monumentis Orthodoxographis Basileensibus ne latine quidem extant. Deinde hi libri nunquam græce prodierunt, & ne quidem græce unquam scripti sunt, quicquid Sixto Senensi *libr. 2. Bibliotb. S. p. 78.* & aliis nonnullis videatur. Non minus dupliciter labitur Ulricus Velenus in libro, quo Petrum Romam non venisse probat, cum Lini libros a Jacobo Fabro latinitate donatos tradit. Nam græce nunquam scripti sunt, & a Fabro quidem latine editi, non autem latinitate donati. Ludovico Jacobo a S. Carolo, qui in bibliotheca sua Pontificia *libr. 1. p. 153.* Lini libros de martyrio Petri & Pauli Vesontione in Gallia puros & sinceros asservari tradit, imposuit Chiffletius, qui in Vesontione sua *part. 2. p. 9.* somnio isto delectatur. Si Lorini conjecturam *comment. ad Act. XVIII, 12.* sequamur, dicendum erit eundem illum impostorem, qui mu-

mutuas Pauli & Senecæ epiſtolas confinxit, Lino quoque fœtum hunc alienum ſuppoſuiſſe. Id certum eſt, falſum eſſe titulum, quem hi libri præ ſe ferunt, quos Nourrius in apparatu ad BB. PP. *diſſert. 6.* tanquam ab imperito nebulone ſcriptos æternis tenebris ſepeliri debuiſſe judicat. Conferatur etiam Barthius in adverſariis *libr. 43. c. 13.* ubi hunc autorem, quisquis fuerit, nonnullis ſcholiis & animadverſionibus illuſtrat.

XXII. CLEMENTIS ROMANI OPERA nemo plenius collegit, quam Joh. Baptiſta Cotelerius in Patribus ſuis Apoſtolicis Pariſiis 1672. & qui Coterianam hanc Patrum Apoſtolicorum collectionem in Belgio renovavit Johannes Clericus. Occurrunt inter hæc Clementis Romani opera CANONES APOSTOLICI, qui ab Apoſtolis ſanciti, & a Clemente collecti perhibentur. Non eſt autem idem illorum canonum in omnibus editionibus numerus. Nonnullæ enim editiones quinquaginta tantum exhibent; quem numerum in ſuis canonum collectionibus Dionyſius Exiguus, Iſidorus Mercator, Creſconius & alii Latini ſequuntur. Nec differt ab his editionibus epitome Hadriani apud Caniſium *tom. 6. antiquar. lect.* etſi in ea nonnunquam duo vel tres canones in unum contrahantur, ideoque 45. tantum canones apoſtolici numerentur. Aliæ vero editiones 85. canones apoſtolicos numerant, quem numerum Johannes Scholaſticus, Photius, aliique Græci ratum habent, quibus editionibus etiam annumerandæ, in quibus aliqui contrahuntur, ideoque tantum 84. vel 82. vel 81. vel 77. vel

75.

75 canones apoſtolici numerantur. Scholiis ſuis hos canones illuſtrarunt e Græcis Johannes Zonaras, Theodorus Balſamon & Alexius Ariſtenus, quorum ſcholia Gulielmus Beveregius in ſuo Synodico conjunctim græce & latine exhibet, qui & ipſe canones Apoſtolicos doctiſſimis annotationibus expoſuit, quod etiam a Cotelerio in notis ad Patres apoſtolicos factum eſt. Quid autem de canonibus apoſtolicis ſtatui debeat, non una eademque eſt Pontificiorum ſententia. Severinus enim Binius *Tom. I. concil. p. 14.* duos tantum ex canonum apoſtolicorum numero, nempe canonem ſuæ editionis 65. & 84. & Cardinalis Aguirre *Tom. I. conciliorum Hiſpaniæ differt. 3. excurſ. 6. & 8.* quinque tantum nempe 46. 47. 65. 67. & 84. pſeudepigraphos eſſe cenſet. At Bellarminus *de Script. eccleſ. p. 54.* in numerandis ſuppoſititiis Apoſtolorum canonibus longe liberalior eſt, dum quinque & triginta poſteriores omnes reprobat, & tantum quinquaginta priores pro legitimis agnoſcit. Nec alia videtur ſententia Antonii Conſtantini a Caſtrovillare Ordin. Minimorum S. Franciſci de Paula Exprovinciali in diſſertatione de canonibus Apoſtolorum Romæ 1697. edita. Cum enim in primo capite *ſect. 5.* quinquaginta priores canones recenſuiſſet, *hos*, inquit *p. 28. quinquaginta canones tantum ut vere ab Apoſtolis conditos defendam.* Et in indice *p. 356.* dicit: *triginta quinque Apoſtolorum canones, quos ſupra 50. Græci recipiunt, cum Romana eccleſia rejicimus.* Mirum ergo eſt, quod in eadem pagina paulo poſt etiam 35. canones poſteriores tanquam apoſtolicos recipere videatur, cum ait: *regulas illas ſive*

ſo-

50. sive plures ab Apostolis conditas convincitur ex ipsius ecclesiæ, quæ nec decipere nec decipi potest, universali consensu. Si autem universali ecclesiæ consensu, quem infallibilem existimat, convinci potest, etiam posteriores canones Apostolicos ab ipsis Apostolis conditos fuisse, nescio quomodo bonus ille Frater eos rejicere audeat. Et quomodo universalis ecclesiæ consensus locum habere potest, si Romana ecclesia tantum quinquaginta priores canones Apostolicos admittat, & reliquos triginta quinque, quos Græca ecclesia æque ac priores veneratur, rejiciat? Sunt autem etiam nonnulli inter Pontificios, qui universos canones, qui Apostolicorum titulo gaudent, pro adulterinis agnoscere non verentur, ut Tillemontius *in memor. eccles. Tom. II. p. 178.* Dupinius *in biblioth. nov. pag. 21.* Petrus de Marca *libr. 3. de concordia sacerdotii & imperii cap. 2.* ubi collectionem horum canonum post A. C. 258. cum & Apostoli & Clemens Romanus jampridem terris emigrassent, factam esse judicat; Gabriel Albaspinæus, qui *libr. I. observat. c. 13.* nonnullos ex canonibus apostolicis ab Apostolorum successoribus seu viris apostolicis, non tamen ab ipsis Apostolis constitutos, reliquos autem successu temporis additos arbitratur; Cabassutius *in notit. concil. p. 7.* qui ante seculum quintum jam adultum canones apostolicos innotuisse negat, & Natalis Alexander *sec. I. differt. 17.* eidem Cabassutii sententiæ inhærens. At nec desunt inter Pontificios, qui canones Apostolicos universos ipsis Apostolis autoribus acceptos referunt, e quibus Franciscus Turrianus in tractatu contra Magdeburgenses toto libro

bro I. canonum illorum defensionem in se suscipit, eosque ab Apostolis in concilio Hierosolymitano sancitos, & sibi persuadet, & aliis persuadere conatur. Inter Reformatos nullus est, quantum scio, qui non canones apostolicos cum Dallæo *libr. 3. de pseudepigraphis apostolicis* legitimum Apostolorum fœtum esse neget, sunt tamen inter illos nonnulli, qui canonibus apostolicis longe antiquiorem ætatem tribuunt, ac a Dallæo factum est, dum canones illos secundo vel tertio seculo procusos statuunt, ut Blondellus *de Episcopis & Presbyteris sect. 3. p. 317.* & *in prolegomenis ad Pseudo-Isidorum c. 12.* Gulielmus Beveregius in annot. ad Synodicum, ut & in codice canonum illustrato & vindicato, in quo suam sententiam contra Matthæum Larroquanum Dallæi hyperaspisten tueri satagit, Petrus Gumingius in tract. de jejunio antepaschali, & Jacobus Usserius, qui in prolegomenis ad epistolas Ignatii posteriores quidem canones apostolicos ad sextum seculum rejicit, priores tamen quinquaginta tertio seculo collectos arbitratur. Quicquid autem sit de tempore, quo canones apostolici Apostolis suppositi fuerunt, certum est, ab Apostolis eos conditos non fuisse, nec leviter Johannem Damascenum errasse, qui *libr. 4. de orthodoxa fide c. 18.* canones Apostolorum libris Novi Testamenti annumeravit. Non minus erravit Sixtus Senensis, qui *in bibliotheca sua sancta libr. 2. p. 49.* asserit canones apostolicos ab Athanasio in Synopsi inter hagiographa numerari, & Tertullianum in libro adversus Praxeam canones Apostolorum per manus nobis traditos affirmasse. Quod falsissimum esse comperiet,

G quis-

quisquis illa Tertulliani & Athanasii scripta perlustrare voluerit, etsi Sixti Senensis oscitantia etiam Bellarminum in tractatu de Script. eccles. implicita fide oscitantem fecerit. Rectius Damasceno de canonibus apostolicis judicavit Gelasius Papa in decreto, quo libros approbatione dignos a rejiculis discernit. Ibi enim canones apostolicos non inter libros Novi Testamenti, sed in apocryphorum classe collocat. De quo Gelasii judicio plura dixi in dissert. de Pseudepigraphis Christi, Mariæ, & Apostolorum *c. XI. thes. 25. & seqv.* ubi etiam alios veteres, penes quos canones apostolici exiguæ autoritatis fuerunt, recensui. Rationes autem varias, ob quas canones apostolici pro legitimo fœtu agnosci non possunt, e nostratibus adducunt Centuriatores *cent. 1. part. 2. p. 544.* Osiander *in epitome hist. eccles. centur. I. libr. 3. c. 4.* Gerhardus *in confessione cathol. libr. I. general. part. 2. c. 6. p. 394. & seqv.* Varenius *in rationario seculi I. p. 57. & seq.*

CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM, quæ a Clemente Romano digestæ perhibentur, varias editiones a Carolo Capellio, Petro Crabbio, Johanne Carolo Bovio, Francisco Turriano, editore Parisiensi operum Clementis, Laurentio Surio, Dominico Nicolino, Severino Binio, Frontone Ducæo, Philippo Labbeo, & Johanne Baptista Cotelerio procuratas recensui in dissertatione de pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum *c. 12.* Has vero constitutiones non indignas esse, quæ canoni Scripturæ inferantur censuit Stapletonus, nec desunt alii inter Ponti-

ti-

tificios, qui hoc opus maximopere commendant, & ut genuinum defendunt, quod ex instituto factum est a Bovio (non Bosio, ut ex errore typographico in Possevini apparatu *Tom. I.* legitur) & majori conatu a Turriano, non quidem in tractatu contra Magdeburgenses scripto, ut Rivetus *in Critico sacro libr. I. c. 2.* sibi persuasit, sed in præfationibus, scholiis & explanationibus apologetiticis tam græcis quam latinis, quibus constitutiones apostolicas a se editas exornavit. Eundem constitutiones apostolicas defendendi laborem promittebat e Reformatis Richardus Montacutius *in apparatu origin. eccles. p. 394.* quin etiam in scriptis contra Seldenum se hoc labore jam defunctum suaviter somniabat, etsi nihil tam magnifica pollicitatione dignum hactenus in ejus scriptis visum fuisse viri docti animadverterint. Sed Montacutio opposui in dissertatione superius allegata Reformatos reliquos omnes, & in his imprimis Johannem Dallæum, qui in tractatu de pseudepigraphis apostolicis per totum librum primum & secundum constitutiones apostolicas spurias esse clarissime demonstravit. Bovio & Turriano opposui Christianum Lupum, qui in scholiis ad canones conciliorum *part. 2. p. 868.* volumen hoc ab homine Ariano, & tam in dogmatibus quam in ritibus maculato, consarcinatum esse, & vindices hujus operis Bovium & Turrianum bonas horas male collocasse judicat. Opposui etiam Bovio & Turriano Natalem Alexandrum, qui integra dissertatione 18. seculi I. has constitutiones ab Apostolorum ævo & ecclesiæ doctrina alienas esse probat. Potuissem etiam Turriano opponere Possevinum, qui in apparatu

tu Tom. I. ſub voce *Clemens* ingenue fatetur, Turrianum non apud omnes effeciſſe vel eviciſſe, quod conſtitutiones illæ ſint apoſtolicæ & legitimæ a Clemente conſcriptæ. E Græcis adduxi Zonaram, qui *in ſcholiis ad c. 60. apoſtolicum* conſtitutiones apoſtolicas inter ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία numeravit, & Patres concilii 6. generalis in Trullo habiti, qui can. 2. conſtitutiones apoſtolicas reprobant, cum jampridem hæretici nonnulla falſa & a pietate aliena in eccleſiæ exitium conſtitutionibus illis intruſerint. Porro has conſtitutiones omni genuinæ antiquitatis teſtimonio deſtitui probavi, & ad teſtimonia, quæ ex Dionyſio Areopagita, Ignatio, Polycarpo, Irenæo, Tertulliano, Dionyſio Alexandrino, Euſebio, Athanaſio, Epiphanio, Petro Alexandrino, Gregorio Nazianzeno, Philaſtrio, Euthalio Sulcenſi, Cyrillo Hieroſolymitano, Chryſoſtomo, Hieronymo, Aſterio, Proclo, aliisque Patribus pro conſtitutionum illarum antiquitate allegari ſolent, breviter reſpondi. Dixi etiam nonnihil de conſtitutionibus apoſtolicis, quæ apud Abyſſinos receptæ ſunt, & de quibus apud Ludolphum *in comment. hiſt. Æthiop. libr. 3. c. 4. n. 30.* plura legi poſſunt. Concluſi tandem non ſolum ab Apoſtolis has conſtitutiones profectas non fuiſſe, ſed ne id quidem probari poſſe, quod ſeculis apoſtolico proximis jam cognitæ fuerint, quam conſtitutionum antiquitatem Bona Cardinalis, Johannes Morinus, Johannes Fronto, Petrus de Marca, Gabriel Albaſpinæus, Johannes Gregorius, David Blondellus, Gulielmus Beveregius & alii ſtatuunt. Nullo enim idoneo argumento id probari poteſt, potius rationes

ſup-

ſuppetunt, quæ tribus prioribus ſeculis conſtitutiones apoſtolicas ignotas fuiſſe evincunt. Quarto autem ſeculo omnino conſtitutiones quædam apoſtolicæ innotuerunt, quæ poſtea circa ſextum ſeculum ab homine quodam Ariano corruptæ & interpolatæ ſunt, unde mirum non eſt quod conſtitutiones apoſtolicæ, quæ Epiphanii ævo toleratæ fuerant, poſtea ab Epiſcopis in Trullo congregatis reprobatæ fuerint, & apud Græcos male audire cœperint, etſi Photius in bibliotheca *c. 112.* difficultates, quæ conſtitutionibus apoſtolicis objici poſſunt, non plane inſuperabiles arbitretur. Cotelerii ſententiam de conſtitutionibus apoſtolicis adduxi *in differt. de Patribus apoſtolicis p. 218.* ubi etiam obſervavi, quod etſi apologia Auguſtanæ Confeſſionis ad artic. 7. de eccleſia conſtitutiones apoſtolicas ipſis Apoſtolis tribuere videatur, apologia tamen decretum de paſchate cum fratribus ex circumciſione celebrando ex Epiphanii ſententia decretum Apoſtolorum nominet, & præterea διάταξις illa apoſtolica ab Epiphanio ex conſtitutionibus apoſtolicis adducta, & in apologia Auguſtanæ Confeſſionis repetita in hodiernis apoſtolicis conſtitutionibus non amplius legatur, ſed potius contraria conſtitutio ibi reperiatur. Unde patet conſtitutiones apoſtolicas ab Epiphanio uſurpatas cum hodiernis easdem non eſſe, quamvis etiam illæ, quas Epiphanius habuit, ab ipſis Apoſtolis neque ſcriptæ neque traditæ fuerint. Conferantur etiam de conſtitutionibus apoſtolicis Chemnitius *exam. concil. Trident. part. 4. p. 778.* Gerhardus *Confeſſ. Cathol. lib. I. gen. part. 2. c. 7. p. 409.* Varenius *rationar. ſec. I. p. 97.* Scultetus

in medulla Patrum part. I. lib. 2. c. 5. Chamier *panstratia Cathol. Tom. I. libr. 5. c. 13.* Jacobus Usserius *in prolegomenis ad epistolas Ignatii c. 6. & sequ.* Zieglerus *in dissertat. de orig. & increment. jur. canon. §. XIV. p. 9.* & Conringius *de purgatorio* §. *32. p. 49.* ubi miratur Bellarminum hoc constitutionum opus ad incrustandos errores Pontificios non raro allegare, & tamen in tractatu de Scriptoribus ecclesiasticis solidis argumentis probare, quod fœtus hic Apostolis & Clementi sit suppositus. Quod num satis sit consentaneum illi laudi, qua vulgo fertur, Bellarminum per totam vitam nullius mendacii sibi conscium fuisse, aliis judicandum Vir doctissimus relinquit. Addit ibidem tres alios Jesuitas, qui constitutiones apostolicas tanquam opus adulterinum explodunt nempe Petrum Halloixium *in not. ad vitam Polycarpi c. 6. ad vitam Ignatii c. 2.* & *in apologia pro scriptis Dionysii Areopagitæ c. 3.* Dionysium Petavium *libr. 2. de doctrina temporum c. 57.* & *in notis ad Epiphanii hæres. 70.* & Antonium Possevinum, cujus judicium de Turriano infelici constitutionum apostolicarum vindice jam supra allegavimus. Quod autem de constitutionibus apostolicis dictum est, nempe eas Clementi suppositas fuisse, idem dicendum est de CLEMENTIS LITURGIA, quæ his constitutionibus inserta legitur.

CLEMENTIS ROMANI RECOGNITIONUM LIBRI X. Berolini A. 1702. germanice prodierunt cum Godofredi Arnoldi præfatione, in qua inter alia §. 23. varias editiones ex latina Rufini versione

ne diverſis locis & temporibus vulgatas recenſet, quas inter nihil fere diſcriminis eſſe aſſerit, niſi quod nonnunquam variæ lectiones & mutationes quarundam vocum & diſtinctionum occurrant. Verum id falſum deprehenditur. Nam Coteleriana editio libr. 3. integra quædam capita exhibet, quæ neque in Sichardiana editione omnium prima A. 1526. Baſileæ excuſa, neque in Gruteriana, quam Germanica verſio ſequitur, nec in aliis ante Cotelerianam publicatis leguntur. Sub initium præfationis Arnoldus varia hujus operis nomina, & antiquitatis de illo teſtimonia adducit. Et negari certe non poteſt, has Clementis recognitiones, quæ Petri periodos vel itinerarium deſcribunt, Scriptoribus tertii & ſequentium ſeculorum non incognitas fuiſſe. Unde in diſſertatione de Patribus apoſtolicis *pag. 222.* obſervavi, in Bœcleri hiſtoria univerſali *p. 14.* falſo aſſeri, quod libros recognitionum Iſidorus Peccator vel Mercator Clementi ſuppoſuerit, cum recognitiones iſtæ multis ante Iſidorum Mercatorem ſeculis in eccleſia notæ fuerint. Nolim tamen doctiſſimo Bœclero, quem Argentorati inter Præceptores meos colui, craſſum hoc erratum imputare, ſed exſcriptori aut typographo, qui, quæ Bœclerus de Clementis Romani epiſtolis decretalibus tanquam malis Iſidori Mercatoris mercibus ſcripſerat, ad Clementis ἀναγνωρισμὸν ſeu recognitiones perperam tranſtulit. Etſi vero hoc recognitionum opus ad ſuppoſititias Iſidori merces non pertineat, dubium tamen non eſt, quin ab alio quodam antiquiori impoſtore Clementi ſuppoſitum fuerit, quod ex variis quibus ſcatet erroneis dogmatibus,

&

& plurimis quas continet fabulis non difficulter præsumi poteſt. Sane Baronius *ad A. C. 51. num. 53.* ex his libris tanquam cœnoſo gurgite ejusmodi portentoſa mendacia, & inſana deliria deducta eſſe ſcribit, quæ non tantum ab eruditis viris improbanda, ſed ab omnibus, qui vel leviſſime eccleſiaſticarum rerum peritia tincti ſunt, procul rejicienda eſſe minime dubitat. Et Barthius in adverſariis *libr. 45. c. 5.* hos libros, etſi antiquos & bonarum rerum plenos, ita tamen legendos ſtatuit, ac ſi Apulejus de aſino aureo, vel alius Scriptor fabuloſus legeretur. Diſplicet hoc Barthii judicium Arnoldo §. *13.* ideoque Barthio Vendelinum opponit, qui in divinatione de tempore Clementis hos libros non in totum dramaticos eſſe judicat. At Vendelinus, dum hos libros non ex toto dramaticos eſſe judicat, ſaltem magna ex parte dramaticos agnoſcit. Bardeſanis Syri fragmentum ab Euſebio *libr. 6. præpar. Evangel. cap. 10.* relatum ex Clementis recognitionibus excerptum eſſe dicit Arnoldus, non probat. Nihil vero impedit, quo minus dicamus, quod potius perſonatus Clemens verba illa ex Bardeſanis dialogo exſcripta ſuo operi inſeruerit. Quin etiam celeberrimo Cave in hiſtoria literaria *p. 48.* non improbabile videtur, huic ipſi Bardeſani, quem Valentinianorum hæreſi infectum fuiſſe Epiphanius *hæreſ. 56.* teſtatur, potius quam Clementi Romano decem recognitionum libros tribui debere. Quisquis autem decem *ἀναγνωρισμῶν* vel *ἀναθεωρισμῶν* libros Clementi Romano ſuppoſuerit, hæreticum illum fuiſſe dubitandum minime videtur. Unde mihi non diſplicet judicium Nico-

colai le Nourry, qui in apparatu ad BB. PP. *libr. I. dissertat. XI. art. 7.* autorem hujus operis virum quidem doctum, attamen hæreticorum ac imprimis Ebionitarum erroribus addictum fuiſſe cenſet, quod mihi utique veroſimilius videtur, quam quod hæreſes his libris aſperſæ ab alienis manibus intruſæ fuerint, quod Arnoldo placet, qui ſimul addit, quod hæretica dogmata huic operi intruſa jampridem a Rufino & aliis expuncta & ſublata fuerint, ac nihil amplius in his libris expurgandum reſtet, quod falſum eſſe eorum lectio oſtendit. Ad objectionem Bellarmini obſervantis in hoc opere Platonica nonnulla dogmata abſurde Apoſtolo Petro adſcribi, ita reſpondet Arnoldus, ut omnino Platonicum Chriſtianiſmum ſibi vel maxime placere non diſſimulet. Gratia autem ſit Arnoldo, qui tandem Voſſio, Ludovico a Dieu, Dallæo, Sixto Senenſi, Chamiero, Coco, Bellarmino, Baronio, Pererio, Nourrio & aliis vitio verti nolit, quod libros recognitionum pſeudepigraphos eſſe judicaverint. Tribuit hoc ipſorum ignorantiæ & præjudiciis, quod loca quædam & expreſſiones Clementis, cum receptis ſuis hypotheſibus conciliare non potuerint, cum omnino nonnulla primo intuitu obſcura & ἄτοπα videantur, ſo lange nicht der Geiſt der Weißheit ſelber (moriæ ſpiritum forte nominare voluit) einen Aufſchluß in ſolchen dunckeln und paradoxen Sachen gibt. Unde cogitandum cuilibet relinquit, ob nicht mancher Vortrag / der dem einen Leſer ſchwer / ja unerträglich und falſch düncket / dem andern leicht und feſt gegründet ſeyn könne? und ob nicht jenes aus allzugroſſer Unerkäntniß

in Göttlichen Dingen / aus partheyischen vorgefaßten Meynungen und Unreinigkeit des Hertzens kommen könne / gleichwie dieses aus einem geheiligten erleuchteten Sinn / welcher allein geistliche Dinge geistlich richten kan? Impura ergo sunt juxta Arnoldum nondumque illuminata & sanctificata eorum corda, qui Clementis Romani recognitiones genuinas esse videre non possunt, contra vero illuminatos & sanctificatos sensus habent, qui Clementis recognitionum legitimos natales agnoscunt, variasque fabulas illis comprehensas, quin etiam sententias a Spiritu S. in Scriptura damnatas, tanquam divina oracula venerantur. Qualis illuminatio etiam Petersenio obtigit, quippe qui in nube testium *libr. 2. pag. 60.* Clementem Pauli cooperarium recognitionum autorem esse minime ambigit. Parum autem ad commendandas Clementis recognitiones facit, cum Arnoldus eas quondam libris novi testamenti annumeratas fuisse ex Athanasii Synopsi S. Scripturæ memorat. Nam Athanasius refert, eas inter τὰ ἀντιλεγόμενα novi testamenti numeratas fuisse, in qua classe etiam Thomæ evangelium, & alia hujus furfuris & nullius pretii scripta collocata fuerint. Ex quo Athanasii loco Johannem Ernestum Grabium conclusisse miror, quod recognitionum autor catholicus fuerit. Num vero etiam Clementina, quæ apud Athanasium in prædicta Synopsi eandem ἀντιλεγομένων classem occupant, catholicum autorem habent? Id ego non crediderim. Cæterum idem impostor, qui sub Clementis nomine decem hos recognitionum libros scripsit, jam antea decem alios recognitionum libros

scri-

scripserat, ut ipse *libr. 3.* narrat, ubi librorum illorum argumenta breviter recenset. Verum priores illi decem recognitionum libri pridem perierunt. Breviter hoc loco etiam commemoranda fraus Arnoldi, qui germanicæ Clementinarum recognitionum versioni hoc anno 1708. novum titulum priori sublato affixit, cum malæ illæ merces sub priori titulo paucos emtores invenerint. Prior titulus erat: Des heiligen Clementis von Rom Recognitiones oder Historie/ von denen Reisen und Reden des Apostels Petri/ in Zehen Büchern: Nunmehr ins Teutsche übersetzet/ mit einem Vorbericht Gottfried Arnolds. Berlin/ verlegts Johann Michael Rüdiger. 1702. Novus autem titulus est: Historia von der Lehre/ Leben und Thaten derer beyden Apostel und Jünger Christi Petri und Pauli ausgefertiget von Gottfried Arnold/ itziger Zeit Inspector zu Werleberg. Rostock und Leipzig/ verlegts Christian Gotthold Garmann 1708. ubi nulla amplius Clementis mentio apparet, contra vero novus editionis locus & novum Typographi nomen occurrit, ita ut novum plane opus editum videatur, etsi solus operis titulus mutatus fuerit, in præfatione autem & ipsa versione omnia ut antea fuerant, relicta fuerint. Videat autem quæso lector quam belle novus titulus cum præfatione conveniat. Cum enim in novo titulo nulla S. Clementis mentio præmissa fuerit, tamen in præfatione dicitur: Der vorgesetzte Nahme des heiligen Clementis &c.

CLEMENTINA seu Clementis Romani homilias 19. Cotelerius, qui primus eas græce & latine

edidit, nugis & erroribus Ebionitarum imprimis ſcholam redolentibus, ſcatere non diſſimulat. Sintne hæc Clementina a Cotelerio edita eadem cum Clementinis, quorum Athanaſius in Synopſi Scripturæ meminit, & quæ Nicephorus *libr. 3. hiſt. eccleſ. c. 18.* τῇ ἐκκλησίᾳ εὐπαράδεκτα, ſeu eccleſiæ multum accepta fuiſſe ſcribit, an ab iis diverſa, aliis diſpiciendum relinquo. Id certum eſt Clementina hæc a Cotelerio edita pſeudepigraphis Clementinis merito adnumerari. Præmiſſa eſt his Clementis epiſtola Petri ad Jacobum, quæ prædicationes ſuas ipſi miſſas non temere Ethnicis communicari monet, ne adulterentur. Cui epiſtolæ ſubjecta eſt præſcripta a Jacobo formula conteſtationis, qua ille, cui hi libri communicantur, cum multis execrationibus cœlum, terram, aquam & aerem teſtatur, quod hos libros fideliter cuſtoditurus nec adulteraturus ſit, nec ullo pacto cuiquam daturus, niſi quem intra ſex annos dignum probaverit & exploraverit. Hanc Petri epiſtolam ad Jacobum excipit Clementis epiſtola ad Jacobum Hieroſolymitanum Antiſtitem ejusque Presbyteros & Diaconos cum cæteris fratribus, quæ epiſtola primum græce & latine, deinde latine ex Rufini interpretatione exhibetur, de quibus epiſtolis idem ac de ipſis 19. homiliis Clementinis judicandum eſt.

CLEMENTIS EPITOME GESTORUM PETRI cum Clementis Romani operibus ſemel iterumque prodiit, ſeorſim etiam a Perionio vulgata. Petri Lambecii de hac epitome judicium Cotelerio conforme, ut & Caſparis Barthii de eodem ſcripto

pto censuram *in dissertatione de Patribus apostolicis p. 227. & sequ.* retuli. Nunc addo, quod celeberrimus Caveus in historia literaria Symeonem Metaphrastem hujus epitomes autorem non improbabili conjectura suspicietur.

CLEMENTIS EPISTOLAS QVINQVE DECRETALES, quarum I. Jacobo, II. itidem Jacobo, III. omnibus Episcopis aliisque Clericis cunctisque Principibus majoribus & minoribus, IV. Julio & Juliano, & V. civibus Hierosolymitanis inscripta est, Isidorus Mercator sub Clementis nomine confinxit, quemadmodum & aliis primorum seculorum Episcopis Romanis impostor ille ejusmodi epistolas decretales ex variorum Scriptorum sententiis & laciniis centonum instar consutas affingere non erubuit. Quas veterum Romanorum Pontificum a Clemente ad Siricium decretales epistolas collegit, & simul pseudepigraphas esse ad oculum demonstravit David Blondellus in tractatu, qui inscribitur, Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes, Genevæ A. 1628. edito. Etsi autem Turrianus in tractatu contra Magdeburgenses scripto per totum librum 2. 3. 4. & 5. & multi alii Pontificii has Clementis & aliorum veterum Pontificum epistolas tanquam genuinas tueri annitantur, & Cardinalis Aguirre *Tom. I. conciliorum Hispaniæ* impudentissime asserat, ante A. C. 1562. quo Centuriatores has epistolas impugnarunt, neminem has epistolas pro spuriis habuisse, saniora tamen sunt de his epistolis & sinceriora quorundam inter ipsos Pontificios Labbei, Petri de Marca, Natalis Alexandri, Gerbasii, Dupinii, Nicolai

Antonii, Launojii, Pagii, Chriſtiani Lupi, Cardinalis Bonæ, & aliorum judicia, quos inter Stephanus Baluzius in præfatione ad Antonii Auguſtini dialogos de emendatione Gratiani, harum epiſtolarum compilatorem impudentiſſimum nebulonem appellat.

CLEMENTIS PRIOREM AD CORINTHIOS EPISTOLAM CUM FRAGMENTO POSTERIORIS Patricius Junius Oxonii A. 1633. primus vulgavit, & græco prioris textui latinam ſuam verſionem ac eruditas notas adjecit. Alias editiones utriusque Clementis ad Corinthios epiſtolæ Junianam ſecutas in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis *theſ. 76.* retuli, quas hic repetere non vacat. Non igitur amplius locum habet, quod ſua ætate Magdeburgenſes, & Baronius ſcripſerunt, Clementis epiſtolas ad Corinthios hodie non extare, etſi etiam noſtra ætate viri quidam docti non defuerint, qui duas Clementis epiſtolas ad Corinthios toties editas pro deperditis habuerunt, ut Johannes Palatius in notis ad geſta Pontificum Romanorum A. 1687. editis, quo tempore aliquoties hæ epiſtolæ in lucem publicam emiſſæ fuerant. Num vero Clementis epiſtolæ ad Corinthios, quæ hodie circumferuntur, eædem ſint cum illis, quæ in primitiva eccleſia lectæ ſunt, ſi quæramus, non pauci de priori Clementis ad Corinthios epiſtola ita loqui amant, ac ſi eam genuinam eſſe nemo unquam dubitaſſet. Colomeſius *in opuſculis p. 50.* & *in paralipomenis de Scriptoribus eccleſ. pag. 220.* ſolo Gatakero excepto, omnes eruditos in γνησιότητι hujus epiſtolæ conſentire arbitra-

ſtratur. Poterat Gatakero addere ex Lutheranis Hülſemannum in ſcripto Germanico, cui titulus: Der Calixtiniſche Gewiſſens-Wurm *pag. 940.* & Calovium *in bibliis illuſtratis Tom. IV. p. 250. & ſeqv.* quorum argumenta *in diſſert. de Patr. apoſt. p. 244. & ſeqv.* adduxi, & quid ad ea reſponderi ſoleat, breviter indicavi, tandemque concluſi, quod hæc epiſtola, etſi eam ſpuriam & adulterinam eſſe probari non poſſit, & omnino eorum argumenta, qui hanc epiſtolam genuinam agnoſcunt, præponderare videantur, non tamen adeo illibata & incorrupta per tot ſeculorum decurſum ad noſtram usque ætatem pervenerit, ut nullas plane interpolatoris manus experta fuerit, cui ſententiæ ſalvis aliorum judiciis adhuc inhæreo. Quantum autem poſteriorem Clementis ad Corinthios epiſtolam attinet, Grabius in Spicilegio Patrum *Tom. I. p. 264. & ſequentibus* plane negat, ſecundam aliquam ad Corinthios epiſtolam a Clemente unquam ſcriptam fuiſſe. Nam quæ Euſebii & Hieronymi ævo pro ſecunda Clementis ad Corinthios epiſtola venditata fuit, hanc Grabius tertio ſeculo ſub nomine Clementis confictam ſuſpicatur. Certe ante Euſebium & Hieronymum nullus Patrum duarum Clementis ad Corinthios epiſtolarum meminit. Prioris ad Corinthios ante Euſebium & Hieronymum Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes & alii meminerunt. At de ſecunda Clementis ad Corinthios altum eſt in tribus prioribus ſeculis ſilentium. Nam locum Dionyſii Corinthii apud Euſebium *libr. 4. hiſt. eccleſ. c. 23.* de duabus Clementis ad Corinthios epiſtolis intelligere, neceſſe non eſt.

Agit

Agit enim ibi Dionysius de epistola, quæ sua ætate a Sotere Episcopo Romano ad Corinthios missa fuerat, quam dicit in ecclesia die dominica lectam fuisse, & deinceps quoque legendam ὡς καὶ τὴν προτέραν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν, *sicut & illam priorem a Clemente scriptam*, seu ut Stephanus le Moyne *in notis ad varia Sacra p. 1067.* legendum suspicatur: ὡς καὶ τὸ πρότερον ἡμῖν διὰ Κλήμεντος γραφεῖσαν, *sicut & illam, quæ nobis olim a Clemente scripta est.* Memorantur igitur in verbis Dionysii Corinthii duæ quidem epistolæ ad Corinthios scriptæ, non tamen duæ a Clemente Romano ad illos scriptæ, ut Beveregius, Cotelerius & alii quidam viri docti verba ejus interpretantur, sed una a Clemente, altera ratione temporis posterior a Sotere scripta, cujus respectu Clementis epistola προτέρα, seu τὸ πρότερον γραφεῖσα dicitur. Si enim Dionysius Corinthius de duabus Clementis epistolis locutus fuisset, dicendum esset, utramque Clementis epistolam pari pretio habitam, & utramque in ecclesiis lectam fuisse. At Eusebius *libr. 3. c. 38. histor. eccles.* scribit, sciendum esse, quod etiam secunda quædam Clementis epistola esse dicatur, attamen eam non perinde ac priorem magni æstimari, nec se eam a veteribus usurpatam meminisse. Quæ Eusebii verba Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticorum ita exponit, ac si secunda illa Clementis ad Corinthios epistola a veteribus plane reprobata fuisset. Et profecto, si secunda Clementis ad Corinthios epistola ab Eusebio & Hieronymo memorata alia non fuit, quam quæ hodie, etsi non amplius integra, superest, mirandum non est, eam in exi-

guo

guo pretio fuisse habitam, & facile consentimus Johanni Morino, qui merito hanc epistolam a S. Patribus adulterinam judicatam fuisse judicat, cujus rationes videri possunt in *exercit. bibl. lib. 1. exercit. 9. c. 4. p. 213.* Nec refragamur viris quibusdam doctissimis, qui hoc fragmentum, quod pro secunda Clementis epistola venditari solet, potius ad Clementis διδαχὴν, seu διδασκαλίαν, vel etiam ad homiliam aliquam Clementi ascriptam pertinere putant, cum nullam epistolæ formam in hoc fragmento observare liceat. Undecunque autem fragmentum hoc excerptum sit, certum est, quod Clementem Romanum autorem non agnoscat.

XXIII. HERMÆ PASTOREM seu LIBROS TRES, quorum primus *ecclesiæ* titulo gaudens quatuor visiones, secundus specialiter *Pastoris* nomine insignitus, duodecim mandata, & tertius *similitudinum* dictus decem similitudines comprehendit, Jacobus Faber & Nicolaus Gerbelius seorsim, Heroldus & Grynæus in orthodoxographis, Margarinus de la Bigne & alii in bibliothecis Patrum, Caspar Barthius cum Claudiano Mamerto & Paciano, Johannes Baptista Cotelerius inter Patres apostolicos, & Episcopus Oxoniensis simul cum Barnabæ epistola vulgavit. Quod autem Nourrius in *apparatu suo diss. 4.* Hermæ Pastorem etiam in Heroldi hæreseologia editum asserit, in eo a Labbeo erroris hujus duce fallitur, quemadmodum etiam in tota illa dissertatione sæpius hallucinatur. Nam artic. 3 hunc Hermam eundem fuisse, cujus Paulus Rom. XVI, 14. meminit, persvadere conatur, etsi tandem sub

finem illius articuli id in medio relinquat. Deinde in sequentibus articulis hos libros tot fabulis, deliriis & erroribus refertos meras divinas veritates continere somniat. Sanius est Samuelis Basnagii de Herma & ejus Pastore judicium, qui in annalibus Politico-ecclesiasticis ad A. C. 157. Hermæ scriptum tot erroribus obnoxium, ab Herma Pauli discipulo scriptum non esse, prolixe probat. Alia tam Veterum quam recentiorum Pontificiorum, Reformatorum, & Lutheranorum de Herma in bonam & malam partem judicia adduxi in differt. de Patribus Apostolicis, ubi a thesi 55. ad 65. de Herma egi, & inter alia ejus Pastorem nec ab Herma Pauli discipulo, nec ab Hermete Pii I. Fratre, nec ab Hermete Trismegisto, nec ab aliquo Monacho conscriptum ostendi. Græca quædam Hermæ fragmenta Cotelerius collegit, quibus Grabius exiguum aliquod supplementum adjecit *Tom. I. Spicileg. p. 303.* Magnam autem partem Hermæ græce exhibet Pseudo-Athanasii doctrina ad Ducem Antiochum, quam antea ineditam Benedictini in nova operum Athanasii editione 1698. publici juris fecerunt.

XXIV. MARTIALIS LEMOVICENSIS epistolæ duæ una ad Burdegalenses, & altera ad Tolosanos post primam Jodoci Badii Ascensii editionem A. 1521. procuratam, in Micropresbytico, Orthodoxographis, & Bibliothecis Patrum prodierunt. Easdem Hamburgi A. 1614. Geverhartus Elmenhorstius cum Gennadio de dogmatibus ecclesiasticis in lucem edidit, & notis suis simul illustravit. Qui eas a Morel-

lio

ſio græce editas aſſerit Miræus in *auctar. c. 18.* nonminus fallitur, quam Voſſius, qui Martialem hunc inter Græcos Scriptores retulit *lib. 2. de Hiſtor. Græcis c. 9.* quem tamen errorem ipſe Voſſius *de Hiſtoricis Latinis p. 336.* poſtea agnovit, qua de re jam alibi, nempe in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis theſ. 28. a me actum eſt, ubi & plura de hoc Martiali ejusque epiſtolis notavi, quas ſpurias nemo, niſi magna judicii inopia laborans, inficiabitur. Nec melioris metalli eſt VITA MARTIALIS LEMOVICENSIS AB AURELIANO EJUS DISCIPULO SCRIPTA, quam Laurentius Surius in vitis Sanctorum d. 30. Jun. & alii ediderunt.

XXV. PROCHORI HISTORIAM DE JOHANNIS EVANGELISTÆ VITA & MORTE græce & latine Michael Neander inter apocrypha, quæ græco-latinæ Lutheri catecheſi ſubjecit, & Johannes Jacobus Grynæus in monumentis orthodoxographis ediderunt. Eandem latine in hiſtoria ſua ſacra Pariſiis A. 1583. Laurentius de la Barre vulgavit & ſcholiis ſuis illuſtravit. Etſi autem autor hujus hiſtoriæ in titulo Prochorus ille, cujus Lucas in actis meminit, fuiſſe perhibeatur, nempe unus e ſeptem primis Diaconis & S. Stephani Protomartyris Collega, falſiſſimum tamen id eſſe plurimi ex ipſis Pontificiis, quos in diſſertatione de Patribus Apoſtolicis p. 46. nominavi, fatentur. Ex Reformatis videatur Hoornbeckius in miſcellaneis *lib. I. c. 15.* Ex noſtris Gerhardus in *Conf. Cathol. Tom. I. general. p. 619.*

XXVI. De Evangeliis Petri, Thomæ, Philippi, Bartholomæi, Andreæ, Matthiæ, Judæ Iſchariotæ, de Evangelio omnium Apoſtolorum, de evangelio ſecundum Ægyptios, de Evangelio ſecundum Hebræos, ſub quo evangelium Encratitarum, evangelium Ebionitarum, & evangelium Nazaræorum viri quidam docti comprehendunt, de evangelio Barnabæ, et ſi quæ ſint alia hujusmodi falſa evangelia, qualia Muhamedanis non diſplicuiſſe ex evangelio infantiæ Chriſti, per Henricum Sikium Trajecti ad Rhenum A. 1697. edito colligi poteſt, de actis Pauli, Petri, Andreæ, Thomæ, Johannis, Philippi, de periodis ſeu itinerariis Thomæ, Petri, Johannis & aliorum Apoſtolorum, de tertia Pauli ad Corinthios epiſtola, de Apocalypſibus Petri, Pauli & Thomæ, de doctrina Petri, de prædicatione Petri, de prædicatione Pauli, de Matthiæ traditionibus, de didaſcalia Barnabæ aliisque hujusmodi ſcriptis præter ea, quæ in diſſertatione de pſeudepigraphis apoſtolicis dixi, nihil addo, cum hæc ſcripta vel plane interierint, vel ex eorum naufragio exiguæ tabulæ ſeu fragmenta relicta fuerint, e quibus nonnulla Grabius in Spicilegii ſui Tom. I. ut & Fabricius in codice apocrypho N. T. colligunt, præter quos celeberrimi Theologi Helmſtadienſis D. Joh. Andr. Schmidii diſſertatio de Pſeudo-Novo Teſtamento, & noſtra diſſertatio de Pſeudepigraphis Apoſtolorum c. 4. & ſeqv. videri poterit. Nihil etiam addimus de ſcriptis, quæ nonnulli Joſepho Arimathæo, Lazaro, Stephano, Cratoni, Cœcilio, Jaſoni, Evodio, Zenæ, Hierotheo, & Visbio tribuerunt, cum ſcripta illa nunquam in lucem emiſſa fuerint, & forte illorum ple-

pleraque in rerum natura nunquam fuerint. Sufficiant ergò quæ de istis scriptis in dissert. de Patribus Apostolicis thes. 13. 14. 17. 22. 27. 29. 30. 31. 32. & 33. monui. Nihil denique addo de Marcella, quæ B. Marthæ sororis Lazari, cujus pedissequa fuisse perhibetur, vitam plenarie scripsisse fingitur ab Eysengreinio in centenario I. Magdeburgensibus opposito fol. 196. Idem fol. 209. sanctum quendam Eutropium gesta & martyria Simonis & Judæ literis consignasse tradit. Idem eodem fol. ex male intellectis Dionysii pseudo-Areopagitæ verbis S. Barnabæ scripta de divina pace, quiete & silentio tribuit. Sed de his quoque aliquid addere supersedemus.

CAPUT II.

De *Conciliis primi seculi.*

I.

UNicum tantum concilium primo nati Christi seculo habitum fuisse Gesnerus *libr. 2. de Conciliis c. 1.* & alii agnoscunt, nempe Hierosolymitanum illud, cujus acta a Luca in actis Apostolicis c. XV. consignata sunt. Occasionem huic concilio dederunt turbones quidam, qui necessitatem circumcisionis & justitiæ legalis urgebant. Quæ doctrina, cum Paulo & Barnabæ Antiochiæ tum versantibus multum negotii facesseret, eaque res fere ad seditionem spectaret, placuit Antiochenæ ecclesiæ Paulum & Barnabam, & non-

nullos alios Hierosolymam mittere, ut hanc controversiam ad Apostolos & Presbyteros deferrent. Illis igitur Hierosolymam advenientibus habitum est ibi concilium, in quo disceptatum fuit, num, qui valentem coram Deo justitiam & æternam salutem consequi cupiunt, ad observandam circumcisionem & leges Mosaicas ceremoniales pariter & morales adstringi debeant? Affirmativam sententiam nonnulli ex Pharisaica secta ad christianam fidem conversi tueri conabantur, negativam autem Apostoli tenebant, e quibus Petrus, cum illa quæstio jam satis ultro citroque ventilata fuisset, asserebat, non esse credentium cervicibus jugum, cui ferendo etiam Patrum humeri impares fuissent, imponendum, cum præter gratiam Domini nostri Jesu Christi nulla alia mortalibus pateat, aut unquam patuerit salutis via. Quem Petri sermonem cum Jacobus suffragio suo confirmasset, decrevit concilium, a Gentilibus conversis circumcisionem & rigorosam Mosaicæ legis observantiam exigi non debere, sed hoc tantum illis, quo cum Judæis eo svavius coalescerent, injungendum esse, ut ad tempus aliquod, donec Synagoga Judaica honeste sepeliretur, ab idolothytis, & sanguine, & suffocato, & sacrificiis meretriciis abstinerent. Et hoc decretum a Spiritu S. supremo hujus concilii Præside dictatum, aliis quoque ecclesiis per epistolam synodicam communicatum fuit. Conferantur de hoc concilio Dannhauerus *in diatyposi concilii Hierosolymitani*, Raithius *in comitiologia ecclesiastica de concilio Hierosolymitano*, Ottius *in examine annalium Baronii perpetuo ad A. C. 51.* & alii. Bellarmino & aliis Pontificiis, qui Pe-

Petrum hujus concilii Præsidem fuisse contendunt, videtur contradicere Alphonsus Tostatus, qui Jacobum omnibus aliis in hoc concilio assistentibus majorem fuisse, & definitivam sententiam protulisse asserit. Num vero inter turbones illos, qui tumultu excitato Apostolis concilii hujus congregandi necessitatem imposuerunt, præcipuæ partes fuerint Cerinthi hæresiarchæ, ut refert Philastrius *de hæresibus c. 36.* quem etiam Epiphanius *hæres. 8.* certaminum, quæ Act. XI. & XXI. contra Petrum & Paulum ex judaismi zelo nata sunt, autorem, & Pseudo-Apostolorum magistrum fuisse tradit, suo loco jam relinquimus, facile interim Hieronymo credentes, qui Cerinthum legem evangelio commiscuisse memorat epistola 89.

II. Gulielmus Eysengreinius *in centenario primo Magdeburgensibus opposito part. 2. fol. 68. & sequ.* concilium hoc Hierosolymitanum neque primum neque ultimum primi seculi fuisse putat, sed duodecim hujus seculi concilia memorat, nempe Hierosolymitana decem, unum Antiochenum, & unum Miletanum. *Primum* Hierosolymitanum concilium in electione Matthiæ factum esse dicit ex Act. I. *Secundum* Hierosolymitanum in electione septem Diaconorum ex Act. VI. *Tertium* Hierosolymitanum in missione Petri & Johannis ad conversos Samaritanos ex Act. VIII. Verum tres illi Apostolorum congressus concilia proprie dicta & synodales conventus non fuerant. *Quartam* Hierosolymitanam synodum fuisse dicit, in qua Apostoli symbolum apostolicum condiderunt, quod ita ab

ipsis

ipſis compoſitum fuiſſe credit, ut Petrus dixerit: *credo in Deum Patrem omnipotentem*, Andreas: *& in Ieſum Chriſtum Filium ejus*, Jacobus major: *qui conceptus eſt de Spiritu S.*, & ſic etiam cœteri ſuas ſinguli ſententias addiderint. Verum ut probari non poteſt, quod quisque Apoſtolorum peculiarem articulum ad ſymbolum apoſtolicum concinnandum addiderit, quaſi cento aliquis conſuendus eſſet: ita nec id probari poteſt, quod talis ſymboli apoſtolici compoſitio in concilio aliquo Hieroſolymitano adornata fuerit. In *quinta* ſynodo Hieroſolymitana juxta Eyſengreinium Apoſtoli, ut divinum cultum inſtituerent, & evangelicas leges ſtabilirent, fidelium cœtu in certos ordines diſtributo, ſingulis ordinibus officia & propriam vivendi normam dederunt, ſacra, cerimonias, preces, jejunia, variosque ritus inſtituerunt. Has autem traditiones ab Apoſtolis non ſcriptis, ſed viva voce eccleſiis communicatas, poſtea Pauli comitem & familiarem Clementem octo conſtitutionum apoſtolicarum libris comprehendiſſe fingit. Verum ut conſtitutiones illæ apoſtolicæ Apoſtolis affictæ ſunt: ita & hoc concilium fictitium eſſe abunde patet. *Sextam* ſynodum Hieroſolymitanam pro diviſione Apoſtolorum varias orbis provincias inter ſe partientium factam eſſe comminiſcitur. *Septimam* autem Hieroſolymitanam ſynodum in obitu B. Virginis Mariæ congregatam fabulatur, omnesque Apoſtolos divinitus convocatos excepto Thoma ejus exequiis adfuiſſe fingit. *Octavam* Hieroſolymitanam ſynodum vocat, quam in theſi præcedente unicam adeoque & primam & ultimam primi ſeculi ſynodum fu-

fuiſſe judicavi. *Nona* Hieroſolymitana Synodus illi eſt, in qua, ut offenſio Judæorum vitaretur, legalia ad tempus fuerunt permiſſa ex Act. XXI. Verum de hac congregatione idem ſentiendum, quod de prima, ſecunda & tertia Synodo Hieroſolymitana ſupra dictum eſt. *Decima* denique Hieroſolymitana Synodus ab Eyſengreinio conveniſſe dicitur, cum Simeon in locum Jacobi Fratris Domini Epiſcopus Hieroſolymitanus eligeretur. Atque his decem Synodis Hieroſolymitanis unam Antiochenam addit Eyſengreinius, in qua canones, qui vulgo apoſtolici dicuntur, conditos ſomniat. Verum quid de iſtis canonibus apoſtolicis ſtatui debeat, in præcedenti capite dictum eſt. Unde facile colligitur, quid de Antiochena hac Synodo ſtatui debeat. Tandem & Synodum Miletanam addit, in qua Paulum Presbyteris Epheſinis Miletum convocatis valedixiſſe ex Act. c. XX. memorat. Verum iſta Presbyterii Miletani & Epheſini congregatio conciliis perperam annumeratur.

III. Fictitium quoque eſt concilium illud Antiochenum, in quo novem canones conditi perhibentur, quos Franciſcus Turrianus ex codice quodam MSto edidit, & tanquam vere apoſtolicos defendit *libr. I. contra Centuriat. Magdeburg. c. 25.* Fictitium, inquam, eſt hoc Antiochenum concilium, & cum illo Antiocheno, in quo Eyſengreinius 85. canones apoſtolicos ſancitos nugatur, pari paſſu ambulat. Conferatur Dallæus *libr. 3. de Pſeudepigraphis apoſtolicis c. 22.* & ex ipſis Pontificiis Natalis Alexander *diſſ. 19. primi ſeculi.*

IV. Duo concilia ab Ignatio Episcopo Antiocheno & Martyre habita Ruelius *in conciliis suis Tom. I. p. 269. & 270.* memorat. Et in uno quidem decretum fuisse ait, ne pascha cum Judæis Luna 14. sed Dominica proxima celebretur, & ut contra hoc decretum peccantes, eorum participes judicentur, qui Christum interfecerunt. In altero autem Ignatii concilio decretum fuisse dicit, ut pro sabbatho dies dominica, qua Christus resurrexit, celebretur. Prioris decreti fundamentum quærit in epistola Ignatii ad Philippenses c. 44. Verum in illo loco nulla concilii mentio occurrit. Præterea totam illam epistolam spuriam esse constat, & si aliunde id non constaret, ex hac ipsa sententia, quod pascha cum Judæis celebrari non debeat, satis colligi id posset. Polycarpus enim Ignatio familiaris, & alii Episcopi Asiatici festum paschatos Luna 14. celebrare minime dubitarunt, ut patet ex epistolis Polycratis & Irenæi ad Victorem apud Eusebium *libr. 5. c. 24.* Nec dubium est, Ignatium quoque hunc morem tenuisse. Fuit enim, ut se in epistola ad Romanos appellat, Syrorum Episcopus. Syros autem usque ad tempora concilii Nicæni pascha eodem cum Judæis tempore celebrasse Athanasius in epistola ad Africanos testatur. Mirum ergo est, impostorem, qui sub Ignatii nomine epistolam ad Philippenses confinxit, contrariam Ignatio sententiam attribuisse. Alterius decreti fundamentum ex epistola ad Magnesianos *c. 9.* Ruelius depromit. Verum etsi ex isto loco diem Dominicam loco sabbathi Ignatii ævo celebratam fuisse colligi possit, nullum tamen ibi alicujus concilii vestigium apparet.

V. Im-

V. Imprimis vero fictis primi ſeculi conciliis & illud annumerari debet, in quo ab Apoſtolis immaculatam Virginis Mariæ conceptionem decretam Cœleſtinus de Sfondrata Cardinalis in tractatu ſuo, qui innocentia vindicata inſcribitur, aſſerit. Itane vero Apoſtoli in concilio aliquo immaculatam Deiparæ conceptionem decreverunt, qui neminem mortalium excepto Chriſto a peccati reatu excipiendum decernunt, dum omnes in Adamo peccaviſſe Rom. V, 12. & Scripturam omnia ſub peccatum concluſiſſe Gal. III, 22. teſtantur? Cur ergo Pontifices Romani, qui ſe Apoſtolicæ ſedis Succeſſores eſſe jactant, hanc litem de immaculata Mariæ conceptione inter Franciſcanos & Dominicanos tantis contentionibus agitatam dirimere non auſi, & cœleſtem ſapientiam hoc myſterium mortalibus nondum revelaſſe cauſati ſunt? Cur non reſponderunt, jampridem Apoſtolos in concilio congregatos hanc controverſiam decidiſſe, & decretum de immaculata Mariæ conceptione promulgaſſe? Sed de hoc concilio jam alibi egi, nempe in faſciculo obſervationum miſcellanearum obſerv. I.

CAPUT III.

De

Doctrina primi ſeculi ſeu potius Scriptorum eccleſiaſticorum, qui ad primum Seculum vulgo referri ſolent.

Capitis III. Sectio I.

De *Symbolo Apoſtolico, ejusque Doctrina.*

I.

IN voce Symboli ſimilitudinem nonnulli depromptam arbitrantur ab amicis commune aliquod ſympoſium ita inſtruentibus, ut ſinguli peculiare aliquod ferculum ad illud conferant. Alii in voce ſymboli ad teſſeram militarem reſpici exiſtimant, quo & ſocii mutuo dignoſcuntur, & ab hoſtibus diſcernuntur; vel etiam ad teſſeras, quibus veteres in pactis & contractibus loco tabellarum vel ſyngrapharum utebantur, cum ſymbolum ſit teſſera pacti, quod cum Deo in baptiſmo inimus. Alii denique e Gentilium myſteriis vocis hujus originem arceſſunt, quibus initiati per certa ſigna muta partim, partim vocalia a profano vulgo, quod procul ab interioribus templorum adytis eſſe jubebatur, diſtinguebantur, quam poſtremam ſententiam amplectitur Anonymus quidam Anglus, cujus hiſtoria ſymboli apoſtolici Londini ſecunda vice A. C. 1703. prodiit, nunc etiam ex Anglicano ſermone in latinum verſa, & Lipſiæ A. C. 1706. typis tradita. Quod autem hic autor ſymbolum apoſtolicum coram gentilibus ſolicite celatum, & ne ipſis quidem catechumenis, niſi

bre-

brevi ante baptiſmum ſuſcipiendum tempore traditum & expoſitum fuiſſe ſtatuit, perſuadere mihi non poſſum. Extant enim in publicis Veterum ſcriptis formulæ quædam ſymbolo apoſtolico non abſimiles, quas coram nemine celatas fuiſſe conſtat, etſi inter lac ſimplicis doctrinæ plebejis & rudioribus inſtillandum, & inter ſolidum cibum perfectioribus proponendum discrimen ſervaretur. Sane Irenæus *lib. I. cap. 2.* aſſerit, quod eccleſia per univerſum orbem usque ad fines terræ ſeminata ab Apoſtolis & eorum diſcipulis acceperit illorum *fidem, quæ eſt in unum Deum, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia, quæ eſt in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei, incarnatum pro noſtra ſalute, & in Spiritum S. qui per Prophetas locutus eſt.* Conferantur, quæ de myſterio Trinitatis neque coram gentilibus, neque coram catechumenis occultato contra Schelſtratenum prolixe diſſerit Tenzelius *exercit. ſelect. part. 2. p. 42. & ſeq.*

II. Ipſos Apoſtolos, antequam e Palæſtina in totum terrarum orbem diſpergerentur, ſymbolum hoc compoſuiſſe communis fere Pontificiorum eſt ſententia, cui pauci ex noſtratibus accedunt, & illi quidem imprimis, qui ope hujus ſymboli diverſas Chriſtianæ religionis ſectas conciliari poſſe ſtatuerunt. Verum ut ipſos Apoſtolos hoc ſymbolum verbotenus compoſuiſſe probari non poteſt: ita oleum & operam perdunt, qui mediante hoc ſymbolo ſyncretiſmum religionum introducere moliuntur. Nam primum Symbolum Apoſtolicum adæquata credendorum norma

non eſt, multique fidei articuli in illo plane omiſſi deprehenduntur, e. g. de ſatisfactione & merito Chriſti, de juſtificatione per ſolam fidem, de fide juſtificante, de imputatione juſtitiæ Chriſti, de unione perſonali, de proceſſione Spiritus Sancti, de univerſali Dei gratia, de univerſali Chriſti merito, de attributis divinis, de peccato, de lege, de regeneratione, de pœnitentia, de prædeſtinatione, de verbo Dei, de baptiſmo & euchariſtia, & plures alii. Quomodo ergo Lutherani cum Papiſtis & Calviniſtis ope ſymboli apoſtolici conciliari poſſunt in his articulis, quorum in ſymbolo apoſtolico nulla plane mentio facta eſt? Quantum autem deinde articulos attinet, ſymbolo Apoſtolico comprehenſos, Calviniani & Papiſtæ alio longe ſenſu verba ſymboli explicant, ac a Lutheranis juxta Scripturas exponuntur, ut Dannhauerus in triplici tabella probat Sigalioni in Crœſiadem Hyperaſpiſten ſubjecta, quarum una ſymbolum apoſtolicum in ſenſu eccleſiæ orthodoxæ, altera in ſenſu Papæo, & tertia in ſenſu Reformatorum exhibet. Quas tabulas Dannhauerianas ſtricturis ſuis perſtringere auſus eſt Samuel Mareſius in diſputatione theologica partim elenchtica, partim apologetica de tribus ſymbolis apoſtolicis ſcilicet Lutheranorum, Pontificiorum, & Reformatorum nuper a Theologo quodam Argentoratenſi editis, quæ Mareſiana Diſputatio in ſylloge diſputationum ejus ſelectiorum *Tom. I. p. 700. & ſeqq.* legitur. Sed quid de his ſtricturis ſentiendum ſit, ipſe Dannhauerus, qui in appendice Hodomoriæ ſuæ Calvinianæ ſtricturis Mareſii ſuas antiſtricturas oppoſuit, *pag. 3344. & ſeqv.* demonſtra-

ſtra-

ſtravit. Nec minus a ſenſu ſymboli apoſtolici orthodoxo quam longiſſime diſcedit ſenſus Arminianus, quem delineat Scherzerus in tabella, quæ tribus Dannhauerianis tanquam quarta adjungi poteſt, & Socinianus, quem Rechenbergius in appendice ad libros Symbolicos exhibet. Qualis ergo concentus Papiſtarum, Calvinianorum, aliorumque ſectariorum cum Lutheranis ſperandus erit, ſi ſectæ illæ ſenſum ſymboli apoſtolici ad ſuas hypotheſes detorqueant? Conferantur quæ contra Syncretiſtas de ſymbolo apoſtolico notavit Calovius *Tom. I. Syſtemat. p. 235. ſeq. 243. ſeqv. 858. ſeqv. 902. & ſeqv.* & in Syncretiſmo Calixtino *pag. 8. & ſeqv.* Ex Reformatis ab hac ſententia, quod ipſi Apoſtoli ſint ſymboli autores, non plane alienus eſt Thomas Tullius in expoſitione ſymboli apoſtolici *p. 5. & ſeq.* etſi addat, ſymbolum apoſtolicum ſi non ab ipſis Apoſtolis conditum ſit, in eccleſia tamen proxime ab illorum temporibus obtinuiſſe.

III. Eyſengreinii ſententiam ſtatuentis Apoſtolos in concilio quodam Hieroſolymitano ſymbolum apoſtolicum ita concinnaſſe, ut quisque ſuam quaſi ſymbolam ad hoc ſymbolum contulerit, in præcedenti capite recenſuimus. Quam ſententiam, etſi Luciani narrationibus aut hiſtoriolæ de 70. Seniorum cellulis annumeranda videatur, alii quoque inter Pontificios tuentur. Quod nonnunquam tanto cum zelo factum eſt, ut parum abfuerit, quin diſſentientes tanquam hæreticos tractarent. Sane cum Laurentius Valla ab inquiſitore hæreticæ pravitatis rogatus quid de

de ſymbolo apoſtolico ſentiret, reſpondere non dubitaret, in concilio Nicæno illud compoſitum fuiſſe, & jam ſententiam ſuam multis argumentis probare vellet, regerebat Inquiſitor, non jam probandi, ſed revocandi tempus eſſe, unde Valla ut periculum evaderet reſpondere cogebatur, ſe de ſymbolo hoc credere, quod pia mater eccleſia credit, ut ipſe Valla refert *libr. 4.* adverſus Poggium, ex quo decerptus eſt tractatus Argentorati A. C. 1522. hoc titulo impreſſus: *calumnia Theologica Laurentio Vallenſi Neapoli olim intentata, quod negaſſet ſymbolum membratim articulatimque per Apoſtolos eſſe compoſitum.* Et recte quidem Valla ſymbolum hoc ab ipſis Apoſtolis articulatim membratimque compoſitum negavit, at in eo erravit, quod Patres concilii Nicæni hujus ſymboli autores fuiſſe ſtatuerit, etſi hanc ſententiam in antidoto ad Nicolaum V. pluribus argumentis probare anniſus fuerit, ut Eraſmus in apologia ad libros Alberti Pii Carporum Principis retulit. Tolerabilior tamen eſt hæc Vallæ ſententia quam Sandii, qui hoc ſymbolum in concilio Nicæno ab Arianis contextum in Nucleo ſuo *p. 167.* aſſeruit, quam ſententiam Bebelius *antiq. eccleſ. ſec. 4. p. 879. & 881.* merito refutavit.

IV. Præter Vallam inter Pontificios Eraſmus Roterodamus an ſymbolum apoſtolicum ab ipſis Apoſtolis conditum ſit, dubitavit. Scripſit enim in præfatione ad Matthæum: *Symbolum an ab Apoſtolis proditum ſit neſcio.* Qua propoſitione cum crabrones Pariſienſes irritaſſet, qui in cenſura contra Eraſmum edita

tit.

tit. XI. hanc Erasmi assertionem impietati deservientem scandalose propositam judicarunt, Erasmus in declaratione sua ad censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis propositionem suam de symbolo Apostolorum vindicavit, id imprimis urgens, quod juxta Cyprianum (pro quo Rufinum nominare debuisset, cujus expositio in symbolum apostolicum perperam Cypriani operibus annumerata fuit) symbolum hoc in diversis ecclesiis diversum fuerit. Si enim ab ipsis Apostolis hoc Symbolum scriptum fuisset, nemo ausurus fuisset aliquid addere vel adimere, sicut Evangelistarum scriptis nemo temere aliquid addere vel adimere ausus est. Sermonem autem illum Augustini, in quo singulos symboli articulos a singulis Apostolis promulgatos fuisse narratur, Erasmus pseudepigraphum esse judicat, idque cuilibet attento lectori ipsum stylum persuasurum esse minime dubitat. Multo minus etymologicum illorum argumentum audiendum esse censet, qui symboli vocem a bolo derivant, quasi quilibet Apostolorum bolum suum ad hanc fidei formulam contulisset. Totam autem illam narrationem Erasmus vel pictorum, quibus non minus ac Poetis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas, vel alicujus, qui catechumenorum memoriæ consulere voluit, commentum fuisse suspicatur. Inter recentiores Pontificios symbolum apostolicum ab ipsis Apostolis conditum inficiatur Ellies du Pin tom. I. bibliothecæ suæ, qui etiam suam sententiam adversus anonymum Censorem (Petitdidierium ut creditur) in responso quod sexto tomo novæ suæ bibliothecæ subjecit *p. 27.* vindicavit. Quid Mar-

cus Ephesius Juliano Romani Pontificis legato, symbolum ab ipsis Apostolis contextum asserenti responderit, legi potest apud Sylvestrum Sguropulum in historia concilii Florentini *sect. 6. c. 6.*

V. Rationes, quæ symbolum apostolicum ab ipsis Apostolis profectum non fuisse persuadent, videri possunt apud Vossium in dissertatione de symbolo apostolico, quæ in ejus tractatu de tribus symbolis prima est; Tenzelium *in exerc. de Symbolo Apostolico*, Neumannum *in dissertat. historico-theologica de conditoribus symboli apostolici*, Heideggerum *in dissert. de symbolo apostolico*, quæ est decima quinta Tomi secundi selectarum ejus exercitationum, Voetium *in disput. de symbolo apostolorum Tom. I. disp. p. 64.* Dorscheum *in Collegio didascalico MSC.* cujus verba exhibet Zimmermannus *in analect. p. 230.* Hermannum Witsium *exercit. I. de symbolo apostolico*, Mosen Amyraldum *in exercit. ad symbolum apostolicum p. 16. & seq.* Basnagium *in exercitationibus anti-Baronianis p. 471.* & in annalibus politico-ecclesiasticis *ad A. C. XLII. sect. 17. & seq.* Waltherum *in centuria miscellaneorum quæst. 97.* Königium *in casibus conscientiæ catecheticis pag. 104.* Chamierum *in panstratia catholica Tom. I. libr. 9. c. 10.* Rivetum *in catholico orthodoxo artic. 1. qv. 9.* Dannhauerum *in christeide act. 1. thetr. 1. phan. 9.* Carpzovium *in Isagog. ad libros symbol. p. 40. 41.* & alios.

VI. Etsi vero symbolum apostolicum ratione formæ, quam nunc habet, ab Apostolis conditum non fue-

fuerit, ratione tamen materiæ apostolicum illud esse non negamus, cum omnes articuli hoc symbolo comprehensi apostolicam doctrinam contineant. Et primæ quidem hujus symboli lineæ ductæ videntur in formula baptismi a Christo præscripta, quando is discipulos suos in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptismum administrare jussit. Quæ baptismi formula occasionem dedit a baptizandis confessionem fidei in Patrem, Filium & Spiritum S. exigendi, quæ confessionis formula successu temporis propter varias occasiones, & imprimis ob hæreticos in primitiva ecclesia exortos, qui varia fidei capita impugnarunt, a Viris Apostolicis eorumque successoribus, ex doctrina & scriptis apostolicis subinde aucta fuit, donec in eam, qua nunc symbolum apostolicum gaudet, formam transiit, quod, quo præcise tempore factum fuerit, determinari vix potest. Mirum autem est, Scriptores quosdam Pontificios has symboli additiones & variationes successu temporis factas non inficiari, & tamen hoc symbolum ab ipsis Apostolis simul & semel compositum tueri. Agnoscit certe Christianus Lupus Lovaniensis quondam Theologus *in scholiis ad Tertullianum de præscript. adversus haeret. c.13.p. 267.* ecclesias Orientales, Africanas, & Rhodanenses ad verba primi articuli, *credo in Deum*, particulam *unum* adjecisse, ut Gnosticorum de duplici Deo fabulam damnarent. De Africanis ecclesiis id probat ex variis Tertulliani testimoniis, de Rhodanensibus ex variis locis Irenæi, putatque vel ipsum Irenæum, vel ejus antecessorem Pothinum ejus mutationis autorem esse, & hanc additionem adhuc A. C. 1368. in concilio Vau-

rensi viguisse observat, mox omnium primum mutationis illius autorem Clementem Romanum fuisse suspicatur, qui juxta Irenæum *libr. 3. c. 3.* Corinthiorum fidem reparavit, & annunciavit, quam recens ab Apostolis acceperant traditionem. De Orientalibus ecclesiis id probat ex Rufino, qui in expositione symboli (inter opera Cypriani *edit. Rigalt. p. 508.*) omnes Orientis ecclesias ita symbolum recitare dicit: *credo in unum Deum.* Addit additamentum illud ex Africa forte etiam in Sardiniam pervenisse, cum Lucifer Calaritanus in libro de vitanda hæreticorum communione illo usus fuerit. Observat præterea additamentum illud postea ab Afris iterum expunctum, cum Augustinus communiter legat: *credo in Deum.* Circa voces *creatorem cœli & terræ*, sintne ab ipsis Apostolis profectæ, an ab aliis ad symbolum additæ, mirum est quantum se Lupus torqueat. Quod olim hæc verba non fuerint in symbolo ecclesiæ Romanæ ex Rufino colligit, observans eadem omissa esse a Novatiano *in libro de Trinitate*, & Leone M. *epistola 10. ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum c. 2.* cujus verba contra Eutychianum quendam calumniatorem defendit Vigilius *libr. 4. contra Eutych. c. l.* asserens verba symboli Romæ ab Apostolorum temporibus non aliter tradita fuisse ac a Leone adducta fuerant. Confirmat Lupus ulterius hanc sententiam ex eo, quod Marcellus Ancyranus coram Julio Episcopo Romano symbolum Apostolorum professus verba illa de creatore cœli & terræ non addiderit, quod probat ex Epiphanii panario *hæres. 72. c. 3.* Attamen & contrariam sententiam, quod

quod nempe ipſi Apoſtoli verba *creatorem cœli & terræ* ſymbolo inſeruerint, ſuis argumentis non deſtitui exiſtimat. Nam articulum hunc eſſe originalem & ab ipſis Apoſtolis profectum, non ab aliis adjectum, fortiſſime ſuadere ait Irenæum, qui diſerte dicit, quod S. Clemens apud Corinthios traditam ab Apoſtolis regulam, quæ annunciat *unum Deum omnipotentem factorem cœli & terræ*, promulgaverit. Verum ſi hoc argumentum alicujus valoris eſt, etiam fortiſſime ex prædictis Irenæi verbis perſvaderi poterit particulam *unum* in primo articulo, cum & illa in prædictis Irenæi verbis legatur, originalem & ab ipſis Apoſtolis ſymbolo inſertam eſſe, quam tamen Lupus ab aliis ob Gnoſticorum hæreſin adjectam arbitratur. Nimirum Lupus particulam *unum*, cum hodie in ſymbolo apoſtolico non extet, ab Apoſtolis profectam negat, verba autem *creatorem cœli & terræ*, quia hodie in ſymbolo leguntur, ſemper in eccleſiæ Romanæ ſymbolo lecta pronunciat, etſi admodum fluctuet, & ubi certum pedem figat, non inveniat. Addit Lupus & aliud primi articuli additamentum, dum ex Rufino refert, Aquilejenſem eccleſiam ad primum articulum ob Sabellianam & Patripaſſianam hæreſin verba *inviſibilem & impaſſibilem* addidiſſe.

VII. In ſecundo articulo agnoſcit Lupus eccleſias quaſdam legiſſe: *& in unum Jeſum Chriſtum*, idque propter hæreſin Cerinthi, qui Jeſum a Chriſto dividebat. Agnoſcit, quod Rufini ætate neque Romanum neque Orientale ſymbolum verba *deſcendit ad*

inferos legerit, ſiquidem Rufinus ipſe in expoſitione ſymboli id teſtatur. Et quamvis Henricus Vicus Ooſthovii Toparcha in opuſculo de Chriſti deſcenſu ad inferos Rufinum mendacii arguat, Lupus tamen Rufini relationem multis aliis teſtimoniis confirmat, etſi non inficietur, potuiſſe hunc articulum ab ipſis Apoſtolis ſymbolo inſeri, cum Aquilejenſis eccleſia a Marco Evangeliſta plantata eum ſemper in ſuo ſymbolo habuerit. Alias variationes ſymboli in ſecundo articulo a Lupo agnitas brevitatis ſtudio præterimus.

VIII. Circa tertium articulum obſervat in ſymbolo Aquilejenſi, Africano, quin & Romano veteri *eccleſiam* non fuiſſe cognominatam *catholicam*, nec diſſimulat a Pamelio cum Rufinianam ſymboli apoſtolici expoſitionem inter Cypriani opera ederet, epitheton illud contra veterum exemplarium fidem nimis liberaliter adjectam fuiſſe, quod etiam a Voſſio jam ante notatum fuerat. Aſſerit tamen vocem hanc valde antiquam eſſe, a Cypriano & Tertulliano frequenter uſurpatam, etiam Græcis non incognitam fuiſſe, imo a Græcis ad Latinos perveniſſe. Quin etiam fieri potuiſſe cenſet, ut ipſi Apoſtoli hoc epitheton ſymbolo inſeruerint, incertum tamen id eſſe profitetur, etſi de antiquitate hujus vocis minime dubitandum eſſe ſtatuat. Circa eundem articulum tertium ex Rufino obſervat, Aquilejenſem eccleſiam ad verba *reſurrectionem carnis* particulam *hujus* addidiſſe, ut indicaret, eam ipſam carnem reſurrecturam eſſe, quam fideles ſymbolum profitentes ſignaculo crucis fronti impoſito con-

contingunt. Qua de re Rufinus non ſolum in expoſitione ſymboli, ſed etiam ſuarum adverſus Hieronymum invectivarum libro I. agit his verbis: *ad majorem rei fidem addo aliquid amplius: & calumnioſorum neceſſitate compulſus, ſingulare & præcipuum Eccleſiæ noſtræ myſterium pando. Etenim cum omnes Eccleſiæ ita ſacramentum ſymboli tradant, ut poſtquam dixerint peccatorum remiſſionem, addant carnis reſurrectionem: ſancta Aquilejenſis Eccleſia Dei ſpiritu futuras adverſum nos calumnias prævidente: ubi tradit carnis reſurrectionem, addit unius pronominis ſyllabam: & pro eo quod cæteri dicunt, carnis reſurrectionem: nos dicimus,* hujus carnis reſurrectionem: *quo ſcilicet frontem, ut mos eſt, in fine ſymboli ſignaculo contingentes: & ore carnis hujus videlicet quam contingimus reſurrectionem fatentes: omnem venenatæ adverſum nos linguæ calumniandi aditum præſtruamus.* (Tom. V. operum Hieronymi *editionis novæ Pariſienſ. 1706. p. 263.)* Ex quibus Rufini verbis hoc etiam patet, quod olim articulus de reſurrectione carnis in ſymbolo apoſtolico ultimus fuerit, poſtea vero etiam articulus de *vita æterna* acceſſerit, cui additamento forte Platonicos & Origeniſtas, variationem ſtatus poſt mortem aſſerentes, occaſionem dediſſe Lupus conjicit.

IX. Mirari ergo ſubit, quod Lupus, qui tot ſymboli apoſtolici mutationes & additiones ſucceſſu temporis factas agnoſcit, nihilominus adverſus Marcum Epheſium, nec non contra Gerardum Johannem Voſſium aliosque probare contendat, Apoſtolos eſſe hujus ſymboli autores. Quod argumentum non ſolum in alle-

allegatis ſcholiis ad Tertullianum de præſcriptionibus adverſus hæreticos pertractat, ſed etiam in ſcholiis ad canones & decreta Synodorum generalium & provincialium Tom. I. ubi præmittitur diſſertatio de ſymbolo apoſtolico & Nicæno, cujus cap. 2. apoſtolicam ſymboli originem non quidem probare audet autoritate erronis illius Judæi, qui a tempore paſſionis Chriſti in orbe adhuc vagari dicitur, & quem Matthæus Paris ad A.C. 1228. de Apoſtolorum diviſione & prædicatione, & ſymbolo multa retuliſſe tradit, neque autoritate Johannis Raguſini, qui in concilio Baſileenſi adverſus Rockyzanam Huſſitarum Primatem diſputavit, ſymboli apoſtolici autoritatem vindicavit, cum is probationibus ſuis aliqua falſa admiſcuerit, interim tamen multos alios irrefragabiles teſtes hanc opinionem de Apoſtolis ſymboli autoribus confirmare putat. Cum autem huic ſententiæ tot ſymboli varietates & additiones adverſari videantur, difficultati huic ſe obviam ire poſſe Lupus exiſtimat, ſi inter ſymbolum traditum & ſcriptum diſtinguat, & ſcriptum quidem ſymbolum non item ſymbolum oretenus traditum his mutationibus obnoxium fuiſſe aſſerat. Cujus diſtinctionis illuſtrandæ cauſa addit, ſymbolum fuiſſe ex iis, quæ ſcripto mandari antiqua arcani diſciplina non permiſerit, & ne catechumenis quidem, ut illud pro juvanda memoria deſcriberent, conceſſum fuerit, ſed omnes auditu illud perdiſcere oportuerit. Verum ſi antiqua arcani diſciplina ſymbolum deſcribi non permiſit, quomodo diſtinctio inter ſymbolum ſcriptum & traditum ſervari poterit? Et unde probari poterit apoſtolicum ſym-

bo-

bolum nunquam ſcriptis mandatum fuiſſe? Adducit quidem Lupus Hieronymum in epiſtola ad Pammachium epiſt. 61. contra Johannem Hieroſolymitanum, ubi ſymbolum fidei & ſpei noſtræ ab Apoſtolis traditum non in charta, ſed in tabulis cordis ſcribi dicitur, verum ipſe Lupus agnoſcit, non defuiſſe Scriptores eccleſiaſticos, qui ſcriptis ſuis hujus ſymboli articulos inſeruerunt, quod etiam ante pacem a Conſtantino Auguſto eccleſiis datam a Tertulliano factum eſſe dicit. Sane etiam ſymbolum Nicænum ex arcani diſciplina in hiſtoria ſua eccleſiaſtica exprimere non audebat Sozomenus, ne forte illud iis, qui myſteriis nondum ſunt initiati, ſi in hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam inciderent, innoteſceret, ut ipſe *libr. I. hiſtor. eccleſ. c. 20.* refert, at neque Euſebium, neque plures alios Scriptores ea ſuperſtitio tenuit, ut ſymbolum Nicænum chartis inſcribere dubitarent. Nec ullius ponderis eſt ratio, ob quam Rufinus ſymbolum apoſtolicum non ſcriptum ſed oretenus traditum fuerit, nempe *ut certum eſſet neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex Apoſtolorum traditione didiciſſe,* quaſi vero ea quæ oretenus traduntur non æque ac ea quæ ſcripto conſignata ſunt, ad infideles pervenire poſſint. Et ſi ſymbolum apoſtolicum ſcribi non debuit, falſum erit, quod Cardinalis Julianus Cæſarinus Marco Epheſio in concilio Florentino reſpondit, nempe ſymbolum apoſtolicum, quale ipſi Apoſtoli tradiderunt, Romæ in Archivis ſervari tanquam primarium monumentum, ut refert Sguropulus *in hiſt. concil. Florent. ſect. 6. c. 6.* Quod tamen Marcus Epheſius credere noluit,

luit, & forte nemo id temere credet, donec primarium illud monumentum ex Archivis Romanis prodeat, ut appareat, Romanam ecclesiam Apostolorum ævo eandem plane symboli apostolici formam habuisse, quam nunc habet. Id vero nunquam, ut opinor, demonstrabitur. Unde & Lupus adhuc aliud sententiæ suæ effugium quærit, distinguens inter verba symboli & inter ejus sensus seu sententias, & non tam verba quam sensus ab apostolico charismate profectos pronuncians. Verum & hæc distinctio Lupum nihil juvat, cum statum controversiæ non feriat. Symbolum enim apostolicum quoad sensus & sententias Apostolorum doctrinæ conforme esse Vossius, contra quem Lupus disputat, non negavit, sed tantum asseruit, symbolum apostolicum, quod hodie sub illo nomine in ecclesiis traditur, ab Apostolis verbotenus scribi non potuisse, cum hoc symbolum temporis successu in variis ecclesiis varie mutatum fuerit. Quam Vossii sententiam tacite approbat Paschasius Quesnelius. Postquam enim *dissert. 14. ad opera Leonis M. p. 713.* observaverat, ex Leonis epistolis ad Monachos Palæstinæ, ad Flavianum Constantinopolitanum aliisque locis manifestum esse, quod Pontifex in ea fuerit sententia, omnes quotquot erant per universum orbem ecclesias eodem, quo utebatur Romana, symbolo apostolico pariter usas in traditione symboli ante baptismum, subjicit, hac de re consulendum esse doctissimum Vossium in dissert. I. de tribus symbolis, qui contrariam amplexus est opinionem, *nec enim*, ait, *de his plura dicere animus est.* Quæ postrema verba satis innuunt, Ques-

ne-

nelium magis ad Vossii quam ad Pontificis Leonis M. sententiam inclinasse.

X. Si Natalem Alexandrum *diss. XI. primi seculi* evolvamus, deprehendimus, quod ipse quoque cum plerisque Pontificiis defendere conetur, symbolum, quod apostolicum vocatur, ab Apostolis traditum esse. Cum autem ipsum non lateret, symbolum hoc non in omnibus ecclesiis iisdem verbis pronunciatum fuisse, nec eundem sententiarum numerum in recitatione hujus symboli apud omnes ecclesias obtinuisse, sed in hac ecclesia paucioribus, in alia pluribus sententiis symbolum apostolicum constitisse, & ex eo inferri posse, quod Apostoli hoc symbolum iis sententiis, eo ordine, & iisdem verbis, quibus nunc in ecclesia recitatur, non composuerint, respondet, negari quidem non posse, quod verba & sententiæ symboli in variis ecclesiis variaverint, interim in Romana ecclesia ejusmodi variationes non contigisse, sed in sola ecclesia Romana symbolum apostolicum eo ordine, iisque plane verbis & sententiis recitari, quo ab Apostolis traditum est. Id probat ex Ambrosii *libr. I. epist. 7. ad Siricium*, ubi dicitur: *ecclesia Romana symbolum Apostolorum intemeratum semper custodit & servat*, & ex Rufini exposit. symboli, ubi asseritur, quod *in ecclesia urbis Romæ nulla hæresis exordium sumserit*. Vnde Natalis Alexander factum esse putat, quod cum in aliis ecclesiis ob novellas hæreses emergentes nonnulla symbolo apostolico adjecta fuerint, sola Romana ecclesia, quippe ab ortu novarum hæresium libera his additamentis non usa fuerit. Verum ut ecclesia Romana non minus ac

aliæ variis hæresibus infestata fuit, quicquid Rufinus de illa celebrat: ita etiam de ecclesia Romana dici non potest, quod symbolum apostolicum quoad verba & sententias intemeratum semper custodiverit. Recte enim Jesuita Johannes Garnerius *not. ad librum Diurnum Roman. Pontif. p. 161. 162.* observat, hodiernum symbolum apostolicum in tribus articulis a symbolo veteris Romanæ ecclesiæ differre. Nam in primo symboli veteris Romani articulo omittebantur verba: *creatorem cœli & terræ*, quæ in hodierno leguntur, & Garnerius ob Manichæos mundum a Diabolo conditum asserentes, & Romæ Leonis M. tempore detectos, addita existimat. In secundo Romani symboli veteris articulo omittebantur verba: *descendit ad inferos*, quæ in hodierno symbolo leguntur, & juxta Garnerii conjecturam Eutichianis Christi animam negantibus quinto seculo opposita fuerunt; quæ conjectura ex falsa hypothesi Garnerio nata est, quasi sola Christi anima ad inferos descenderit. In tertio symboli Romani veteris articulo omittebantur verba: *& vitam æternam*, quæ in hodierno symbolo leguntur, & juxta Garnerium occasione Origenistarum temporalem & mutabilem electorum felicitatem statuentium symbolo tum addita fuerunt, cum liber Origenis περὶ ἀρχῶν Romæ visus est. Et triplicem hanc Romani symboli veteris mutationem, quæ ex Rufiniana symboli expositione constat, Natalis Alexander inficiari non potest, excipit tantum quoad primum articulum, verba *creatorem cœli & terræ* in veteri symbolo Romano omissa esse, quod sub vocabulo *omnipotentem* facile includerentur. Si autem

hæc

hæc verba non explicite in ſymbolo veteri apoſtolico lecta ſunt, ſed tantum implicite, quatenus creator cœli & terræ ſub Dei omnipotentia continetur, non video, quomodo probare poſſit ſymbolum hodiernum apoſtolicum quoad ipſa verba cum veteri ſymbolo Romano convenire. Excipit quoad ſecundum articulum, verba *deſcendit ad inferos* contineri ſub verbis *ſepultus eſt*, quam ſolutionem ex Rufino depromptam eſſe dicit. Sed quomodo hanc Rufini ſolutionem approbare poteſt Natalis Alexander, qui cum aliis Pontificiis articulum de Chriſti deſcenſu ad inferos recte a ſepultura diſtinguit, etſi cum iisdem deſcenſum Chriſti ad inferos de deſcenſu animæ Chriſti in limbum Patrum male explicet. Fateatur igitur neceſſe eſt, ſymbolum hodiernum apoſtolicum cum veteri Romano neque eodem verborum tenore, neque eodem ſententiarum numero convenire. Quoad tertium articulum excipit verba *vitam æternam* omiſſa quidem eſſe in veteri ſymbolo Romano, interim tamen virtute contineri ſub verbis *reſurrectionem carnis*. Verum hæc etiam exceptio ſcopum non ferit. Probandum enim Alexander in ſe ſuſceperat, ſymbolum hodiernum apoſtolicum eodem ordine, iisdem verbis & ſententiis recitari, quibus ab ipſis Apoſtolis traditum eſt, quod tantum abeſt, ut probare potuerit, ut potius contrarium fateri cogatur, dum agnoſcit, quod Apoſtoli articulos de creatore cœli & terræ, & de deſcenſu Chriſti ad inferos, & de vita æterna implicite tantum ſub aliis articulis complexi fuerint, hodiernum autem ſymbolum apoſtolicum tres illos articulos explicite profiteatur.

 XI. Cum

XI. Cum autem ſymbolum, quod apoſtolicum vulgo dicitur, Apoſtolorum ætate iisdem, quibus nunc recitatur, verbis & ſententiis, ab ipſis Apoſtolis compoſitum non fuiſſe ſatis conſtet, eorum ſententia approbari non poteſt, qui hujus ſymboli in ſcriptis apoſtolicis aliquoties mentionem injectam fuiſſe ſibi perſvadent. Sunt qui Johannem cum in epiſtola ſecunda ſcribit: *ſi quis ad vos veniat, & ταυτην τὴν διδαχὴν non afferat, eum nec in domum recipite, nec ave ei dicite*, per ταύτην τὴν διδαχὴν ſ. per hanc doctrinam ſymbolum apoſtolicum intellexiſſe exiſtimant, & inde colligunt, ſymbolum apoſtolicum Apoſtolorum ætate teſſeræ hoſpitalis inſtar fuiſſe, ſine qua chriſtiani peregre euntes a nemine hoſpitio excepti fuerint. Sunt qui Paulum ad ſymbolum apoſtolicum reſpicere ſtatuunt, cum τὰ ςοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ Hebr. V, 12. aut ἀναλογίαν τῆς πίςεως Rom. XII, 6. aut τὴν καλὴν παρακαταθήκην 2. Tim. I, 14. nominat. Sunt qui a Juda v. 3. ſymbolum apoſtolicum τὴν ἅπαξ παραδοθεῖσαν τοῖς ἁγίοις πίςιν vocari arbitrantur. Verum his dictis ad ſymbolum illud, de quo nunc agimus, apoſtolicum reſpici gratis dicitur.

XII. Etſi autem hoc ſymbolum verbotenus ab Apoſtolis conditum non ſit, doctrinam tamen apoſtolicam, ut jam ſupra notavimus, in illo contineri certum eſt, etſi ejus verba a multis perverſo ſenſu explicentur. Et exercitii quidem cauſa perverſos ejusmodi ſenſus ſymbolo huic affinxerunt Jeſuitæ, ut oſtenderent, quam facile autoris alicujus ſcripta in alienum ſen-

ſenſum detorqueri poſſint, ſi quis vim illis inferre velit. Quod Jeſuitarum factum excuſat & approbat Theophilus Raynaudus *in ſyntagmate de libris propriis p.37.* & *in tractatu de bonis & malis libris p.294.* ubi perverſam illam ſymboli expoſitionem a Jeſuitis excogitatam exhibet. Verum Johannes Vergerius Abbas Sancyranus, qui ſub Petri Aurelii nomine latere voluit, *in apologia Epiſcoporum Galliæ p.72.* per blaſphema ejusmodi exercitia atheiſmo fores aperiri, & ſanam doctrinam ludibrio exponi monuit. Quomodo autem Pontificii, Calviniani, Sociniani & Arminiani ſerio ſymbolum apoſtolicum pervertant, oſtendunt tabulæ, quarum ſupra mentionem fecimus, unde in variis ſymboli expoſitionibus omnia probanda, ſed bona tenenda ſunt.

XIII. Inter veteres ſymbolum apoſtolicum ſcripto expoſuit Photinus hæreticus, de quo peculiari diſſertatione egi *heptad. diſſert. diſſ. 6.* Ita autem Photinus in explicatione ſymboli hujus verſatus eſt, non ut rationem dictorum audientibus explicaret, ſed ut ſimpliciter & fideliter dicta ad argumentum ſui dogmatis traheret, ut refert Rufinus Aquilejenſis Presbyter, qui & ipſe apoſtolicum ſymbolum expoſuit. Et Photini quidem tractatus pridem periit. Rufini autem expoſitio ſymboli apoſtolici non ſolum inter Rufini, ſed etiam inter Cypriani & Hieronymi opera legitur. Alios quosdam veteres, qui ſymbolum apoſtolicum explicarunt, recenſet Bona *in Pſalmodia c.16. p.325.* ubi nominat Ambroſii tractatum in ſymbolum apoſtolicum, Leonis M. ſermonem II. in paſſione Domini, & ſer-

ſermonem contra hæreſin Eutychetis, Auguſtini tractatus de fide & ſymbolo, de ſymbolo ad Catechumenos, enchiridion ad Laurentium & varios ſermones, Chryſoſtomi homiliam de ſymbolo, quam tamen latini autoris eſſe exiſtimat, Venantii Fortunati exegeſin in ſymbolum, Chryſologi ſermonem 56. & ſequentes, Athanaſii epiſtolam ad Jovinianum, Maximi Taurinenſis homiliam de expoſitione ſymboli, D. Thomæ opusculum 16. & Dionyſii Carthuſiani opuſculum de vita Curatorum. Ex recentioribus Pontificiis prolixe in ſymbolum apoſtolicum ſcripſit Angelus del Bas, cujus expoſitiones in ſymbolum apoſtolicum Romæ A. 1596. paulo ante autoris mortem, & iterum A. 1614. ex typographia Vaticana, nondum tamen integræ, ſed ſeptem tantum articulos complexæ, & in articulo de Chriſto ad judicandos vivos & mortuos venturo finientes, prodierunt. Tomus enim ſecundus reliquos articulos continens, quem Lucas Waddingus *in bibliotheca Scriptorum ordin. Minor. p. 24.* ſe editurum promiſit, nondum, quod ſciam, evulgatus eſt. Extat etiam Eraſmi Roterodami dilucida & pia expoſitio ſymboli, quod Apoſtolicum dicitur, ut Johannem Heſſelium, Robertum Bellarminum & alios taceamus. Ex Reformatis hoc ſymbolum explicarunt Moſes Amyraldus in exercitatione ad ſymbolum apoſtolicum, quam Jacobo Capello ſuo in Salmurienſi Academia Collegæ dedicavit, Johannes Pearſonius Epiſcopus Ceſtrienſis in expoſitione ſymboli apoſtolici, Anglice primum ſcripta, & poſtea juxta quintam editionem Anglicanam in linguam latinam translata & Francofurti ad Viadrum A. 1690. edita, Her-

Hermannus Witſius in exercitationibus ad ſymbolum apoſtolicum, quarum tertia editio ab Autore recognita Amſtelodami A. 1697. prodiit, Johannes Heinricus Heideggerus in duabus diſſertationibus de ſymbolo apoſtolico, quæ inſertæ ſunt tomo 2. diſſertationum ſelectarum, Thomas Tullius in expoſitione ſymboli apoſtolici, quam ſuo præcipuorum Theologiæ capitum enchiridio didactico adjunxit, cujus quinta editio Oxonii A. C. 1700. lucem publicam aſpexit, & Anonymus Anglus in hiſtoria ſymboli apoſtolici, quæ ex Anglicano ſermone in latinum tranſlata Lipſiæ A. C. 1706. prodiit, quibus Lambertus Danæus, Matthias Martinius & alii plures addi poſſunt. Ex noſtris videri poterunt Nicolaus Selneccerus in ſecunda parte Pædagogiæ chriſtianæ, Chriſtophorus Irenæus in explicatione ſymboli apoſtolici germanice ſcripta, cujus titulus: Symbolum apoſtolicum, das iſt / die Artickel unſers Chriſtlichen Glaubens ausgeleget / mit Vermeldung und Widerlegung allerley Irrthum und Ketzereyen / beyde alte und neue / ſo dawider entſtanden / Förſterus in problematibus catecheticis, Schilterus in theſauro catechetico, Dannhauerus in lacte catechetico *part. 3. 4. & 5.* aliique.

XIV. Non patitur autem inſtituti noſtri ratio, ut cum his autoribus aliisque ſymboli apoſtolici interpretibus ſingulos hujus ſymboli articulos pertractemus. De uno atque altero aliqua notaſſe ſufficiat. Profitemur ergo in hoc ſymbolo fidem noſtram in Deum Triunum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. Patris enim nomen, quod ſtatim ſub initium ſymboli

occurrit, hic non essentialiter prout omnibus Trinitatis personis commune est, sed personaliter pro prima Trinitatis persona accipi dubium non est, unde etiam talis hujus denominationis ratio attendenda est, qua Pater a Filio & Spiritu S. distinguitur. Est autem personalis ille Patris character activa generatio, quia ab æterno Filium sibi coæternum generavit. Anonymus Anglus, qui historiam symboli Apostolorum edidit, etsi in voce Patris ad æternam Filii generationem respici non plane inficietur, imprimis tamen Patris nomen hoc loco omnium rerum autorem causam atque originem significare statuit, & suspicatur hoc Patris nomen Gnosticis in symbolo oppositum fuisse, cum illi Deum aliquem inferiorem Patrem Regemque omnium appellarent, adversus quos symbolum apostolicum Patris nomen summo Deo vindicasse putat *p. 61. & sqq. edit. latinæ.* Quæ ratio etsi subtiliter excogitata sit, vereor tamen ne a veritatis scopo aberret. Antequam enim Gnosticorum colluvies emergeret, christiani in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizabantur, ex qua baptismi formula nomen Patris in symbolum apostolicum derivatum esse plane mihi persuadeo. Quod autem in Patris nomine respectus ad æternam Filii generationem habeatur, confirmari potest ex sequentibus verbis, ubi Christus Filius Dei unigenitus dicitur, quod nomen Christo non aliam ob rationem competit, quam quia ex substantia Patris ab æterno generatus est Ps. II, 7.

XV. Equidem Anonymus Autor historiæ symboli apostolici quatuor alias causas adducit, ob quas

quas Christum Filium Dei appellari existimat, nempe (1) quia Spiritus S. virtute miraculose conceptus est, *Luc. I, 35.* (2) quia a Patre ex mortuis resuscitatus & ad aliam vitam quasi genitus fuit, *Actor. XIII, 33.* (3) quia speciali Dei voluntate ad officium suum a Patre sanctificatus & missus est *Joh. X, 36.* & (4) quia sedens ad dextram majestatis Dei omnium hæres constitutus est *Hebr. I, 2. & seq.* Verum hæc ex Socinianorum lacunis hausta sunt, nec probari possunt. Fuit enim Christus Filius Dei, antequam in utero B. Virginis a Spiritu S. conciperetur, fuit Filius Dei, antequam ex mortuis resuscitaretur, fuit Filius Dei, antequam ad officium suum sanctificaretur, & in mundum mitteretur, fuit denique Filius Dei, antequam omnium hæres constitueretur. Neque dicta a Socinianis & autore anonymo allegata probant, quod probare debent, ut ostendit Calovius *Tom. III. System. pag. 621. & seqv.* Interim in anonymo autore historiæ symboli apostolici hoc probandum est, quod æternam Filii generationem ex patris substantia haud perinde ut Sociniani neget, sed eam voce *unicum* vel *unigenitum* in symbolo indicari concedat.

XVI. Episcopius & alii Arminiani æternam Filii generationem ex Patris substantia creditu necessariam inficiantur, cum in symbolo apostolico nulla ejus mentio injiciatur. Verum hypothesis illa falsa est, quod omnia creditu necessaria symbolo apostolico contineantur. Deinde vero & hoc falsum est, quod æterna Filii generatio in symbolo apostolico non commemoretur. Nam & Patris, & Filii, & quidem uni-

geniti mentio æternam illam Filii ex Patris ſubſtantia generationem innuunt. Conferantur, quæ contra Epiſcopium differit Georgius Bullus in judicio eccleſiæ catholicæ de neceſſitate credendi, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſit verus Deus, c. 5. ubi etiam autor irenici irenicorum Daniel Zwickerus refutatur, qui ipſum ſymbolum indicare cenſet, cur Chriſtus Dei Filius vocetur, nempe quia a Spiritu S. conceptus, ex Maria natus, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus mortuus & ſepultus eſt, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit, ad cœlos aſcendit, ſedit ad dextram Patris venturos judicare vivos & mortuos, quaſi his verbis delineetur, de quali Dei Filio ſymbolum loquatur. Quis enim credat in tam brevi & conciſo ſymbolo tam prolixam Filii Dei deſcriptionem contineri, quæ ferme dimidiam ejus partem implet? Et quid Chriſti paſſio, crucifixio, mors, ſepultura, & deſcenſus ad inferos ad declarationem filiationis Chriſti faciunt? Poſtremo Bullus in eodem capite autorem quoque Racovienſis catechiſmi non immerito refutat, qui gloriatur, ſe ſuosque ſocios de Chriſti perſona id ſolum credere, quod natura ſit homo verus, qualem eſſe teſtatur fidei ſymbolum, quod apoſtolicum vocatur, & quod univerſi chriſtiani amplectantur. Etſi enim omnes Chriſtiani hoc ſymbolum amplectantur, non tamen in ſenſu Sociniano illud amplectuntur, ſed in ſenſu orthodoxo & Scripturæ S. conformi, neque credunt in hoc ſymbolo tantum veram Chriſti humanitatem tradi, cum verba *Filium ejus unigenitum Dominum noſtrum* etiam veram ejus Deitatem clariſſime teſtentur.

XVII.

XVII. Necessariam autem esse fidem in Christum verum Dei Filium ipsa scriptura inculcat. Indicat enim necessitatem præcepti, cum Johannes ait: *hoc est præceptum ejus, ut credamus in nomen Filii ejus Jesu Christi* 1. Joh. III, 23. Indicat etiam necessitatem medii, cum idem Apostolus ait: *quisquis confessus fuerit, quod Jesus sit Filius Dei, Deus in eo manet & ipse in Deo* 1. Joh. IV, 15. *nec mundum vincere potest, nisi qui credit, quod Jesus sit Dei Filius* 1. Joh. V, 5. Neque his dictis obstat, quod Johannes in eodem prioris suæ epistolæ capite dicit: *qui credit, Jesum esse Christum ex Deo natus est* 1. Joh. V, 1. ex quibus verbis Episcopius infert, hoc tantum esse necessarium, ut credamus Jesum esse Christum seu verum Messiam. Nam Johannes his verbis necessitatem fidei in Christum Filium Dei non excludit. Et quamvis Episcopius excipiat, quod aliud sit esse Filium Dei, aliud ab æterno generari, nec hoc, sed illud tantum creditu sit necessarium, cum a re ipsa ad rei modum non valeat consequentia, Scriptura tamen alium modum ignorat, quo Christus sit Filius Dei, quam generationem ab æterno factam, ideoque hæc generatio non ad rei modum, sed ad rem ipsam pertinet, nisi generalem modum dicere velis, qui ad quæstionem an sit spectat, qua de re Rappolti Theologia aphoristica in priorem Johannis epistolam *pag. 523. & seqv.* videatur.

XVIII. Vexatissimus est articulus symboli apostolici de Christi ad inferos descensu, tot sententiis & expositionibus obnoxius, ut omnes enumerare nimis longum foret. Aliquas tamen quin commemo-

rem omittere non possum. Et Samuel quidem Bochartus *in epistola ad Tapinum p. 982.* agnoscit, in symbolo apostolico Christi descensum ad inferos ab ejus morte & sepultura distingui, sed per descensum ad inferos nihil aliud intelligi existimat, quam quod Christus ad statum usque mortuorum humiliatus fuerit, & per triduum in eo manserit. Verum, si hoc tantum per Christi ad inferos descensum notaretur, non opus fuisset, brevissimo huic symbolo hanc particulam addere, quia ex verbis *mortuus & sepultus est, & tertia die resurrexit a mortuis* satis elucescit, Christum ad mortuorum usque statum pervenisse, & per triduum in eo permansisse. Neque per Bocharti sententiam, ut ipse sibi persvadet, ordini symboli optime consulitur, cum Christus jam antea, quam sepeliretur, in statu mortuorum fuerit. Quod autem hæc particula addita fuerit, ad triduanam in statu mortuorum permanentiam indicandam, probari non potest. Aliud enim est descendere ad inferos, aliud per triduum in statu mortuorum permanere. Falsum quoque est, quod Bochartus voces scheol & ᾅδης nusquam de inferno usurpari dicit. Hæc enim sententia non minus a veritate aberrat, quam contraria Scriptoris alicujus anonymi, qui in disquisitione de statu animarum separatarum Anno 1670. edita asserit, voces illas nunquam in Scriptura S. aliter quam de inferno usurpari, etsi autor ille infernum fabulose describat, nempe per subterraneum omnium animarum separatarum, sive in judicium non venturæ, sive judicandæ, sive jam judicatæ sint, receptaculum, in quo

eas

eas quodammodo dormire & variis pro diversa conditione somniis affici, comminiscitur. Illud tamen Bocharto libenter largimur, quod descendere ad inferos in Scriptura nonnunquam idem sit, ac in mortuorum statum redigi. At per Christi ad inferos descensum nihil aliud quam statum mortuorum intelligi, ferri non potest, quia Christus ita ad inferos descendit, ut post vivificationem suam in Spiritu profectus spiritibus carcere infernali conclusis prædicaverit, iisque præconis instar edictum æternæ damnationis promulgaverit *1. Petri III, 18. 19.* Equidem Bochartus hunc locum de prædicatione, quæ temporibus Noæ facta est, intelligit, quæ sententia etiam pluribus aliis placuit, etsi diverso modo illam explicent. Nam Johannes Clericus *annot. ad Davidis Clerici qu. 18. p. 190.* per Christi Spiritum intelligit æternam ejus divinitatem, & per πνεύματα ἐν φυλακῇ bonos Angelos custodiæ hominum a Deo præfectos, quasi Petrus dixisset Christum in divinitate sua & Angelis sanctis ejus comitibus venisse ad antediluvianos, & prædicasse incredulis temporibus Noæ, & per hunc justitiæ præconem tota die manus suas expandisse. Quemadmodum enim ante eversionem Sodomæ Filius Dei cum duobus Angelis in terras descendit: ita eundem ante diluvium cum Angelis ivisse putat, ut Noachum de instante diluvio, nisi homines resipiscerent, admoneret. Nec mirum esse dicit, quod in historia diluvii Angelorum mentio non fiat, cum etiam in historia promulgatæ legis Moses Angelorum non meminerit, cum tamen *Act. VII, 34.* lex per Angelorum ministerium data memoretur. Eandem hujus dicti inter-

terpretationem repetit Clericus *in suis ad N.T. annotationibus Tom. II. p. 379.* Verum etsi hæc sententia Clerico ita arrideat, ut nullam magis cum verbis Apostoli convenire censeat, durum tamen est per πνεύματα ἐν φυλακῇ custodes hominum Angelos intelligere, & dicere, quod Christus in Angelis h.e. una cum Angelis ad antediluvianos iverit. Parum quoque probabilitatis habet sententia Ariæ Montani, qui per πνεύματα ἐν φυλακῇ animas in arca servatas intelligit, iisque Christum per Noachum prædicasse scribit. Potius, si Petrus de prædicatione Noachi temporibus facta loqueretur, cum Augustino *epist. 99. ad Evodium* dicendum foret, quod per πνεύματα ἐν φυλακῇ intelligantur animæ antediluvianorum, quæ in tenebris ignorantiæ & incredulitatis tanquam in carcere aliquo versatæ sunt, vel cum Gerhardo *comment. ad h. l.* quod Christus prædicaverit antediluvianis, qui nunc ob incredulitatem suam in carcere infernali constituti sunt, quam sententiam Gerhardus aliis præferendam judicat. Verum cum Petrus in antecedentibus verbis de Christi morte & vivificatione egerit, & in sequentibus verbis ejus resurrectionem, ascensionem in cœlum, & exaltationem ad Dei dextram describat, rectius, ut puto, alii Theologi prædicationem, de qua Petrus loquitur, illo tempore factam esse statuunt, cum Christus vivificatus ante resurrectionem suam virtute divina ad locum damnatorum ivit, & damnatis spiritibus incredulitatem, qua semetipsos in perniciem conjecerunt, exprobravit, iisque majestatem suam manifestavit. De sententia Lucæ Osiandri, qui antediluvianos quosdam ante

te

te mortem converſos, & poſt mortem in loco extra cœlum & infernum tertio usque ad Chriſti ad inferos deſcenſum, per quem ex illo loco educti ſunt, ſervatos arbitratur; de Heſſelio, qui Petrum de prædicatione gentilibus in ſpirituali quadam captivitate ſedentibus per Apoſtolos facta loqui autumat; de Calvino, qui φυλακὴν per ſpeculam, ſeu continuam animarum ante Chriſti paſſionem expectationem explicat, aliisque hujusmodi loci Petrini interpretationibus plura addere non placet, ſed ad Bochartum redire, & ad ea quoque breviter reſpondere, quæ ſub initium ſuæ epiſtolæ notavit. Obſervat igitur articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos in ſymbolo Nicæno non extare, & in Athanaſiano quidem legi, ſed ibi ſepulturam Chriſti omitti, ideoque videri, quod Athanaſius per Chriſti ad inferos deſcenſum ejus ſepulturam intellexerit. Sed quantum ad Athanaſii ſymbolum attinet, breviter reſpondemus, haud opus eſſe, ut autorem ſymboli Athanaſiani ſepulturam Chriſti & ejus deſcenſum ad inferos pro uno eodemque articulo habuiſſe ſentiamus, cum forte ſepulturam ſub morte complexus fuerit, & ſic articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos non minus a ſepultura quam a morte diſtinxerit. Objectioni autem de ſymbolo Nicæno, quam ante Bochartum alii quoque moverunt, Brochmandus in loco de Chriſto *ſect. 14. quæſt. 1.* ita reſpondet, ut in ſymbolo Nicæno etiam articulum de Spiritu S. omiſſum eſſe dicat. Qua in re ipſum memoria fefellit. Nam articulus de Spiritu S. in Nicæno ſymbolo omiſſus non fuit. Rectius dixiſſet, omiſſos in concilio Nicæno articulos de eccleſia, remiſ-

ſione peccatorum, reſurrectione carnis & vita æterna. Hi enim articuli poſtea in Conſtantinopolitano concilio additi fuerunt.

XIX. Ligtfootus in diſſertatione ad articulum ſymboli apoſtolici de deſcenſu Chriſti ad inferos, quæ legitur *Tom. I. oper. p. 759.* obſervari cupit, originalem ſymboli apoſtolici textum græcum eſſe, ideoque ſignificationem vocis ᾅδε attendendam; ethnicos autem ᾅδην vocaſſe locum & ſtatum poſt mortem in altero quaſi mundo, & deſcribere ut locum ſubterraneum in campos Elyſios & tartara diviſum. Quando ergo in ſymbolo dicitur, Chriſtum deſcendiſſe εἰς ᾅδε, nihil aliud ſignificari exiſtimat, quam quod anima Chriſti iverit in alterum mundum, & quidem in locum juſtorum ſ. cœlum, quem locum etiam in Pſalmo 16. ᾅδην appellari ſcribit, ubi Chriſtus ait: non derelinques animam meam in inferno. Etſi enim anima Chriſti in paradiſo ſeu cœlo fuerit, eam tamen ex deſiderio priſtinæ cum corpore unionis ſine corpore in paradiſo ſeu cœlo relinqui noluiſſe ſcribit. Putat ergo Ligtfootus, hunc articulum ſymbolo apoſtolico additum fuiſſe ob illos hæreticos, qui Chriſti animam negabant, quemadmodum præcedentes articuli de paſſione, crucifixione, morte & ſepultura Chriſti hæreticis verum Chriſti corpus negantibus oppoſiti fuerunt. Verum falſa eſt illa hypotheſis, quod Chriſtus animæ tantum ratione ad inferos deſcenderit. Et ſi ad inferos deſcendere idem eſt, ac in alterum mundum ire, ſive quis in beatorum ſedes recipiatur, ſive damnatorum ſocietati adjungatur, ſurſum & deorſum, ſuperi & infe-

inferi permiſcentur. Quæ abſurditas premit etiam Zwinglium, cui deſcendere ad inferos idem eſt, ac aſcendere in Paradiſum & Abrahæ ſinum, & Chriſtianum Schottanum, qui in prima diſſertatione de vero ſenſu verborum: *deſcendit ad inferos*, exiſtimat deſcendere ad inferos idem eſſe, ac in locum & ſtatum animarum ſeparatarum, ſive beatarum, ſi felici obitu corpore egreſſæ fuerint, ſive damnatarum, ſi in impietate exceſſerint. Falſa eſt præterea illa quoque Ligtfooti hypotheſis, quod originalis ſymboli apoſtolici textus græcus ſit, & articulus de deſcenſu ad inferos ex voce *ᾅδυ*, prout eam gentiles interpretati ſunt, æſtimari debeat; Romanæ enim eccleſiæ ſymbolum apoſtolicum originem ſuam debet.

XX. Amyraldus *in expoſitione ſymboli pag. 143.* obſervat, hunc articulum olim neque Romano neque orientali ſymbolo additum fuiſſe, & in aliis quoque veterum ſymbolis non legi, aut ſi in nonnullis legatur, articulum de ſepultura Chriſti omiſſum deprehendi, unde ſuſpicio nonnullis nata articulum de ſepultura & de deſcenſu ad inferos unum eundemque eſſe, & forte verba: *deſcendit ad inferos* explicationis cauſa in margine primum poſita, ſed ſucceſſu temporis textui inſerta fuiſſe, & ſic parem cum reliquis articulis autoritatem obtinuiſſe. Similia de hoc articulo profert Heideggerus *diſſert. I. de ſymbolo apoſtol. p. 655.* ubi poſt Parkeri & Lavateri tractatus de deſcenſu Chriſti ad inferos neminem emunctarum narium amplius dubitare aſſerit, quin verba illa de Chriſti ad inferos deſcenſu ex ſymbolo Athanaſiano primum in Nicæni ac poſtea

etiam apoſtolici ſymboli textum irrepſerint, quæ tamen toleranda & de mortuorum ſtatu explicanda opinatur. Quin etiam non ſine ſingulari Numinis providentia licet ſero, (non tamen primum a Thoma Aquinate, ut Eraſmus in ſua catecheſi ſtatuit) ad ſymbolum acceſſiſſe aſſerit. Neſcio autem unde Heideggerus habeat, articulum de deſcenſu ad inferos ex Athanaſii ſymbolo primum Nicæni ac deinde etiam apoſtolici ſymboli margini aſcriptum fuiſſe. Nam in Nicæno ſymbolo nullum illius articuli veſtigium apparet.

XXI. Witſius *in expoſitione ſymboli exercit. 18.* itidem obſervat articulum de deſcenſu Chriſti ad inferos in plerisque antiquioribus ſymbolis omitti, aut ubi ponitur nullam ſepulturæ mentionem fieri, niſi quod apud Socratem *libr. 2. c. 41.* legitur, Arianos Acacio addictos numero 50. Conſtantinopoli conveniſſe, ibique ſymbolum condidiſſe, in quo profitentur, ſe credere in Chriſtum θανόντα καὶ ταφέντα, καὶ εἰς τὰ καταχθόνια διεληλυθότα, *mortuum, ſepultum, & qui ſubterranea penetraverit*, quibus verbis ſepulturam a deſcenſu ad inferos diſtingui ſatis manifeſtum eſt. Etſi vero Witſius hunc articulum de deſcenſu ad inferos per errorem in ſymbolum irrepſiſſe judicet, dum nempe primum ex Athanaſiano ſymbolo margini apoſtolici ſymboli aſcriptus, poſtea in ipſum textum translatus, & cum ſepultura conjunctus eſt, pie tamen hoc caput credi aſſerit, modo ſenſu commodo id fiat. Hunc autem commodiſſimum ſenſum eſſe cenſet, ut Chriſtus partim ratione corporis, partim ratione animæ ad inferos deſcendiſſe

diſſe

diſſe dicatur, & ratione quidem corporis, dum ſepultus & in ſtatum mortuorum redactus eſt, ratione autem animæ, dum graviſſimos angores paſſus eſt, non quidem in loco damnatorum, ſed in oliveto & cruce, nec poſt animæ a corpore ſeparationem, ſed morti propinquus. Verum quod Chriſtus ratione corporis ſui per ſepulturam ad inferos deſcenderit, ex eo probari non poteſt, quod ſymbola quædam, quæ deſcenſum ad inferos memorant, de ſepultura ejus ſileant. Nam in iſtis ſymbolis articulus de ſepultura Chriſti non ſub deſcenſu ad inferos, ſed ſub ejus morte continetur. Si autem Chriſtus ratione animæ ad inferos deſcendit, quatenus graviſſimos in paſſione ſua angores toleravit, conveniens non eſſet, angores iſtos a vivente toleratos morti ejus & ſepulturæ in ſymbolo poſtponi.

XXII. Johannes Pearſon *expoſit. ſymboli apoſt. art. 5. p. 460.* variis aliorum ſententiis rejectis eam communi eccleſiæ omnium ſeculorum ſuffragio probatam eſſe putat, quæ docet, animam Chriſti, quamprimum per mortem a corpore ſeparata fuit, in infernum ſeu locum, ubi ſeparatæ hominum animæ detinentur, & non minus ab hac mundi parte, quam viventes occupant, quam a cœlis, ad quos Chriſtus poſtea aſcendit, diſtinctum ſe contuliſſe, & per triduum in piorum ſocietate commoratum fuiſſe. Hunc autem deſcenſum eo fine factum eſſe putat, ut æque mortui ac vivi ſortem ſubiret. Verum Scriptura non in ipſo ſtatim mortis momento Chriſtum ad inferos deſcendiſſe refert, ſed Chriſtum jam vivificatum ad damnatos ſpiritus profe-

ctum asserit 1. Pet. III, 18. 19. Vnde etiam falsum cognoscitur, quod tantum animæ ratione ad inferos descenderit. Neque etiam scriptura commune omnium separatarum animarum receptaculum agnoscit, sed duplex, unum quietis, alterum tormenti. Et si Christus eum tantum in finem ad inferos descendit, ut mortui sortem subiret, descensu illo opus non fuisset, quia in ipsa morte mortui sortem jam subierat. Quæ etiam contra anonymum historiæ symboli apostolici autorem observanda sunt, qui circa hanc materiam iisdem fere Pearsonii vestigiis insistit.

XXIII. Plures Reformatorum sententias non addimus, sed ad Pontificios pergimus, e quibus Johannes Picus Mirandulæ Comes inter 900. conclusiones, quas Romæ disputandas exhibuit, hanc etiam posuit: *Christus non veraciter, & quantum ad realem præsentiam descendit ad inferos, ut ponit Thomas & communis via, sed solum quoad effectum.* Quam conclusionem postea in apologia sua *pag. 125.* prolixe defendit. Post hanc Johannis Pici cum quibusdam sui ævi doctoribus contentionem, nova exorta est inter Cardinalem Cusanum & Jacobum Fabrum Stapulensem controversia. Cum enim Cusanus Christum nonnihil pœnarum apud inferos sustinuisse statuisset, Jacobus Faber in appendice ad psalmum: *in Te Domine speravi*, quam secundæ editioni quintuplicis sui psalterii A. 1513. præmisit, pluribus argumentis ostendit, Christum apud inferos nihil passum esse. Alias Papistarum de hoc articulo dissensiones refert D. Hoë in der Haupt-Vertheidigung des

des Augapffels *c. 67. p. 519.* quas hic repetere nolumus. Addimus tantum, quæ Angeli del Pas in symboli apostolici expositione de descensu Christi ad inferos sententia fuerit. Statuit ergo *libr. 7. art. 5.* Christum ad inferos descendisse vere & proprie, libere, nulla coactione vel necessitate naturæ aut debiti, voluntati Patris obtemperantem, descendisse ipsum velocitate & celeritate incredibili, retenta secum divinitate, nec remansisse in sepulchro, nec in inferno desiisse, nec ibi quicquam passum fuisse, nec ibi detineri potuisse, descendisse ipsum non servum sed Dominum, descendisse solum, nec alium, quæ ipse præstitit, præstare potuisse, descendisse non secundum divinitatem, nec secundum corpus, sed secundum animam, & quidem secundum animæ substantiam & præsentiam, non solum secundum effectum, descendisse ipsum ad inferos subterraneos & loca pœnarum, ad animarum receptacula, ad inferos Abrahæ sinus, seu limbum Patrum, ad inferna purgatorii loca, ut omnes vel aliquos inde liberaret, & justis reliquis imposterum ibi purgaturis spem præberet, fidemque firmaret, animas eorum virtute suffragiorum liberandas, ad limbum infantum, quos ob Christi adventum tanquam objectum pulchrum & delectabile exultasse conjicit, ad locum damnatorum & dæmonum, ut illis insultaret, prædicaret, & eorum potestatem reprimeret, neminem vero ipsorum liberaret. Quas inter propositiones, ut nonnullæ veræ sunt, ita reliquæ falsissimæ, quod prolixa probatione non indiget.

XXIV. E Lutheranis Christianus Dreierus in der Erörterung etlicher Theologischen Fragen *p. 717.* & Calixtus *in Epitome doctrinæ Juliæ corollario capit. de Christo* egregie circa hunc articulum calvinizant, dum hunc articulum a Christi morte & sepultura distinctum esse negant, notati propterea a Summe Reverendo D. Fechtio *in dissert. Theologica de descensu Christi ad inferos propos. I. §. 5. & 6.* Johannes Brentius in catechismo suo duplicem Christi ad inferos descensum statuit, unum, cum adhuc corporalem in terris vitam agens inferni dolores suscepit, & alterum, cum de cruce depositus & sepulchro illatus prorsus interiisse visus est, quasi nulla vitæ recuperandæ spes amplius superesset. Addit autem Brentius, non sentiendum esse, quod Christus post mortem suam passus sit aliquem in infernis dolorem. Contra Johannes Æpinus in enarratione Psalmi 68. Anno 1553. Francofurti edita prolixe asseruit, Christum in descensu suo infernali dolores & passiones in anima sua sustinuisse, adeoque descensum Christi ad inferos ad exinanitionis statum pertinere. Idem docuit Matthias Flacius *in Clav. Script. sub tit. inferni* ubi urget, quod descensus Christi gloriosus dici non possit, cum ascensio ejus huic descensui *Ephes. IV, 9. 10.* opposita gloriosa fuerit, ut cætera ejus argumenta taceamus. Et ipse quoque Lutherus, cum suum in Psalmos priores 22. commentarium ederet, in hanc sententiam inclinavit, dum verba Psalmi XVI, 10. de doloribus inferni, quos Christus post mortem passus fuerit, explicavit, hac tamen restrictione addita, se huic explicationi inhæsurum,

rum, donec meliora edoctus fuerit, quemadmodum etiam in epilogo hujus in priores psalmos commentarii lectorem, ut cum judicio eum legat, rogat, sibique non omnia in eo placere ingenue testatur. Non igitur ex hoc in priores psalmos commentario Lutheri de Christi ad inferos descensu sententia haurienda est, sed potius ex homilia habita prid. Kal. Aprilis A. C. 1532. in vigiliis paschalibus, in qua se propterea articulum de Christi descensu ad inferos explicaturum dicit, ut post mortem ejus unicuique constare possit, quid de hoc fidei articulo crediderit. Legitur autem illa Lutheri homilia in postilla domestica sub initium partis æstivæ. Eadem quæ de Christi ad inferos descensu in concione illa Lutherus disseruit, anno sequenti 1533. repetiit in homilia Torgæ habita, quæ Tom. IV. Wittebergensi & Tom. VI. Jenens. & Altenburgensi legitur, & quam etiam Formula Concordiæ tam in epitome quam in declaratione *artic. 9.* commendat, cum in ea Lutherus pie admodum hunc articulum explicaverit, inutiles quæstiones resecuerit, & ad fidei simplicitatem Christianos exhortatus fuerit. Summam illius concionis Torgensis D. Daniel Cramerus in exegemate de descensu Christi ad inferos *part. 2. cap. 4. quæst. 1. p. 261.* his verbis extrahit: *(1.) urget τὸ ῥητὸν hujus articuli. (2.) docet hunc quoque articulum superare captum rationis humanæ, & ob id præcisis ineptis disputationibus simpliciter fide tenendum esse. (3.) ostendit actum hunc descensionis extramundanum esse, & nullo modo conformem conditioni hujus vitæ. (4.) propter captum rudiorum posse quidem imagines fingi aut concipi,*

pi, ita tamen, ne imaginibus pueriliter inhæreatur, sed ex conceptibus illis res abstrahantur plane divinæ. (5.) quod Christus profectus sit in infernum, non ut ibi aliquid pateretur, sed quod descenderit ut victor & heros triumphans, confringens infernum, terrens Diabolos & prædominans portis ejus. (6.) quod actio hæc descensionis non facta sit corporaliter, palpabiliter & crasso modo, sed modo incognito. (7.) quod totus Christus personaliter & præsentialiter descenderit, idque non tantum per effectum. (8.) quod tota persona, nulla facta seclusione corporis ab anima, descenderit, ut juxta symbolum apostolicum simpliciter fatemur, credo in Jesum Christum, in totam personam. (9.) plus tamen debere nos esse sollicitos de fructu hujus articuli addiscendo, quam de modo. Probat autem Lutherus in illis concionibus hunc articulum imprimis ex Psalmo XVI, 10. ubi Messias se in inferno non relictum iri asserit, quod oraculum de Christi ad inferos descensu Höpfnerus in suis ad Psalmos commentariis egregie explicat. Hanc igitur Lutheri sententiam sequitur Formula Concordiæ docens, Christum ad inferos descendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum e potestate mortis & Satanæ ab æterna damnatione atque adeo e faucibus inferni ereptos, quo autem modo hæc effecta fuerint, curiose non scrutandum esse. Cui simplicitati adhæserunt Theologi Witebergenses Ægidius Hunnius, Salomon Gesnerus, David Rungius, & Johannes Georgius Volckmarus. Cum enim rumor spargeretur ab Hubero disseminatus, quod de hoc articulo lites inter se alerent, scriptum ediderunt sub titulo:

Be=

Beständige Widerlegung / in quo simpliciter ad Formulam Concordiæ provocarunt, solenniter protestati, quicquid hactenus de hac materia dictum scriptumve fuerit, id omne juxta mentem Formulæ Concordiæ explicandum esse.

XXV. Torgensem illam Lutheri concionem, quam Formula Concordiæ commendat, exagitat Joh. Christophorus Becmannus in Massonii anatomia universali triumphante, quod in ea dicatur *tomo VI. Jenensi Germanico fol. 76. b. & seqv.* Demnach pflegt mans auch also an die Wände zu mahlen / wie Christus hinunter fähret mit einer Chor-Kappen / und mit einer Fahnen in der Hand / für die Helle kompt / und damit den Teufel schlägt und verjagt / die Helle stürmet / und die seinen heraus holet. Wie man auch in der Oster-Nacht ein Spiel für die Kinder getrieben hat. Audiat vero ipsum Lutherum *fol. 77. a.* Solch Gemälde zeiget fein die Krafft und Nutz dieses Artickels darumb er geschehen / geprediget / und gegläubet wird / wie Christus der Hellen Gewalt zustöhret / und dem Teufel alle seine Macht genommen habe. Et paulo post: Sonst wenn ich auch wolte so klug seyn / wie etliche / die gerne hoch fahren / und unsere Einfältigkeit spotten / so künde ich auch wol schertzen und fragen / was er für eine Fahne gehabt / ob sie von Tuch oder Papier gewest sey / und wie es zugangen sey / daß sie nicht in der Helle verbrand ist / Item was die Helle für Thor und Schlösser habe rc. Und also fein heidnisch die Christen verlachen / als die grösten Narren / daß sie

solches gläuben / das ist gar eine schlechte leichte Kunst. Et iterum: denn wir sind ja / GOtt Lob / so grob nicht / daß wir gläuben oder sagen / daß es leiblich so zugangen sey / mit äusserlichem Gepräng / oder hültzen Fahnen / und Tuch / oder daß die Helle ein hültzen oder eisern Gebäu sey. Aber wir lassen beyde solch fragen / klügeln und deuten daheimen / und reden einfältiglich davon / daß man mit solchen groben Gemälden fasse / was dieser Artickel giebt / wie man sonst die Lehre von Göttlichen Sachen durch grobe äusserliche Bilde fürgiebt. Wie Christus selbst allenthalben im Evangelio dem Volck das Geheimnis des Himmelreichs durch sichtige Bild und Gleichnis fürhält. Et fol. 78. a. Sage nur einfältiglich also / wenn man dich fraget von diesem Artickel / wie es zugangen sey / das weis ich warlich nicht / werde es auch nicht erdencken noch ausreden können / aber grob kan ich dirs wol mahlen und in ein Bild fassen / von verborgen Sachen fein klar und deutlich zu reden / daß er ist hingangen / und die Fahne genommen als ein siegender Held / und damit die Thor aufgestossen / und unter den Teuffeln rumort / daß hie einer zum Fenster / dort zum Loch hinaus gefallen ist. So kompst du unzeitiger Klügling mit deiner beschmissenen Klugheit und spottest / Ist das wahr / so höre ich wohl die Helle hat hültzen Thor / vom Zimmermann gemacht / wie ist sie denn so lang gestanden / daß sie nicht verbrand ist &c.? Antwort / das wuste ich vorhin wol / ehe deine Klugheit gebohren war / und darffest mich nicht lehren / daß die Helle nicht von Holtz und Stein gebauet ist / noch solche Thor und Fenster / Schlösser

ser noch Riegel hat / wie ein Haus oder Schloß auf Erden / und er nicht mit einer tüchern Fahnen sie hat zustöret. Idem Becmannus Vrbani Regii sententiam perstringit, qui in Catechismo suo articulum de Christi ad inferos descensu ita explicet, ut a limbo Patrum Pontificio non procul abesse videatur. At cogitare debebat, etiam Oecolampadium, Zwinglium aliosque ab illo limbo procul haud abesse. Conferantur præter autores hactenus allegatos e nostris Johannes Meisnerus in tractatu de descensu Christi ad inferos, Henrici Eckhardi tractatus de eodem argumento, Johannes Benedictus Carpzovius in dissertatione de eodem argumento, Johannes Gottlieb Lucius in vindiciis dissertationis Carpzovianæ de descensu Christi ad inferos Cornelio Hasæo Theologo Bremensi oppositis, Johannes Affelmannus in disputatione de descensu Christi ad inferos; ex Reformatis Bartholomæus Holzfus in dissertatione de hoc argumento, Cornelius Hasæus in disputatione Theologico-Philologica *περὶ τῆς καταβάσεως τοῦ Χριστοῦ εἰς κατώτερα μέρη τῆς γῆς*, & in epistola ad Theodorum Hasæum de vindiciis Carpzovianis a quodam Lucio tentatis; e Pontificiis Walenburchii in tractatu de Christi descensu ad inferos contra Johannem Hundium Serenissimæ Neoburgicæ Prædicantem, pluresque alii.

XXVI. Circa verba symboli: *credo in Spiritum Sanctum* Sociniani admodum fluctuant. Nam Johannes Crellius *de uno Deo Patre lib. I. sect. 3. c. 2.* ita in Spiritum Sanctum credendum esse dicit, quo pacto & in ecclesiam catholicam, & in cætera, quæ ibi

recenſentur, credendum eſſe multi veterum dixerint. Contra Socinus *animadverſ. p. 62.* hanc Crellii ſententiam invertit, dicens, quod non legendum ſit: *credo in Spiritum Sanctum*, ſed: *credo Spiritum Sanctum*, ut de aliis dicitur, quæ in ſymbolo ſequuntur, cum alias ſequeretur, in ea omnia, atque ita etiam in carnis reſurrectionem, credendum eſſe. Oſtorodus autem *inſtitut. p. 349.* prorſus negat, articulum de Spiritu S. & reliquos, qui ſequuntur, ad ſymbolum apoſtolicum pertinere, ut notat Calovius *in Theolog. natural. & revel. p. 1528.* Verum cum ſymbolum apoſtolicum ex baptiſmi formula natum ſit, & non minus in nomen Spiritus S. quam Patris & Filii baptizemur, dubium non eſt, quin verba de fide in Spiritum S. ad apoſtolicum ſymbolum pertineant. Neque etiam dubium eſt, quin legi debeat: *credo in Spiritum Sanctum*, ſicut in primo articulo legitur: *credo in Deum Patrem.* Nam ut Rufinus in explicatione ſymboli obſervat, *Spiritus S. memoratione adimpletur myſterium Trinitatis.* Alia vero ratio eſt eccleſiæ catholicæ, communionis ſanctorum, remiſſionis peccatorum, reſurrectionis, & vitæ æternæ. Nam hæc objecta fidei ſunt non ratione fiduciæ, ſed tantum ratione notitiæ. Itaque non dicimus credo in catholicam eccleſiam, ſed credo *ſanctam catholicam eccleſiam, communionem Sanctorum, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem & vitam æternam.* At de Spiritu S. recte dicimus, *credo in Spiritum S.* quia non ſolum credimus eſſe Spiritum S. ſed etiam in eum cordis noſtræ fiduciam ponimus, & hac ipſa fiducia verum Deum illum agnoſcimus. Etſi ergo Spiri-

Spiritus S. in ſymbolo apoſtolico non expreſſe Deus nominetur, ejus tamen divinitas eo ipſo aſſeritur, quod in eum credere dicimur. Pudeat ergo Arnoldum, qui in hiſtoria hæreſ. *part. I. l. 4. c. 8.* aſſerit, ſymbola veteris eccleſiæ de Spiritus S. divinitate nihil certi determinaſſe. Annon enim Irenæus *libr. I. adverſus hæreſ. c. 2.* profitetur, eccleſiam ab Apoſtolis, eorumque Diſcipulis accepiſſe *fidem in unum Deum Patrem omnipotentem omnium rerum creatorem, & in Jeſum Chriſtum Filium Dei pro ſalute noſtra incarnatum, & in Spiritum Sanctum*, quæ fidei profeſſio ut in pluribus aliis veteris eccleſiæ ſymbolis, ita etiam in Apoſtolico legitur. Valeant igitur Macedoniani cum ſuo promacho Arnoldo, qui Spiritum S. creaturam & Dei ſervum aſſeruerunt. Valeant Simoniani, Gnoſtici, Sabelliani, Montaniſtæ, Ariani, aliique Pnevmatomachi veteres. Valeat Guilielmina Bœma, quæ ſibi ipſi nomen Spiritus S. arrogavit, cujus blaſphemiam noſtra ætate Buttleria quædam imitata eſt. Valeat Sandius, qui collectionem bonorum Angelorum Spiritum S. eſſe ſomniavit. Valeat Johannes Bidellus, qui Spiritum S. præcipuum Angelum eſſe ſomniavit. Valeant Campaniſtæ, quorum autor Campanus libellum edidit de reſtitutione S. Scripturæ, in quo aſſerit, quod poſt Apoſtolorum tempora nullus doctorum veram de divinitate ſententiam tenuerit, ſed omnes tenebris immerſi fuerint, ipſe vero demum myſterium divinitatis exploraverit & revelaverit. Quodnam vero eſt illud myſterium? unam Dei eſſentiam, & duas perſonas eſſe docet, nempe Patrem & Filium, Spiritum autem S.

tan-

tantum aliquam Dei operationem esse dicit. Si rationem quæras, cur ita statuat, respondet hominem ad imaginem Dei conditum esse, maritum autem & uxorem unam esse carnem, & duas personas, unde infert etiam in Deo, ad cujus imaginem homo conditus est, esse unam essentiam & duas personas. Confirmat hanc sententiam verbis Christi: *ego & Pater unum sumus* Joh. X, & ex verbis ejusdem ad Philippum: *qui me videt, videt & Patrem* Joh. XIV, quæ Campani deliria recenset & confutat Christophorus Irenæus *in explicatione 3. artic. symbol. apostol. a p. 36. usque ad 78.* Valeat denique autor pathologiæ Dæmoniacæ superiori anno M DCC VII. Lipsiæ editæ, qui divinæ particulam auræ in Pythagoræ, Platonis, & Stoicorum schola natam a Cerdonianis, Marcionitis, Manichæis, Priscillianistis & aliis veteribus hæreticis, nec non a Paracelsistis, Böhmistis, omnibusque hodiernis fanaticis adoptatam in Scriptura quærens non sine horrenda absurditate asserit, hanc divinæ auræ scintillulam, quam a gentilibus confictam, & postea ab hæreticis resuscitatam diximus, in S. Scriptura Spiritum Dei, vel Spiritum Domini, vel Spiritum καθ' ἐξοχὴν, & a solo Christo procedentem in Scriptura Novi Testamenti Spiritum S. dici asserit, nisi quod Luc. I, 35, in verbis: *Spiritus S. super Te veniet* &c. per Spiritum S. Filium Dei intelligi somniat *pathol. Dæmon. p. 65.* quæ deliria, cum ipsa narratione confutentur, autori suo nunc relinquimus.

Ca-

CAPITIS III. SECTIO II.

De

Doctrina Barnabæ ex ejus epistola, quæ catholica cognominari solet.

I.

Autorem hujus epistolæ non esse Barnabam Pauli cooperarium, sed alium antiquum Scriptorem, qui vel commune cum illo Barnaba nomen habuit, vel epistolam suam Viro illi Apostolico supponere voluit, in primo capite dictum est. Nam quod autor hujus epistolæ ab argumento consolatorio hoc nomen sibi asciverit, quia Barnabas juxta Act. IV, 36. idem est ac υἱὸς παρακλήσεως, probabile non videtur, cum argumentum hujus epistolæ non esse consolatorium, sed vel didacticum, vel paræneticum facile cuilibet apparet.

II. Paucissima autem de hujus Barnabæ doctrina apud Theologos occurrunt. Nam qui ante A. C. 1645. scripserunt, ut Magdeburgenses, Chemnitius, Scultetus, Gerhardus aliique, epistolam hanc, quæ anno dicto primum e tenebris in lucem publicam emersit, neque legere, neque aliquid ex ea excerpere

Q potu-

potuerunt. Aliqui quidem ſcripſerunt poſt editam Barnabæ epiſtolam, ſed nullam ejus notitiam habuerunt, ut Varenius, qui in rationario Scriptorum eccleſiaſticorum *ſeculi I. p. 133.* de Barnabæ epiſtola nihil quam fragmenta quædam apud veteres ſupereſſe ſcribit. Aliqui hanc epiſtolam editam non ignorarunt, ſed forte nullum exemplar ad manus habuerunt, ut Bebelius, qui *antiquit. eccleſ. ſec. I.* tria primi ſeculi monumenta genuina videri judicat, & inter hæc tria Barnabæ epiſtolam numerat, & tamen ex Barnabæ epiſtola nullum plane teſtimonium in illo capite adducit, quod de doctrina primi ſeculi agit. Quamobrem operæ pretium videtur de doctrina hujus epiſtolæ aliqua annotare.

III. Ac primum quidem illud obſervamus, dicta quædam S. Scripturæ in hac epiſtola aliter allegari, quam in ſacro codice hodie leguntur. Exemplum occurrit c. 12. ubi ex *Exod. XVII, 14.* verba ita leguntur, ac ſi Deus dixiſſet, Dei Filium in noviſſimis diebus extirpaturum eſſe domum Amalek, cum in Fontibus nulla Filii Dei mentio ibi fiat, & in græco textu verba ita fluant: κατάγραφον τοῦτο εἰς μνημόσυνον εἰς βιβλίον, καὶ δὸς εἰς τὰ ὦτα Ἰησοῦ· ὅτι ἀλοιφῇ ἐξαλείψω τὸ μνημόσυνον Ἀμαλὴκ ἐκ τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανόν. ubi forte nomen Ἰησοῦ ſeu Joſuæ occaſionem dedit, de Filio Dei cogitandi, & verba illa ita transferendi: λάβε βιβλίον εἰς τὰς χεῖράς σου, καὶ γράψον ἃ λέγει Κύριος· ὅτι ἐκ ῥιζῶν ἐκκόψει πάντα τὸν οἶκον τοῦ Ἀμαλὴκ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐπ᾽ ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν. In eodem capite Barnabas ea, quæ *Eſaiæ XLV, 1.* de Cyro dicta ſunt, tanquam de Chriſto dicta allegat, &

& pro Κύρῳ legit Κυρίῳ, etsi hoc vitium non tam Barnabæ, quam ejus interpolatori tribuat Clericus *art. crit. libr. 2. p. 280.* Huc etiam spectant, quæ de sputo in hircum emissarium jaciendo, nec non de lana coccinea circa ejus caput ponenda c. 7. memorantur, cum *Levit. XVI*, ubi de hirco emissario agitur, nulla ejus rei mentio occurrat, etsi etiam Tertullianus, sive Barnabæ epistolam legerit, sive aliunde illa hauserit, *adversus Judæos c. 14.* & *libr. 3. contra Marcion. c. 7.* hirci coccino circumdati, maledicti, consputati, convulsi, & compuncti meminerit, & in Judæorum scriptis lingua coccinea, seu frustum panni coccinei linguæ formam habens inter hirci cornua alligatum memoretur, quæ lingua coccinea in die expiationis album colorem induisse, & hac coloris mutatione signum reconciliationis divinæ dedisse perhibetur, quorsum alludere nonnulli existimant verba Esaiæ: *si peccata vestra fuerint sicut coccinum, instar nivis albescent*, Es. I, 18. item verba Davidis: *fac mihi signum in bonum*, Psalm. LXXXVI, 17. Addunt etiam aliqui, inter Hierosolymam & locum, in quem hircus emissarius abductus fuit, in montibus fuisse speculas, & tabernacula certis spatiis distincta, & simul ac qui in ultimo tabernaculo fuit, observavit linguam coccineam in hirco albam factam, sudario motitato alteri in proximo tabernaculo commoranti signum dedisse, & hunc iterum sequenti, & sic brevi signum hoc reconciliationis divinæ & remissionis peccatorum Hierosolymitanis innotuisse, quorsum iterum Esaiam alludere arbitrantur dicentem: *quam jucundi sunt super montibus pedes evangelizantis*, Es. LII, 7.

 Vide-

Videantur quæ de lingua illa coccinea disserit Bochartus *hierozoic. tom. I. p. 656.* Stephanus le Moyne *not. ad var. sacr. p. 674.* & alii.

IV. Octavo suæ epistolæ capite Barnabas inter alia dicit: *ἡ βασιλεία τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τῷ ξύλῳ regnum Jesu in ligno.* In quibus verbis respexisse videtur ad verba Psalmi XCVI, 10. qui locus in Patribus nonnullis & aliis antiquis monumentis ita legitur, ac si David dixisset: *regnavit Dominus ex ligno*, ut patet ex Justini Martyris *dialogo cum Tryphone p. 298.* Tertulliani *adv. Jud. c. 11.* & *libr. 3. contra Marcion. c. 21.* Pseudo-Cypriano *tract. de mont. Sinai & Sion*, Pseudo-Ambrosio *comment. ad 1. Cor. XV.* Augustino *in expositione hujus Psalmi*, item libro octoginta quæstionum *quæst. 69. Tomo IV. operum*, item ex altercatione ecclesiæ & Synagogæ, qui tamen tractatus, perinde ut octoginta quæstiones, ipsius Augustini esse non videtur, etsi *Tomo VI.* inter ejus opera legatur, ex Ephremi Syri *sermone de cruce p. 700.* Gregorii M. *homilia 6. in Ezechiel*, Gregorio Turonensi *hist. Francor. lib. 6. c. 5.* Isidoro Hispalensi *de vocatione gentium c. 26.* Cassiodoro & Arnobio *comment. ad hunc Psalmum*, Leone M. *sermon. 4. de passione*, nec non ex hymno passionali, sive Fortunati sive Theodulphi, ubi ita canitur:

Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicens in nationibus
Regnavit a ligno Deus.

Ut Bernhardum *sermon. de resurrectione*, Haymonem Halberstadiensem, Brunonem Herbipolensem, Brunonem

nem Aſtenſem in comment. ad h.l. aliosque taceamus. Imprimis vero etiam Copticis Pſalteriis hæc verba *a ligno* addita fuiſſe Eduardus Bernardus in ſcholiis ad Barnabæ epiſtolam obſervat. De Pſalterio Gothico idem aſſerit Uſſerius *de 70. interpret. c.4. p.45.* ut Pſalterium vetus Italicum, Pſalterium Romanum & alia quædam vetera Pſalteria taceamus.

V. Sunt qui cum Jacobo a Valentia hoc additamentum *a ligno* etiam in Origene & Hilario reperiri tradunt. Verum etſi Origenes in dicto Paulino Coloſſ. II, 15. pro verbis ἐν αὐτῷ vel ἐν αὐτῷ ſæpiſſime in ſuis ſcriptis legat: ἐν ξύλῳ, dicto tamen Davidico, de quo nunc agimus, verba illa addidiſſe non deprehenditur, quemadmodum & omnem operam perdent, qui hanc interpolationem in Hilarii ſcriptis quærent. Non minus Jacobus Pinto fallit & fallitur, cum in Lactantio & in Pſalterio Gallicano hæc verba *a ligno* legi ſibi & aliis perſvadet. Omnium vero maxime errat Johannes Morinus, qui *Exercit. biblic. libr. I. exercit. 6. c. 14.* dicere audet, quod antiqua OMNIVM PATRVM traditio verbis Davidicis *Dominus regnavit* addendum doceat *a ligno*, atque inde validiſſimum pro crucifixione Chriſti argumentum promſerit. Unde enim probabit Morinus, omnium Patrum traditionem eſſe, quod legi debeat: *Dominus regnavit a ligno.* Plurimi enim Patres oraculum hoc Davidicum plane non allegant. Aliqui vero dictum hoc ita allegant, ut verba *a ligno* omittant, ut Euſebius in demonſtratione evangelica *libr. 2. c. 1.* & in commentario ad Pſalmos, quem Dominus de Montfaucon nuper edidit, *Tom. I. collect.*

nov. Patr. Græc. p. 636. Gregorius Nyſſenus *libr. 2. de titul. Pſalm. c. 9.* Cyrillus Alexandrinus *homil. de ram. palm. Tom. V. part. 2. p. 396.* Apollinarius *in paraphraſi Pſalmorum p. 267.* Hieronymus *comment. in Pſalm. Tom. VII.* Theodoretus *comment. in Pſalm. Tom. I. oper.* ubi & ipſe textus & explicatio textus additamento illo caret, Theodorus Haracleota, & Anonymus Pſalterii paraphraſtes, quos Corderius Catenæ græcorum Patrum in Pſalmos inſeruit, Euthymius in Pſalmos *Tom. XIX. max. Patrum biblioth.* Odo Aſtenſis in Pſalmos *Tom. XX. max. Patr. biblioth.* & alii. Omiſit etiam hoc additamentum *a ligno* verſio græca, qualem nunc habemus, verſio vulgata, paraphraſis chaldaica, verſio Syriaca & Arabica. Omiſit hæc verba Symmachus, ut ex Theodoreto conſtat. Abeſt hoc additamentum in Pſalterio Hieronymiano juxta hebraicam veritatem compoſito, ut alias Pſalterii verſiones nullam ligni mentionem facientes taceamus. Neque etiam in 1. Paralip. XVI, 7. ubi totus Pſalmus 96. repetitur, aliquid in fontibus legitur, quod verbis *a ligno* reſpondeat. Vbi ergo illa a Morino jactata omnium Patrum traditio, ex qua probare poſſit, quod eccleſia huic additamento ſupremam autoritatem conferat? Qua aſſertione quam gravis ſit Morinus vulgatæ verſioni, quæ additamentum hoc omiſit, atque adeo ipſi Romanæ eccleſiæ, quæ vulgatam pro authentica agnoſcit, notavit Simeon de Muis in aſſertione Hebraicæ veritatis contra Morinum p. 204.

VI. Cum autem certum ſit in Fontibus Hebraicis dicti illius Davidici nullam ligni mentionem fie-

fieri, mirum videri possit, unde interpolatio illa nata fuerit, quæ in nonnullis Psalterii versionibus, & tot Græcorum & Latinorum Patrum scriptis legitur. Pezronius *in antiquit. temp. p.194.* Jacobus Pinto *de Christo crucif. libr. 4. tit.5. l. 2.* & alii fontes Hebraicos a Judæis ex odio Christi & ligni ex quo regnavit corruptos suspicantur, quam sententiam Gulielmus Lindanus *de optimo genere interpret.* ex Psalterio Hebraico apud Anglos asservato confirmare nititur, in quo verba a Judæis erasa adhuc legi sibi persvadet. At fallitur & fallit, cum in illo Psalterio hemistichium Davidicum, de quo nunc agitur, totum omissum deprehendatur, ut Arias Montanus in opusculis ad apparatum Bibliorum Regiorum indicat, inter quæ opuscula peculiaris animadversio de Anglicano illo Psalterio comparet. Nec magis hæc sententia ex Justini dialogo cum Tryphone probari potest, ubi Judæi, quod verba a ligno ex Psalmo 96. expunxerint, arguuntur, siquidem ibi Justinus non de codicibus Hebraicis, sed de græcis agit. Cum enim in exemplaribus quibusdam græcis legeret: ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου, in aliis ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν, in posterioribus verba ἀπὸ ξύλου a Judæis malitiose erasa arbitratus est. Et forte etiam Judæi in græcis suis exemplaribus verba illa revera expunxerunt, si illa irrepsisse deprehenderent. Id vero Judæis Justinus vitio vertere non debebat, cum ea in Hebraicis codicibus non deprehenderent, ut Drusius in quæsitis per epistolas *epist. 8.* bene annotavit. Neque etiam ex eo verba hæc *a ligno* authentica esse probari poterit, quia David in sequentibus verbis ligna sylvarum compellat, ut a facie Domini

mini exultent, quo argumento vere ligneo, ut Tertulliani phrasi loquar, utitur Salmeron *proleg. 4.* Nam David etiam cœlum, terram & mare exultare jubet, neque tamen ex eo inferri potest, quod David v. 10. dixerit: Dominus e cœlo, vel e terra, vel e mari regnavit. Nec majoris momenti est argumentum ex eo depromtum, quod ecclesia Romana certis temporibus hæc verba intonet:

Dicite in nationibus
Regnavit e ligno Deus.

Nam etiam in festo nativitatis ecclesia canit:

Cognovit bos & asinus,
Quod puer erat Dominus,

neque tamen ex eo temere aliquis colligat, in authentico Esaiæ textu legi, quod bos & asinus puerum Dominum cognoverint. Probari ergo non potest, quod Judæi Davidis verba in originali textu corruperint, & verba *e ligno* expunxerint. Certe Judæo Tryphoni apud Justinum sacri codicis depravatio tam horrendum crimen est, ac aurei vituli consecratio, vel liberorum in Dæmonum gratiam facta mactatio, vel ipsorum Prophetarum trucidatio. Ne potuissent quidem id Judæi facere, si vel maxime voluissent. Neque enim omnes hebraicos codices in manu sua habuerunt. Quod autem Salmeron statuit, Judæos suis clamoribus, cachinnis & contentionibus etiam Christianos eo adegisse, ut ex latinis & græcis codicibus verba illa delerent, tantum abest, ut sit probabile, ut sententia illa cachinnum potius, quam applausum mereatur. Quis enim credat, christianos ob Judæorum clamores, cachinnos, & con-

contentiones vel minimum ſacri codicis apicem mutaſſe, vel etiam Judæos tale quid a chriſtianis poſtulasſe? Non latet ſane Judæos, multa dogmatibus eorum adverſa in ſacro codice legi. Veruntamen ea non expurgant, ſed falſis interpretationibus pervertunt. Nec difficile illis eſſet, ſi in Pſalmo 96. ſcriptum foret: Dominus regnavit e ligno, gloſſam aliquam a ligno crucis alienam excogitare, qua de re plura dicta ſunt in exercitatione Theologico-philologica ad verba Davidis a nonnullis interpolata: *Dominus regnavit a ligno*, quam ſub præſidio meo Dn. M. Johannes Schlegelius Ulmenſis ante ſexennium publice ventilandam propoſuit, ubi etiam varias aliorum de hoc argumento opiniones recenſuimus, & probabile exiſtimavimus, verba *a ligno* pro pia alicujus devotione addita fuiſſe, ut Jacobus Faber in ſuis ad quintuplex Pſalterium ſcholiis *fol.141.* ſtatuit. Nec opus eſt, ut cum Balthaſare Corderio *Caten. Patrum in Pſalm. Tom.II.p.969.* hanc additionem ab aliquo Pſalterii interprete factam ſtatuamus. Potuit enim ejusmodi additio etiam ab alio chriſtiano fieri. Et forte primum pius aliquis lector verba illa ad exemplaris ſui marginem poſuit, quæ poſtea cum hæc annotatiuncula pluribus arrideret, in ipſum textum translata ſunt, ut Nicolaus Fullerus *lib.3. miſcell. cap.13.* & Ludovicus Ferrandus *in Comment. ad Pſalter.p.717.* non male ſuſpicantur. Quale quid etiam in loco Deut. XXVIII, 66. accidit, ubi nonnulli ad verba: *videbit vitam ſuam pendentem*, ex pia quadam erga crucifixum Salvatorem devotione addiderunt *in ligno*, ut verba hæc ad Chriſtum, qui vita noſtra eſt,

R tra-

traherent, ejusque in cruce pendentis memoriam aliis inculcarent, quod ſcholion deinde ipſi textui in quibusdam exemplaribus inſertum fuiſſe ex eo colligi poteſt, quod in Chryſoſtomi homilia de S. Stephano verba illa ita allegentur: ὄψεσθε τὴν ζωὴν ὑμῶν κρεμαμένην ἐπὶ ξύλου, *videbitis pendere vitam veſtram in ligno.*

VII. Si quæramus qua occaſione pius ille lector, quisquis fuerit, verbis Davidicis *Dominus regnavit*, verba *a ligno* margini alleverit, quæ poſtea in ipſum textum translata ſunt, reſpondebit Eduardus Bernardus, Barnabam noſtrum in ſua epiſtola ſcholio huic marginali occaſionem ſuppeditaſſe. Facile enim fieri potuit, ut aliquis hæc pſalmi verba legens κύριος ἐβασίλευσε, verborum Barnabæ de βασιλεία τοῦ Ἰησοῦ ἐπὶ τῷ ξύλῳ recordaretur, ideoque verbis pſalmi aſcriberet: ἐπὶ τῷ ξύλῳ, vel ἀπὸ ξύλου. Veriſimilius tamen videtur, interpolationem hanc potius titulo crucis dominicæ originem debere, in quo Jeſus Nazarenus Rex Judæorum nominatur, quem etiam in cruce adhuc pendentem alter latronum rogavit, ut regnum ſuum ingreſſus ſui memor eſſet. Quorſum etiam miracula ſpectant, quæ Chriſto moriente contigerunt, eumque a cruce regnare demonſtrarunt. Quoniam ergo Chriſtus in cruce pendens Regis titulum geſſit, & potentiæ ſuæ regiæ radios in profundiſſima ſua exinanitione exeruit, cum infame lignum thronus ejus regalis eſſet, nec alia purpura quam effuſo ſuo ſanguine veſtiretur, nec aliam quam ſpineam coronam geſtaret, nec aliud ſatellitium quam promiſcuam cavillantium

tur-

turbam circa ſe videret, non incommodum viſum eſt pio cuipiam Chriſtiano ad verba Davidis: *Dominus regnavit* illuſtrationis & explicationis gratia aſcribere verba *a ligno*, ut indicaret, quod Chriſtus vel in ipſa cruce regnaverit. Hæc ſententia noſtra fuit in exercitatione Theologico-philologica de verbis Pſalmi XCVI. interpolatis, quam paucis, cum ejus nondum nos pœniteat, hic repetere placuit.

VIII. Capite epiſtolæ ſuæ duodecimo Barnabas tanquam a Propheta dicta hæc verba allegat: *quando hæc conſummabuntur? & dicit Dominus: cum lignum inclinatum fuerit, & reſurrexerit, & cum de ligno ſanguis ſtillaverit.* Verum hæc in Prophetarum, quos Sacer Codex continet, ſcriptis non leguntur. Ex carminibus quibusdam Sibyllinis dictum hoc depromtum ſuſpicatur vir doctus, qui Oxonienſem Barnabæ editionem ſuis ſcholiis illuſtravit. Bernardus autem, qui & ipſe ad hanc Oxonienſem Barnabæ editionem ſua ſcholia adjecit, priora hujus dicti verba ex apocryphis quibusdam iisque deperditis Judæorum ſcriptis, poſteriora autem de ligno ſanguinem ſtillante ex 4. Esdræ libro deprompta obſervat, unde etiam quartum hunc Esdræ librum ſatis antiquum eſſe colligit. Etſi vero græce hic liber non amplius extet, eum tamen Græcos olim in ſua lingua habuiſſe, Colomeſius in ſpicilegio notarum ad Clementis Romani epiſtolam priorem Corinthiis inſcriptam *c. 50. p. 119.* ſtatuit, idque ex Clemente Alexandrino probat, qui *libr. 3. ſtromat.* ex libro quarto Esdræ c. V, 35. verba quædam allegavit. Cæterum

rum inter Pontificios Gilbertus Genebrardus *chronolog. Tom. 2. p. 17.* quarto Esdræ libro canonicam autoritatem tribuere non dubitavit. Verum etsi ecclesia Romana suis precibus nonnulla ex hoc libro inseruerit, alii tamen Pontificii a Genebrardo haud immerito dissentiunt. Certe librum hunc fabulis plenum esse recte monuit Le Moyne *not. ad var. sacr. pag. 836.* qui tamen in eo hallucinatur, quod ait Ambrosium testimoniis libri hujus uti, non tanquam ab Autore sacro, sed ut ab autore, cui non omnis fides deneganda sit, exaratis. Nam Ambrosius *de bono mort. cap. 10. libr. 2.* comment. in Luc. *libr. 2.* de Spiritu S. *cap. 7.* item in oratione de obitu fratris Satyri, & in epistola 34. edit. nov. ad Horontianum, hunc Esdræ librum tanquam canonicum, divinitus revelatum, nec ulli librorum biblicorum posthabendum commendat. Rectius igitur Rainoldus *in censura apocryph. lect. 27. p. 227.* Ambrosium errasse judicat. Præferendus enim hic est Ambrosio Hieronymus, qui in libro contra Vigilantium scribit: *tu vigilans dormis, & dormiens scribis, & proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ a te tuique similibus legitur, quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod ecclesia non recipit?* Idem in epistola ad Domnionem & Rogatianum libri 3. & 4. Esdræ somniis se non delectari scribit. Cum autem Barnabas in sua epistola multa ex ejusmodi libris apocryphis adducat, non leve inde argumentum illis nascitur, qui Barnabæ epistolam a Viro apostolico scriptam negant. Unde Stephanus Le Moyne in prolegomenis ad varia sacra de

de Barnaba differens, *multa*, inquit, *citantur in illa epistola ex fontibus hausta & petita, qui Apostolis & Apostolicis viris ignoti prorsus vel minus frequentati, imo neglecti fuerunt. Plurima quippe in ea memorantur ex apocryphis & lacunis Judaicis derivata more prorsus insolito beatis Apostolis, ac qui tantum seculo secundo cœpit usurpari.*

IX. In explicanda Scriptura ita versatur Barnabas, ut allegoricis & mysticis interpretationibus admodum delectetur, quas sæpe minus aptas, admodum coactas, & violentas esse negari non potest. Probat id Le Moyne in exercitatiuncula de Barnaba, quæ ejus prolegomenis ad varia sacra inserta est, ex eo, quod Barnabas c. 6. verba Es. III, 9. 10. ad Judæos vitæ Christi insidiantes, & mala adversus ipsum consilia agitantes detorqueat, quod & a Prophetæ verbis, & ab ejus mente alienum est. Nam juxta fontes verba Prophetæ ita fluunt: *Væ animæ ipsorum, quia retribuent ipsis malum. Dicite justo, quod bonum illi sit futurum, quia fructum operum suorum comedent.* Barnabas autem Prophetæ verba ita exprimit: οὐαὶ τῇ ψυχῇ αὐτῶν, ὅτι βεβούλευται βουλὴν πονηρὰν καθ᾽ ἑαυτῶν. εἰπόντες· Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι. Et antiquus Barnabæ interpres: *væ animæ iniquorum, qui dicunt inter se: circumveniamus justum, quia insuavis est nobis.* Secutus autem est Barnabas græcam 70. Seniorum versionem, quæ ita habet: οὐαὶ τῇ ψυχῇ αὐτῶν, διότι βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν, καθ᾽ ἑαυτῶν. εἰπόντες, Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστί. quæ versio ab originali textu plane discrepat, qui utique non de consiliis Judæorum adversus Christum, sed

 de

de diversa piorum & impiorum sorte agit, & bonis bonum, malis malum suarum rerum statum prænunciat. Nihilominus tamen Barnabam alii etiam Scriptores in hac Esaiæ interpretatione secuti sunt, ut inter Græcos Procopius, & inter Latinos Ambrosius, quorum verba adducit Le Moyne *Var. Sacr. Tom. II. p. 596.*

X. Dicit idem Barnabas c. 7. dici apud Prophetam: *Φαγέτωσαν ἐκ τοῦ τράγου, τοῦ προσφερομένου τῇ νηστείᾳ ὑπὲρ πασῶν τῶν ἁμαρτιῶν. (προσέχετε ἀκριβῶς) καὶ φαγέτωσαν οἱ ἱερεῖς μόνοι πάντες τὸ ἔντερον ἄπλυτον, μετὰ ὄξους, & manducent de hirco, qui in die jejunii offertur pro omnibus peccatis.* Attendite diligenter: *& manducent soli ac omnes sacerdotes intestinum non lotum, cum aceto.* Nihil autem tale in Scriptura invenitur. Vnde Cotelerius in notis ad illum locum observat, ad libros apocryphos vel Judæorum traditiones recurrendum esse. Et Basnagius *in annalibus politic. ecclesiasticis A. C. 50. §. 56.* cum verba illa Barnabæ de hirco manducando refert, non solum ad verba: *attendite diligenter*, cum sarcasmo aliquo respondet: *arrigimus aures, quid narrat*, sed etiam deinde quærit, an hæc scribere potuerit Barnabas, qui & Levita & Apostolus? an die jejunii manducaverint Jsraelitæ de hirco? an intestina illota cibus fuerit Sacerdotum? & tandem gemina falsitate hunc Barnabæ locum laborare dicit, quarum una est, quod Jsraelitæ in festo expiationum jejuniis dicato de hirco per sortem oblato manducaverint, altera vero, quod Propheta hoc scripserit. Equidem Menardus in margine ad hunc Barnabæ locum notat Num. XVII, 7. 11. qua-

quasi ibi Barnabas haberet relationis suæ fundamentum. At nec ibi legitur, quod vel populo injunctum fuerit die jejunii de oblato hirco manducare, vel Sacerdotibus illota hirci intestina cum aceto comedere. Pertinet ad falsas Scripturæ allegationes in Barnabæ epistola obvias & hæc, quod c. 12 Mosen ad Israelitas ab igneis serpentibus læsos dixisse referat: *cum aliquis ex vobis morsus fuerit, veniat ad serpentem in ligno positum, & credat atque speret, quod licet mortuus ille sit, possit vitam præstare, & confestim servabitur.*

XI. Ad mysticas Scripturæ expositiones, quibus Barnabam delectari diximus, etiam lusus ille in numeris referendus est, cum c. 9. in trecentis & octodecim Abrahæ servis Genes. XIV, 14. memoratis mysterium Jesu crucifixi quærit, dum per literam T, quæ Græcis trecentos notat, & qualemcunque crucis formam exhibet, Christi crucem, ac per literas I H, quæ decem & octo significant, priores literas nominis Ἰησοῦ, seu Jesu demonstratas existimat. Cujusmodi lusus aliis etiam Patribus, nec non hæresiarchæ Valentino, a'iisque Gnosticis, ut & Judæis haud infrequentes extiterunt. Addit Barnabas dum numerale illud mysterium explicat, Scripturam narrare, quod Abraham servos de domo sua trecentos decem & octo circumciderit. At Scriptura hoc non refert, sed hoc tantum, quod Abraham servos de domo sua trecentos decem & octo armaverit ad cognatum suum Lothum ex hostium manu liberandum, quando autem de circumcisione a Deo per Abrahamum instituta agit, narrat Abraha-

ha-

hamum omnes masculos de domo sua circumcidisse, quorum numerus in Scriptura non indicatur. Sic igitur Barnabas noster, quisquis ille fuerit, in suis mysteriis ea libertate usus est, qua mystici vulgo uti solent, dum allegoricas suas explicationes non ita veritati historicæ astringendas existimant, ut non libere evagari sibi liceat, modo pium aliquem sensum in suis meditationibus se invenire putent.

XII. Plura expositionum mysticarum exempla ex Barnabæ epistola non adducam. Num vero Barnabas hanc imprimis ob causam mysticis Scripturæ sensibus indulserit, ut Gnosticos, qui prætextu mysticarum interpretationum multa V. T. mysteria ad sua deliria & obscœna sacra perverse applicabant, confutaret, quæ Hammondi *dissertat. proœm. de jur. episcop.* est sententia, non inter omnes convenit. Probabilis videtur Hammondi sententia Bullo *in defens. fid. Nicæn. p. 29.* minus probabilis Jacobo Thomasio *in schediasm. historic. p. 20.* cujus judicium secuti sumus in dissert. de hæresiarch. *sect. 2. c. 9. th. 21. & 22.* De cœtero, etsi Nicolaus le Nourry in apparatu ad bibliothecam Patrum illis succenseat, qui Barnabam reprehendunt, quod loca quædam V. T. ad Christum minime spectantia de Christo interpretatus fuerit, & hanc reprehensionem iniquam esse putet, cum Barnabas aliique Scriptores has interpretationes ab Apostolis, & Apostoli a Christo hauserint, qui illis intellectum aperuit, ut Scripturas intelligerent Luc. XXIV, 45. vereor tamen ut hoc probare possit. Quis enim credet, Barnabam ab

ab Apostolis, & Apostolos a Christo hausisse literas T I H, quæ in græca versione bibliorum numerum vernarum Abrahæ ad Lothi liberationem armatorum denotant, ita esse exponendas, ut prima T figuram crucis, reliquæ I H initiales literas nominis Ἰησοῦ denotent? Certe hoc Barnabam ab Apostolis didicisse non magis credo, quam quod 318. Episcopi concilii Nicæni per 318. Abrahæ servos præfigurati fuerint, etsi Hilarius & alii quidam Patres numerum servorum Abrahæ ad numerum Nicænorum Patrum accommodaverint.

XIII. Divinitatem Christi a Barnaba agnitam fuisse, ex eo colligi potest, quod Solem opus manuum ejus appellet, & omnia per ipsum & propter ipsum facta, eique honorem, virtutem & gloriam nunc & in secula seculorum tribuendam asserit c. 17. antiquæ latinæ versionis. Nam in græco textu, quippe non integro, sed quoad initium & finem mutilo, hæc doxologia non invenitur. Alia quædam testimonia pro Christi divinitate ex epistola Barnabæ producit Calovius in confessione Martyrum de SS. Trinitate, ubi inter confessores hujus mysterii primo loco ponitur Barnabas, quem cum Paulo gentium Apostolum constitutum Calovius asserit. Unde colligi potest, tum temporis Calovium hanc epistolam a Barnaba Pauli comite scriptam existimasse, etsi postea in Bibliis illustratis N. T. *Tom. II p. 1096.* aliter senserit. Nam in præloquio epistolæ Hebræis inscriptæ non firmiter probari posse ait, quod hodierna Barnabæ epistola sit eadem cum illa, quam Clemens & Origenes habuerunt, cum epistolæ hujus consarcinator

S fra-

fragmenta illa Barnabæ ex Clemente Alexandrino & Origine suo figmento inserere potuerit. Autorem autem hunc, quicunque fuerit, assertorem divinitatis Christi fuisse, probat etiam Georgius Bullus *defens. fid. Nicæn. sect. 1. c. 2. & sect. 2. c. 1.* Et quamvis Socinianus aliquis in Anglia, qui se Lucam Mellierum V. D. M. appellat, *in fide primorum christianorum ex Barnaba, Herma & Clemente Romano*, qui libellus Londini A. C. 1697. in 8. prodiit, *p. 1. & seq.* Bullum refutare allaboret, vindicias tamen Bulli adornavit Johannes Ernestus Grabe *in not. ad Bulli defens. fidei Nic. p. 21. & 44.*

XIV. Docet Barnabas c. 5. Christum ostensurum, se venisse non ut justos, sed ut peccatores vocaret, homines omni peccato iniquiores ad apostolatum elegisse. Quam Barnabæ sententiam ex hac epistola repetit Nazianzenus *in Philocalia Origenis c. 18.* & ipse Origenes *libr. I. contra Celsum p. 49.* ubi addit, quod forte Celsus ex hoc Barnabæ dicto Apostolos totamque religionem christianam infamandi occasionem arripuerit, & christianis objecerit, quod Christus nequissimos homines ad apostolatum vocaverit. Respondet autem Origenes Celso, nihil vitii Christo exprobrari posse, qui boni Medici instar homines pessimos elegerit, & sanctissimos reddiderit. Observat insuper, etiam apud gentiles exempla extare, quod Philosophi eos sibi ultro discipulos elegerint, qui vita ante acta infames extiterunt, quod probat exemplo Phædonis ab infami loco ad scholam Socraticam translati, & Polemonis, qui in Xenocratis schola a vita dissolu-

ſoluta ad philoſophiam converſus eſt. Rectius in hac contra Celſum diſputatione Origines negaſſet, quod Chriſtus non alios homines quam peſſimæ notæ, & omnium bipedum nequiſſimos, ſeu ut Barnabas loquitur, ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρους ad Apoſtolatum elegerit. Erant enim Diſcipuli, quos Chriſtus ad apoſtolatum vocabat, homines quidem illiterati, rudes, ſimplices, & infimæ ſortis, boni tamen viri, qui honeſto labore victum quærebant, & nulla ante actæ vitæ infamia laborabant, ſi forte Matthæum publicanum, & Paulum, qui ſemetipſum graviſſimum omnium peccatorem agnoſcit, excipiamus. Judas enim Iſcariotes, cum a Chriſto vocaretur, furti flagitio aliisque Diaboli laqueis nondum ſe obſtrinxerat, cui cum ſucceſſor eligendus eſſet, duo viri bonæ notæ & famæ Apoſtolico collegio præſentabantur, e quibus ſorte jacta Matthias divinis auſpiciis inter Apoſtolos cooptabatur. Unde Cotelerius in notis ad illum Barnabæ locum relicto Barnaba ejusque aſſecla Origene, Conſtantino Imperatori *in oratione ad Sanctorum cœtum c.15.* & Jobio *lib.9. apud Photium biblioth. c.222.* potius ſubſcribit, qui optimos a Chriſto diſcipulos delectos ſtatuunt. Neque tamen ſimpliciter vel Jobii ſententia amplectenda eſt, qui optimos a Chriſto diſcipulos electos ſtatuit, vel Barnabæ, qui peſſimos, cum non omnium, quos Chriſtus vocavit, diſcipulorum eadem indoles, eademque vivendi ratio fuerit, ut ex antea dictis patet. Illud adhuc, antequam hinc abeamus, monendum, quod Hieronymus *libr.3. adv. Pelag. c.1.* dictum hoc de Apoſtolis ſupra omne peccatum iniquioribus non Barnabæ,

S 2 ſed

ſed Ignatio aſcribat, quod memoriæ lapſui tribuendum eſt, qualis etiam apud Clementem Alexandrinum deprehenditur, qui *libr. 6. Stromat.* dictum aliquod ſub Barnabæ nomine allegat, quod in Clementis Romani priore ad Corinthios epiſtola reperitur. Fuitque tanto proclivius in ejusmodi lapſus incidere, quia Scriptores illi olim in unum volumen compacti fuerunt, quæ conjectura Jacobo Uſſerio in fragmento præfationis ad epiſtolam Barnabæ abblanditur.

XV. Docet Barnabas c. 7. Filium Dei, qui eſt Dominus judicaturus vivos & mortuos, paſſum, & mortuum, & crucifixum fuiſſe, ut livore ejus ſanaremur. Unde patet, veteres eccleſiæ doctores aliter ſenſiſſe ac Neſtorium, qui non Deum, ſed hominem a Judæis crucifixum dicebat, & Hypatiam Philoſophiæ Platonicæ magiſtram, quæ in epiſtola ad Cyrillum Alexandrinum magnum inde gentilibus ſcandalum naſci aſſerit, quod Chriſtiani ex evangelio Johannis Deum a nemine unquam viſum doceant, & tamen Deum paſſum & crucifixum tradant, unde & Cyrillo exprobrat, quod Neſtorium ſaniora docentem in exilium miſerit, etſi hæc Hypatiæ epiſtola, quam Chriſtianus Lupus inter epiſtolas variorum Patrum ad Epheſinum concilium pertinentes *cap. 216.* primus edidit, Stephano Baluzio in nova collectione Conciliorum *pag. 915.* eumque ſecuto Menagio in hiſtoria mulierum Philoſopharum *pag. 32.* adulterina videatur, cum ex Socratis *lib. 7. c. 15. hiſt. eccleſ.* pateat, Hypatiam A. C. 415. membratim diſcerptam & combuſtam fuiſſe, epiſtola autem illa poſt Neſtorii exi-

exilium ſcripta multis poſt tragicum Hypatiæ exilium annis ſcripta deprehendatur.

XVI. Ex eodem, quod modo adduximus, Barnabæ dicto patet, eum docuiſſe, quod Chriſtus pro expiandis peccatis noſtris paſſus & mortuus fuerit. Quorſum etiam faciunt, quæ in antiqua verſione latina hujus epiſtolæ c. 5. ubi græcus textus deficit, leguntur. Non dubitavit autem Barnabas, quin Chriſtus pro omnium hominum peccatis ſatisfecerit, quod antiquus latinus interpres clarius exprimit, cum in eodem capite verba Eſaiæ ex c. 53. ita allegat: *plaga corporis illius omnes ſanati ſumus*, etſi fatendum ſit, quod hoc loco latina verſio græco textui non reſpondeat. Sufficit interim, quod Barnabas, quoties Chriſtum pro peccatis noſtris paſſum docet, nullam reſtrictionem addat, & hoc ipſo ſatis indicet, Chriſtum livore ſuo omnibus hominibus ſpiritualium plagarum ſanationem acquiſiviſſe. Et hanc paſſionem Chriſti variis V. T. typis præfiguratam fuiſſe Barnabas agnoſcit, adducens inter alios typum vaccæ rufæ Num. c. XIX. delineatum. Quem Barnabæ locum ex c. 8. epiſtolæ integrum exhibet Magnificus Carpzovius *diſſertat. de vacca rufa part. 2. c. 3. th. 18.* ubi contra Doctorem angelicum Thomam Aquinatem, & contra Doctores quosdam Anglicos de typo vaccæ rufæ minus recte ſentientes, & imprimis contra Socinianos vaccam rufam Chriſti typum fuiſſe negantes, diſputat.

XVII. Cum Barnabas c. 5. versionis latinæ docet, *Christum tradidisse corpus suum in exterminium, ut remissione peccatorum sanctificaremur, quod fit aspersione sanguinis ipsius*, Hugo Menardus ad illum locum *p. 100. suæ editionis* observat, ex his Barnabæ verbis liquere, quod per applicationem meritorum Christi justificemur, cum sparsio sanguinis Christi nihil aliud sit, quam applicatio passionis illius, quam observationem non improbamus. At non item probamus, cum Menardus ad verba Barnabæ c. 6. dicentis, quod *fide promissionis* & *verbo vivificante vivamus* p. 124. & 125. observari cupit, quod justus ex fide vivat, non sola & nuda quæ reproba est & operibus vacua, sed ex ea, quæ per dilectionem operatur, & cum operibus conjuncta est, cum Barnabas quidem dicat, quod fide promissionis victuri simus, non vero quod per solam promissionis fidem victuri simus, unde hunc Barnabæ locum procul abesse dicit ab hæreticorum mente, dicentium evangelium esse nudam & absolutam promissionem vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum, quam sententiam concilii Tridentini anathemate merito percussam asserit. Quem Menardi ad hæc verba Barnabæ commentarium D. Joh. Tobias Major *in dissert. I. de oratione pro defunctis c. 1. thes. 48.* non immerito iniquum esse judicat. Neque enim Lutherani docent, quod fides, per quam justus vivit, sit reproba, sed per vivam fidem hominem justificari credunt. Vivit autem fides non per caritatem, quæ fide & justificatione posterior est, sed per Christum vera fiducia apprehensum. Et quamvis Barnabas, cum nos per

per fidem promissionis victuros asserit, exclusiva non utatur, opera tamen ab actu justificationis ipso silentio excludit, dum duo tantum vivificationis nostræ media recenset, unum ex parte Dei nempe verbum, alterum ex parte hominis nempe fidem, de qua Theologi nostri docent, quod sola in actum justificationis influat, etsi non sit sola. Ubi tamen notandum, quod fides quidem non sit sola & sine caritate seu bonis operibus in statu justificationis, sola tamen sit in primo justificationis actu. Unde & Formula Concordiæ *artic. 3. antithesi 11.* tanquam falsum dogma rejicit, si quis dicat, sine bonorum operum præsentia hominem justificari non posse, qua de re plura in Synopsi Maxime Reverendi Dn. D. Samuelis Schelguigii *art. 20. qv. 20.* videantur.

XVIII. Bona tamen opera facienda, & mala vitanda esse Barnabas suis lectoribus inculcat *c. 18. & seqq.* ubi duplicem viam, unam lucis, cui bonos angelos, alteram tenebrarum, cui Satanæ angelos præpositos esse dicit, exponit, qua occasione plurima, quæ christianis vel agenda vel omittenda sunt, recenset. Docet igitur diligendum Creatorem, glorificandum Redemptorem, non adhærendum esse in via mortis ambulantibus, odio habendam simulationem, humilitati studendum, consilium malum adversus proximum non capiendum, a fornicatione & mæchia abstinendum, in corripiendo proximo personam non accipiendam, nomen Dei in vanum non esse assumendum, non interficiendum esse fœtum, sive abortum procurando, sive partum occidendo, liberorum castigationem

nem non eſſe omittendam, res proximi non concupiſcendas, inconſtantiæ & duplicis linguæ vitium vitandum, ſubjectionem Domino in reverentia & timore exhibendam, linguæ præcipitantiam eſſe cohibendam, manus non eſſe porrigendas ad accipiendum, & ad dandum occludendas, verbi præcones tanquam oculi pupillam diligendos, judicium extremum memoria nunquam excutiendum. Cum autem inter alia dicit: *ἐκζητήσεις καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὰ πρόσωπα τῶν ἁγίων, exquire quotidie vultum Sanctorum*, quæ verba c. 19. leguntur, non vult Sanctos invocari, quem ſenſum Menardus in indice verborum & rerum p. 243. ex his Barnabæ verbis exſculpit, ſed potius hoc præceptum eo tendit, ut Sanctorum vultus in Dei verbo quotidie exquirant, quo eorum virtutes imitari poſſint. Ita enim Barnabas ſemetipſum explicat, cum in verbis immediate ſequentibus jubet, ut ſanctos in verbo ſpeculemur.

XIX. In eodem capite Barnabas dicit: *διὰ τῶν χειρῶν σου ἐργάσῃ εἰς λύτρωσιν τῶν ἁμαρτιῶν σου, manibus tuis operaberis ad redemtionem peccatorum tuorum.* Quæ verba Menardus pag. 218. ita interpretatur, quaſi opera manuum valeant ad redemtionem peccatorum noſtrorum, ſi ex operis proventu demus neceſſitatem indigenti, quod Apoſtolus præcepit Eph. IV, 28. Et hanc ſententiam Menardus quodammodo ex apoſtolicis conſtitutionibus *libr. 7. c. 13.* confirmare potuiſſet, ubi legitur: *ſi habes manibus tuis præbe, ut opereris in redemtionem peccatorum tuorum.* Quæ verba cum Barnabæ verbis admodum conformia ſint, miror Franci-

ciſcum Turrianum pro antiquitate conſtitutionum apoſtolicarum tot Patres allegantem, hunc Barnabæ locum tam in latina quam græca conſtitutionum ſuarum apoſtolicarum editione omiſiſſe, etſi Barnabam hæc verba ex conſtitutionibus apoſtolicis mutuatum obtendere potuiſſet. Sane ſi quis librum 7. conſtitutionum, in quo de duplici via una vitæ altera mortis agitur, cum poſteriori parte epiſtolæ Barnabæ conferat, in qua & ipſe duplicem viam unam lucis tenebrarum alteram proponit, magnam utrobique conformitatem deprehendet. Et quamvis Turriano vivente Barnabæ epiſtola in lucem non prodierit, græcum tamen illius epiſtolæ apographum inter ejus ſchedas reperit Jacobus Sirmondus, qui illud Hugoni Menardo communicavit. Verum ſi Turrianus ſuam de conſtitutionibus apoſtolicis ſententiam Barnabæ autoritate ſtabilire conatus fuiſſet, parata fuiſſet reſponſio, quam dedimus in diſſertatione de Pſeudepigraphis apoſtolicis *cap. 12. th. 15.* Ipſam autem Barnabæ ſententiam quantum attinet, non de eleemoſyna loquitur Barnabas, quam jam in præcedentibus verbis commendaverat, ſed de labore manuum, quo peccata redimuntur, non quod remiſſionem peccatorum labore mereamur, ſed quatenus varia peccata & vitia, quæ ex otio naſcuntur, per laborem evitantur.

XX. Abrahamum primum fuiſſe circumciſum aſſerit Barnabas c. 9. Quæ Barnabæ ſententia dubio procul verior eſt, quam Herodoti *in Euterp.* & Diodori Siculi *libr. 1. c. 2.* qui referunt, quod circumciſio ab

T Ægy-

Ægyptiis ad Judæos manaverit. Etſi vero Menardus *in not. p. 151.* a nemine chriſtiano id aſſertum iri arbitretur, non defuerunt tamen quidam inter chriſtianos, qui illam gentilium Scriptorum ſententiam probarunt. Nam non alienus eſt ab hac ſententia Johannes Marshamus Eques Anglus *in canon. chron. ſect. 5. pag. 74. & 75.* & prolixius hanc ſententiam defendit Johannes Spencerus *lib. I de leg. Hebr. ritual. c. 4. ſect. 4. p. 47. ſeq.* etſi proteſtetur, ſe tantum utriusque partis argumenta, eorumque ſolutiones inter ſe contuliſſe, & lectori potius judicium relinquere, quam ſibimet ipſi judicis partes arrogare voluiſſe. Inter argumenta, quibus aſtrui ſolet, quod Ægyptii potius ab Hebræis, quam Hebræi ab Ægyptiis ritum circumciſionis acceperint, illud a Spencero relatum non video, quo Theodoretus *qu. 3. ad Exod.* utitur, ubi aſſerit, quod filia Pharaonis Moſen ex flumine a ſe extractum puerulum Hebræum eſſe ex circumciſionis ſigno cognoverit. Quo argumento etiam Theodoretus utitur *in tract. de græc. affect. curatione ſerm. 1. p. 6.* Nec diſplicet illud Dannhauero *myſteriosophia p. 194.* Etſi enim etiam Ægyptii juxta nonnullos circumciſi illo tempore fuerint, tamen anno demum ætatis ſuæ decimo quarto circumciſi fuerunt, ſi vera ſunt quæ ſcribit Ambroſius *de Abrah. libr. 2. cap. 11.* quemadmodum & Arabes juxta Origenem apud Euſebium *de præpar. evangel. libr. 6. cap. 11.* anno 13. vel juxta Joſephum *lib. I. antiquit. c. 13.* poſt annum 13. circumciſi fuerunt, etſi Procopius ad Gen. I, 14. Iſmaelitas Sacerdotes decimo anno circumciſos memoret, quem locum Cotelerius *in not. ad Clementis recognit. lib. 9. c. 28. p. 578.*

cor-

corruptum suspicatur. Suspicatur enim literam γ, quæ tertii numeri nota est, vetustate detritam, & tantum literam ι, quæ denarii nota est, relictam fuisse. Quam conjecturam Cotelerii falsam esse ostendit codex Procopii MSCtus Augustanus, cujus apographum quod oculis usurpare potui, debeo humanitati Collegæ Honoratissimi Dn. L. Godofredi Olearii, qui codicem illum jam pridem nitidissime descripsit, & editioni paratum mihi perlustrandum benevole concessit. In illo autem codice legitur, quod Ismaelitæ Sacerdotes δεκαέτεις, seu decennes circumcisi fuerint. Omisit quoque Spencerus argumentum, quod contra ipsius sententiam depromi potest ex Genes. X, 13. 14. ubi Philistæi inter posteros Mizrajim recensentur. Si enim posteri Mizrajim seu Ægyptii circumcisione antiquitus usi fuissent, dubio procul etiam Philistæi ab Ægyptiis orti eandem usurpassent, cum tamen Philistæos circumcisione minime usos fuisse constet. Non minus a Spencero inter argumenta, quæ circumcisionis originem ad Abrahami tempora referendam esse probant, omissum deprehendo, quod Act. VII, 8. fœdus circumcisionis Abrahamo datum dicitur, & Joh. VII, 22. circumcisionis origo Patribus adscribitur, & Judæi, quando gentilibus contradistinguuntur, a circumcisione describi solent. Hæc autem argumenta cum Spencerus ne adduxerit quidem, nedum solverit, & ad ea quoque quæ adduxit, solidas rationes non addiderit, Johanni Spencero hic præferimus Gulielmum Spencerum, cui *in notis ad libros Origenis contra Celsum pag. 16.* Ægyptios & alios quosdam gentiles ab Hebræis circumcisionis ritum mu-

mutuatos esse probabile videtur. Conferantur etiam de hac quæstione Montacutius *Orig. ecclesiast. sect. 5. th. 32.* Leo Allatius *not. ad Eustathii hexaemeron p. 268.* Grotius *lib. 1. de verit. relig. christ. sect. 16. not. 68.* Huetius *demonstrat. evangel. propos. 4. c. 11. p. 126.* & *not. ad Origen. p. 13.* Basnagius *exercit. hist. crit. pag. 117. seqv.* ubi inter alia notat, probabile non videri, quod vel Abrahamum invisæ gentis imitandæ libido invaserit, vel Deus in sacramenti hujus institutione ritum aliquem ab idololatris arcessere voluerit.

XXI. Baptismum afferre remissionem peccatorum asserit Barnabas c. 11. quod contra omnes baptismi efficaciam negantes observamus, quos inter Reformati, & in his Hermannus Witsius *dodec. exercitat. acad. exerc. 9.* qui statuit baptismum non electis collatum nullam plane gratiam sive conferre sive obsignare, quemadmodum cera eleganti charactere insignita nullius plane valoris est, si appendatur chartæ, cui nihil vel inscriptum, vel inscribendum, aut si appendatur chartæ vegrandibus maculis fœdatæ, nec aptæ ut illi aliquid inscribi valeat. Electos autem quantum attinet, in iis per baptismum bona gratiosi fœderis, & inter illa remissionem peccatorum tantum obsignari censet. Cum autem aliqui ex Reformatis de baptismi efficacia aliter sentiant, & communiori fratrum suorum sententiæ, quæ baptismo omnem efficaciam denegat, nonnulla non solum Scripturæ, sed etiam Patrum dicta opponant, ad Patrum dicta Witsius respondet, fatendo sermonem illorum plerumque ita tinnire, quasi gratiæ & salutis collationem ba-

baptiſmo adſcripſerint, verum illorum hallucinationes & nævos cæteris eorum virtutibus condonari debere, nec diſſimulari poſſe, eos etiam in rebus maximi momenti nonnunquam phraſibus uti minime ferendis, niſi benigna interpretatione molliantur, imprimis vero eos in doctrina de ſacramentis luxuriare, ideoque tutius eſſe, ut Scripturæ ſimplicitati inhæreamus, quam rhetoricis Patrum amplificationibus tanquam torrente aliquo abripiamur. Utinam vero Witſius Scripturæ ſimplicitati potius, quam falſis Reformatæ religionis hypotheſibus inhæſiſſet! Id enim ſi feciſſet, de baptiſmi efficacia longe alia docuiſſet, neque negaſſet baptiſmum remiſſionem peccatorum operari, quod Barnabas noſter ſine omni rhetorica amplificatione loco allegato aſſerit.

XXII. Infantes melle primum & deinde lacte ad vitam ſuſtentari ſcribit Barnabas c. 6. Adducit hoc dictum Claudius Salmaſius in libro de transſubſtantiatione contra Juſtum Pacium *p. 495.* ubi hoc Barnabæ dictum parallelis Aetii, Pauli Æginetæ, & Oribaſii ſententiis confirmat. Statuit autem ibidem, quod etiam ſacra euchariſtia in melle & lacte infantibus recens natis data fuerit. Ac primum quidem duobus prioribus ſeculis neminem baptiſmo initiatum fuiſſe cenſet, niſi qui doctrina chriſtiana prius imbutus ſe credere teſtari poſſet. Deinde his catechumenis poſt baptiſmum ſtatim euchariſtiam datam fuiſſe obſervat. Poſtea opinionem invaluiſſe dicit, quod nemo niſi baptizatus ſalvari poſſit, ideoque conſvetudinem infantibus baptiſmum conferendi natam eſſe, & quia

T 3 ad-

adultis statim post baptismum eucharistia dabatur, hunc morem post pædobaptismi introductionem etiam in infantibus observatum fuisse, ita tamen, ut cum tenelli infantes in pane & vino communionem accipere non possent, loco panis mel, loco vini lac acciperent. Successu autem temporis, cum opinio de necessitate infantibus eucharistiam conferendi non amplius obtinuit, nihilominus tamen hanc consvetudinem retentam fuisse dicit, ut baptizatis infantibus & e lavacro egressis lac cum melle daretur, non amplius tanquam eucharistiæ sacramentum, sed ut indifferens quædam cerimonia baptismo addita, atque hinc etiam institutum fuisse, ut mel & lac in altari quidem, nec tamen eadem consecratione qua panis & vinum sacramentale, sed speciali quadam & distincta consecratione benedicerentur. Sic enim canonem ecclesiæ Africanæ explicandum esse censet. Verum in hoc Salmasii discursu multa sunt falsissima. Falsissimum est, quod duobus prioribus seculis baptismus non nisi adultis collatus fuerit, etsi Salmasius in illa sententia quosdam alios eruditos sibi assentientes habeat nominatos a Colomesio *observat. sacr. p. 130.* quibus præter alios addi potest Nicolaus Rigaltius *in not. ad epistol. Cypriani 59.* ut & *in notis ad Cypriani tractatum de lapsis*, quem eo nomine castigavit Episcopus Oxoniensis *in notis ad eundem Cypriani tractatum p. 125.* Deinde etiam probari non poterit, quod in eucharistia infantum loco panis & vini lac & mel adhibitum fuerit. Contrarium svadet exemplum puellæ, quam Cyprianus in tractatu de lapsis ex eodem calice, qui adultis porrectus est, bibisse

ſe memorat. Regerit quidem Salmaſius, puellam illam natu grandiorem fuiſſe. Verum reclamant circumſtantiæ a Cypriano memoratæ. Fuit enim ſub alimento nutricis, & per ætatem neque comedere, neque fari potuit. Eſto autem puellam hanc natu grandiorem fuiſſe, unde quæſo Salmaſius probare poterit, infantibus recens natis eucharistiam in melle & lacte datam fuiſſe? Nullum ſane, quo id probaverit, argumentum in toto ejus diſcurſu video. Id quidem conſtat ſucceſſu temporis ad baptiſmi ritus acceſſiſſe lactis & mellis concordiam, quam baptizatos prægustaſſe Tertullianus *de coron. mil. c. 3.* aſſerit, cujus cerimoniæ etiam Tertullianus *libr. I. contra Marcion. c. 14.* & Hieronymus adverſus Luciferianos meminit. Et ad hunc ritum etiam Barnabam in ſua epiſtola loco allegato reſpexiſſe Jſaacus Voſſius olim exiſtimavit, qui tamen in notis ad epiſtolam Barnabæ p. 312. hanc ſententiam a ſe retractatam teſtatur, cum ſimpliciter Barnabas de conſvetudine veterum etiam gentilium loquatur, qui infantes primum melle, deinde vero lacte nutriebant. Sed de melle & lacte ad euchariſtiam adhibito altum eſt in antiquitate ſilentium. Neque enim ſequitur: Patres Africani decreverunt, lac & mel non ſimul cum pane & vino ſed ſeorſim ſolenni die conſecrandum eſſe, ergo antea non ſolum ſimul cum pane & vino conſecrata, ſed etiam infantibus loco panis & vini euchariſtici data ſunt. Et quamvis Zonaras in notis ad illum canonem, qui eſt apud Zonaram canon 40. concilii Carthaginenſis referat, nonnullos τὸ τῶν νηπίων myſterium in illo canone ita explicaſſe, qua-

quasi mel & lac sacrorum mysteriorum loco infantibus data fuerint, ipse tamen Zonaras se illam sententiam non probare testatur. Revera autem in illo canone sub infantum nomine non tam infantes ætate intelliguntur, quam christiani neophyti, seu recens baptizati, qui ex 1. Pet. 2. quasimodogeniti infantes appellari solebant, & post baptismum mellis & lactis societate infantabantur, ut cum Tertulliano loquar. Unde paschalis festivitatis tempore, quod solenni baptismo destinatum erat, mel & lac in altari offerri solebant, & cum nonnulli imperiti hoc mel & lac simul cum pane & vino consecrarent, ne id amplius fieret, Africani Patres hoc canone præcavere voluerunt. Confer quæ de hoc canone observarunt Bona *libr. 2. rer. liturg. c. 8.* Schelstratenus in ecclesia Africana *p. 203.* Zegerus Bernardus von Espen *in tract. hist. Canon. p. 148.*

XXIII. De Sabbatho agens Barnabas c. 15. postquam in sex diebus omnia a Deo consummata, & Deum in septima die requievisse dixerat, subjicit in sex millibus annorum omnia consummatum iri, cum juxta Scripturam una dies mille annis æquiparetur. Quietem autem diei septimæ ita explicat, quod Filius Dei sit adventurus, impios judicaturus, solem & stellas mutaturus, ut recepta justa promissione, deleta iniquitate, & omnibus novatis diem sanctum ipsi sancti effecti celebrare possimus. Octavus autem dies ipsi est initium alterius mundi, unde etiam christianis diem octavum in lætitia peragi dicit, in qua Jesus resurrexit a mortuis & discipulis apparuit, antequam cœlos ascenderet. Et Bernardus quidem in scholiis ad Barnabæ epistolam

sex

ſex mille annos, quorum Barnabas meminit, non usque ad finem mundi, ſed tantum usque ad evangelii tempora extendendos eſſe putat. Verum ſi hæc Barnabæ ſententia fuiſſet, non dixiſſet conſummationem in ſex mille annis adhuc futuram eſſe, ſed potius conſummationem in ſex mille annis jam factam eſſe, quia Barnabæ ævo evangelii tempora jam cœperant. Neque ea quæ poſt ſex annorum millenarios die ſeptima expectanda memorat Barnabas, temporibus evangelii conveniunt. Rectius ergo ſeptima illa dies, quam Barnabas memorat, de die extremi judicii explicatur. Nec opus eſt, ut Barnabam per ſeptimam illam diem regnum Chiliaſticum ſignificaſſe dicamus, etſi Peterſenius *in nube teſtium libr. 2. p. 58.* per quietem ſeptimæ diei millennem felicitatem, qua Sancti cum Chriſto regnantes perfruentur, intelligat, qua ratione etiam Paulus Pezronius *antiquit. temp. ſtabil. & defenſ. c. 15.* verba Barnabæ explicaſſe videtur. Verum Barnabam huic ſententiæ addictum fuiſſe firmiter demonſtrari non poteſt. Quamobrem Peterſenianæ explicationi Menandrianam præfero, juxta quam Barnabas per ſeptimum diem noviſſimum hujus ſeculi diem intellexit, cui ſucceſſurus octavus ſeu æternæ felicitatis. Alias etiam quidam veteres, qui de mundi ætatibus agunt, per ſeptimum diem, beatarum mentium requiem intellexerunt, quæ poſitis corporis exuviis beatam corporis reſurrectionem expectant, qua ratione Beda in commentario ad Pſal. 89. qui in fontibus eſt 90. *Tom. 8. oper. p. 920.* ſex ætates hujus ſeculi eſſe dicit, ſeptimam dormientium ſeu illorum, qui expectant octavam reſurgentium. A qua ſenten-

U tia

tia etiam non alienus fuisse videtur Gregorius M. sive autor libri Sacramentorum, quem sub Gregorii M. nomine Hugo Menardus edidit. Nam p. 13. 1. Cal. Januar. seu in octavis Dominicæ Nativitatis habetur benedictio, cujus hæc sunt ultima verba: *quo sic in senarii numeri perfectione, in hoc seculo vivatis, & in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescatis, quatenus in octavo resurrectione renovati jubelæi remissione ditati ad gaudia sine fine mansura perveniatis Amen.* Ubi tamen per senarium non sex mundi ætates, sed vitæ humanæ spatium intelligi videtur. Plura de hoc Barnabæ loco videri poterunt apud Stephanum le Moine *not. ad var. sacr. p. 848. & seqq.* & Johannem Baptistam Cotelerium *not. ad Barnabæ epist. p. 44.* ubi, postquam varios autores, qui cum Barnaba sex annorum chiliadas durationi mundi assignarunt, recensuit, a quibusdam annos quingentos additos fuisse, quin etiam nonnullos rerum finem ad septem millia annorum produxisse memorat, & præterea vanitatem eorum, qui mundo certum temporis terminum figere ausi sunt, exemplis nonnullis demonstrat, & ex codicibus quibusdam MSCtis bibliothecæ Regiæ hariolationes quasdam de consummatione mundi producit. Quemadmodum autem Barnabæ sententia de sex mundi chiliadibus incerto fundamento nititur: ita etiam ejus opinio de mutatione Solis & stellarum in die judicii cum S. Scriptura, quæ non mutationem sed totalem cœli interitum tradit, male congruit. Si autem non de die universalis judicii, sed de tempore chiliasmi loquitur, etiam hoc cæteris ejus nævis & erroribus annumerandum erit.

CA-

CAPITIS III. SECTIO III.

De

Doctrina Hermæ.

I.

VIsionum charisma in Apostolorum discipulis viguisse Hermæ exemplo probat Dodwellus *dissert. 4. Cyprianica thes. 1.* cum primus Hermæ liber totus visionibus constet, & in secundo quoque libro de Prophetarum Spirituumque verorum & falsorum discrimine ex instituto agatur. Atque hinc idem Dodwellus *dissert. ad Irenæum p. 120.* libro Hermæ tanquam Prophetæ visionum charismate instructi, fidem humana majorem tribuendam esse censet. At Blondellus *in apologia sententiæ Hieronymi de Episcopis & Presbyteris pag. 16.* Hermæ visiones larvati Prophetæ somnia appellat. Et quamvis hoc Blondelli judicium Hermæ fautores improbent, ejusque visiones sannis excipi, aut cerebro minus sano imputari nolint, omnino tamen eos errare existimamus, qui visiones ab Herma narratas vere ipsi obtigisse contendunt. Certe Angelus Hermæ apparens ea nonnunquam loquitur, quæ Angelo lucis minus conveniunt, & quæ larvati Prophetæ somniis quam divinis visionibus similiora sunt. Sed ipsum Hermam audiamus, & qualis doctrina tribus ejus libris contineatur, videamus.

II. Sub finem secundæ visionis anus ecclesiam repræsentans ad Hermam dicit: *scribes duos libros, & mittes unum Clementi, & unum Graptæ. Mittet autem Clemens ad exteras civitates, Grapte commonebit viduas & orphanos. Tu autem leges in hac civitate cum Senioribus.* Hæc verba ex Herma allegat Origenes *libr. 4. de principiis c. 2.* eademque a Basilio & Nazianzeno in philocaliam Origenis translata sunt, ubi græce extant *c. 1. pag. 22.* Et Origenes quidem verba illa allegorice interpretans varios Scripturæ sensus esse inde elicit. Nam per Grapten intelligit literam Scripturæ, quam informare dicit orphanos, h. e. illos, qui mente sunt pueri, & Deum Patrem nondum habere meruerunt, & viduas h. e. animas Christo sponso nondum dignas. Per Clementem intelligit eum, qui jam e Scripturæ litera excessit. Hic mittit librum ad exteras civitates, i. e. mentes extra corporis molem & infimarum rerum cogitationem positas. Per ipsum denique Hermam, qui libellos cum Senioribus legere debebat, Origenes intelligit discipulum Spiritus, qui quæ a Spiritu didicit, non per literam, sed per vivum sermonem annunciat Presbyteris, h. e. illis, qui maturum prudentiæ sensum pro capacitate doctrinæ spiritualis gerunt. Verum hæc explicatio non tam ad Hermæ, quam ad Origenis doctrinam pertinet, cum ipse Hermas hanc visionem non exposuerit.

III. In eadem visione 2. cap. 3. dicitur: *prope esse Dominum convertentibus se ad eum, sicut scriptum est in Heldan & Modal, qui vaticinati sunt in solitudine populo.* Heldan autem & Modal hic vocantur, qui

Num.

Num. XI, 26. 27. Eldad & Medad appellantur. Nam ſub horum nomine impoſtor quidam librum aliquem apocryphum conſcripſit, qui hic ab Herma allegatur, & cujus etiam mentio occurrit apud Athanaſium in ſynopſi Scripturæ *p. 154.* Nicephorum Conſtantinopolitanum in ſtichometria, quæ chronographiæ compendiariæ adjecta eſt *p. 420.* & Anaſtaſium Bibliothecarium ad finem hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ubi Nicephori ſtichometria latine exhibetur p. 195. Conferantur, quæ de libro hoc apocrypho Eldad & Medad notavit Sixtus Senenſis *libr. 2. biblioth. S. p. 64.* Lambecius *prodrom. hiſtor. liter. p. 153.* Scipio Sgambatus *Archivor. V. T. libr. 2. titul. 14. p. 158.* Nomina autem illa Eldad & Medad varie a Scriptoribus antiquis exprimuntur. In græca LXX. Interpretum verſione Ἐλδὰδ καὶ Μωδὰδ, apud Dionyſium Alexandrinum in reſponſione ad quæſtiones Pauli Samoſateni *quæſt. 4.* Ἀλδᾶς καὶ Μωσᾶς, in Nicephori ſtichometria Ἐδὰδ καὶ Μωδὰδ, apud alios Ἐλδὰμ καὶ Μωδὰμ nominantur, ut notavit Cotelerius ad Hermam, ubi etiam, quid Hieronymus in traditionibus hebraicis ad primum paralipomenon librum de his tradiderit, memoratur. Nullus autem Patrum, quod ſciam, præter Hermam fragmentum aliquod ex libro illo apocrypho produxit.

IV. Libro 2. Hermæ mandat. 1. dicitur: *primum omnium crede, quod unus eſt Deus, qui omnia creavit & conſummavit ex nihilo.* Hoc Hermæ dictum ab Irenæo fuiſſe allegatum teſtatur Euſebius *libr. 5. hiſt. eccleſ. c. 8.* ubi verba Hermæ ex Irenæo græce ita allegantur: πρῶτον πάντων πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστιν Θεὸς τὰ πάν-

τα κτίσας καὶ καταρτίσας. Et hodie quidem iſta verba apud Irenæum non amplius legi aſſerunt Magdeburgenſes *cent. 2. p. 72.* Verum eos hic erraſſe deprehendet quisquis Irenæum *libr. 4. adv. hæreſ. c. 37.* evolverit. Idem Hermæ dictum allegat Athanaſius *de incarnatione Verbi Tom. I. p. 55. edit. Lipſ. ubi græce his verbis exprimitur* πρῶτον πίστευσον, ὅτι εἷς ἐστιν ὁ Θεὸς ὁ τὰ πάντα κτίσας καὶ καταρτίσας, καὶ ποιήσας ἐκ τῶν μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι, *primo crede unum eſſe Deum, qui condidit omnia & abſolvit, fecitque ea, quæ non erant, ut eſſent.* Patet autem ex Athanaſio *de decret. Synod. Nic. Tom. 1. p. 266.* etiam Arianis hoc Hermæ dictum non incognitum fuiſſe, qui eo contra Filii divinitatem abuſi ſunt ſic argumentantes: ſi Deus omnia ἐκ τῶν μὴ ὄντων creavit, etiam Filius ex nihilo creatus erit. Quibus reſpondet Athanaſius, librum Hermæ, ex quo dictum hoc allegatur, non eſſe in canone, nec loqui de Filio, ſed de rebus omnibus a Deo per Filium creatis, a quibus ipſe tantum diverſus eſt, quantum architectus ab ædificio. Idem Athanaſius *in epiſtola ad Africanos Tom. I. p. 936.* refert, Euſebianos allegaſſe, quod in Paſtore ſcriptum eſt: *ante omnia crede unum Deum eſſe, qui omnia condidit & conſummavit, & fecit, ut ex non exiſtentibus exiſterent,* ſed Epiſcopos orthodoxos vafritie illorum intellecta Filium ex Dei ſubſtantia genitum demonſtraſſe. Quem Athanaſii locum repetit Theodoretus *lib. I. hiſt. eccleſ. c. 8.* Abutuntur vero & novi Ariani hoc Hermæ dicto, ex unitate Dei rerum omnium Creatoris colligentes ſolum Patrem eſſe verum Deum, ut patet ex Zwickero *in append. irenicomaſt. iterum victi p. 330.* Ve-

rum

rum ab unitate divinæ eſſentiæ ad unitatem divinæ perſonæ non valet conſequentia. Nec juvat Zwickerum, quod in nonnullis Hermæ editionibus addantur verba: *ſolus immenſus, qui nec mente definiri, nec verbo concipi poteſt.* Nam ab immenſitate ſolius Dei ad immenſitatem ſolius Patris non valet conſequentia.

V. Tres in una Deitate perſonas agnoviſſe Hermam probat Petavius *in præfat. ad Tom. II. dogmat. theol. c. 2. th. 6.* Deum enim Patrem profitetur Hermas in loco, quem theſi proxime antecedente adduximus. De Filio dicit *libr. III. ſimilitud. 5.* quod in ſervili conditione non ponatur, ſed in magna poteſtate & imperio. Et *in ſimilitud. 9.* ait, quod omni creaturæ ſit antiquior, ita ut in conſilio Patri ſuo adfuerit ad condendam creaturam. Qua deſcriptione divinitatis notam contineri dubium non eſt. In eadem vero ſimilitudine etiam Spiritus S. meminit, quem habitare in hominibus eique corpora noſtra ſervire dicit, quo argumento non raro veteres Spiritus S. divinitatem comprobare ſolent.

VI. Contrarium tamen de Herma *ex lib. III. ſimil. 5.* poſſe colligi videtur. Cum enim Hermas ſimilitudinem de vinea, quam ex ore Angeli Paſtoris audierat, ſibi explicari deſideraret, reſponſum accipiebat, quod per Dominum vineæ rerum omnium creator, per Filium Domini Spiritus S., & per ſervum illius Domini Filius Dei intelligatur. Ad quæ verba Oxonienſis editio notat, quod Paſtor pœnitentiæ nuncius, cum

cum per vinitorem Christum designasset, & Deum Patrem fundi Dominum & villæ possessorem statuisset, tertio loco Spiritum S. filii familias personam sustinere commode dixerit, cum etiam sacræ literæ in negotio regiminis ecclesiæ promiscue Filii & Spiritus S. nominibus utantur, Matth. XXVIII, 20. & Joh. XIV, 16. Verum ista Scripturæ dicta ad excusandum Hermam nihil faciunt, neque Filii & Spiritus S. nomina promiscue usurpant. Rectius igitur Varenius *in rationar. seculi I. p. 86.* hanc parabolæ illius explicationem non minus improbat, quam cætera aliena, involuta, & fidei minus analoga, quæ in illa parabola occurrunt. Et Ludovicus quoque Thomasinus, cum *Tom. III. dogm. Theolog. tract. 2. de Trinit. cap. 44.* Patrum Nicæno concilio antiquiorum orthodoxam de Trinitate sententiam probare satagit, ab Hermæ testimoniis abstinet, & sibi neque Scriptoris autoritatem, neque ipsum scriptionis textum sibi constare asserit *thes. 8. p. 389.* Addimus e Socinianis Przipcovium, qui in animadversionibus apologeticis pro Zwickeri irenico irenicorum contra Comenium scriptis *p. 504.* nugacitatem Hermæ, asserentis Spiritum S. esse Filium Dei, Christum autem esse servum Spiritus S. indignam esse, quæ vel defendatur vel refellatur.

VII. Si quid tamen pro Herma dicendum, optimum dictu fuerit, quod Hermas non tertiam Trinitatis personam, sed Filium Dei ratione divinitatis Spiritum S. dixerit. Nam antiquis Scriptoribus non inusitatum, sed admodum familiare fuit sub Spiritus S. nomine Filii divinitatem intelligere, quod pluribus exem-

exemplis probant Grotius *ad Marc. II, 8.* Bullus *in defensione fidei Nic. p. 39.* Benedictini Monachi e congregatione S. Mauri *præfat. ad Hilarium thes. 58. & seq.* Nec sequentia Hermæ verba ab hac interpretatione aliena sunt, ut ostendit Comenius *admonit. de irenico irenicorum p. 100. & 101.* Nec obstant argumenta, quæ Zwickerus in nova confirmatione sui irenici *p. 249. & seq.* huic sententiæ opponit. Objicit ex hac sententia sequi hoc absurdum, quod Christus sibimet ipsi servierit & obediverit, cum Hermas scribat, Filium Dei Spiritui S. paruisse, sed responderi potest, Hermam duas in Christo naturas distinguere, humanam, quam corpus appellat, & divinam, quam Spiritum S. nominat, & quando corpus Spiritui S. obedivisse scribit, nihil aliud significare velle, quam quod humana voluntas Christi divinæ subjecta & subordinata fuerit. Objicit ulterius, si Hermas per Spiritum S. divinam Christi naturam intellexit, sequi, quod Hermas non Trinitatem, sed Binitatem tantum agnoverit. Sed respondemus, Hermam quidem in illo loco duarum tantum personarum meminisse, nullatenus tamen sequi, quod tertiam Trinitatis personam non agnoverit. Nam in similitudine 9. cum de variis donis & gratiis Spiritus S. locutus fuisset, subjicit, eos qui Deo per Filium ejus credunt, Spiritu hoc indui. Tertia & quarta objectio inde deprompta est, quod Hermas de ejusmodi Spiritu loquatur, qui etiam hominibus communicatur, quod de divina Christi natura sine insania dici non posse arbitratur. Sed responderi potest, utique etiam homines, etsi alia ratione quam Christum, participes divinæ

naturæ fieri 2. Pet. I, 4. & intima communione cum Filio ejusque Patre conjungi. Postremo Zwickerus addit, si Hermas in eo erraverit, quod Spiritum S. Filium Dei appellavit, leve hoc erratum esse, cum & alii Patres Spiritum S. hoc est juxta Zwickeri explicationem, virtutem aliquam a Deo prodeuntem & alios docentem, Filium Dei appellaverint. Verum illi Patres non tertiam Trinitatis personam Filium Dei appellarunt, sed per Spiritum S. divinam Christi naturam intellexerunt, ut patet ex testimoniis Cypriani a Zwickero adductis, qui ridicule Cypriani loca ex Erasmi versione allegat, quasi Cyprianus ab Erasmo in latinam linguam translatus fuerit.

VIII. Vtitur Zvvickerus & hoc argumento contra Christi divinitatem, quod Hermas nonnunquam Filium Dei a Deo distinguat, cum e. g. *9. similit.* asserit, per Filium Dei patere accessum ad Deum, & per eum tanquam portam ad Deum intrari. Verum distinctione personarum unitatem essentiæ non tolli, Scriptura nos docet, neque Hermas Christum tanquam unicam salutis portam introducere potuisset, nisi verum Deum credidisset. Aliis quibusdam Hermæ dictis Christi deitatem impugnat Sandius *in nucleo hist. eccles. p. 55.* Verum cum illa veteres Ariani non protulerint, colligi potest, quod vel illa ætate in Hermæ libro nondum lecta, sed postea demum Hermæ libro inserta fuerint, vel etiam ita comparata sint, ut nihil præsidii in illis veteres Ariani invenerint. Facit autem contra Arianos, quod Hermas *similit. 5.* dicat, Christum

ſtum eſſe *Dominum populi ſui, accepta a Patre omni poteſtate.* Adverſus quæ Zvvickerus in irenico irenicorum *p. 19. ſeq.* nec non in duabus irenici ſui apologiis, quarum priorem irenicomaſtigis perpetuo convicti & conſtricti, poſteriorem irenicomaſtigis iterato conſtricti & obmuteſcentis titulo inſignivit, illud imprimis excipit, quod Hermas loquatur de poteſtate, quam Chriſtus poſt mortem accepit, cum Chriſtus ante paſſionem & mortem ſuam omnem poteſtatem non habuerit, cujus aſſertionis gratia multa Scripturæ dicta peſſime pervertit. Verum etſi Chriſtus plenarium & perpetuum uſum divinæ poteſtatis ſecundum humanam naturam non ante accepit, quam per paſſiones ſuas in gloriam intravit, fieri tamen talis humanæ naturæ exaltatio non potuiſſet, niſi Chriſtus juxta divinam naturam omnem poteſtatem ab æterno habuiſſet, quam vi unionis perſonalis humanæ naturæ quoad poſſeſſionem in primo incarnationis momento communicatam fuiſſe negari non poteſt niſi ab iis, qui vel Scripturæ aperte contradicere, vel clariſſima Scripturæ dicta in alienum ſenſum torquere non verentur. Quod autem Hermas non ſolum poteſtatem Chriſto homini in tempore datam, ſed etiam æternam agnoverit, patet ex *ſimil. 9.* ubi Filium Dei omnibus creaturis antiquiorem ſtatuit. Quod teſtimonium, cum Zvvickerum valde torqueat, variis exceptionibus ab eo iterum torquetur. Nam *in irenico p. 21.* incertum eſſe dicit, an Hermas ibi de Chriſto locutus fuerit. Atqui Hermas, ut ſequentia verba indicant, de illo Filio Dei loquitur, qui in noviſſimis diebus apparuit, ut qui ſalu-

tem assecuturi sunt per eum in Dei regnum intrent. Excipit *in irenicomastige priori p. 260.* verba Hermæ ita intelligi posse, quod Christus sit antiquior creaturis respectu Spiritus S. in eo habitantis. Sed Hoornbeckius *proleg. ad Tom. II. Socinismi proflig. p. 32.* recte regerit, hac ratione quemlibet fidelem omnibus creaturis antiquiorem dici posse. Excipit p. 265. Christum antiquiorem creaturis dici ratione decreti, sicut Hermas sub finem *visionis 2.* ecclesiam primo creatam dicat, cum primo decreta & ita prædestinata fuerit, ut propter eam mundus crearetur. Verum hac ratione omnes homines creaturis reliquis antiquiores dici possent, cum Deus propter homines mundum creare decreverit. Verum cum ipsum Zvvickerum latere non potuerit, exceptiones suas contra clarissima Hermæ verba consistere non posse, in utroque irenicomastige hoc imprimis urget, quod Hermæ verba de præexistentia Filii ante creaturas a Sciolo quodam addita fuerint, & supposititia videantur. Verum id facilius dici, quam probari potest. Quæ Lucas Mellierus contra Bullum de Christi deitate ex Herma disputat, confutavit Grabius *in notis ad Bulli defensionem fid. Nic. p. 24. & 46.*

IX. Quædam Spiritu S. minus digna ab Herma dici Gerhardus *in Patrologia sua* asserit *pag. 6.* Exempli loco producit Sandius *in nucleo p. 55.* quod Hermas in similit. 9. dicat: *non cum vult loqui Spiritum cum homine, sed tunc loqui cum vult Deus.* Verum verba *cum vult* non ad Spiritum S. sed ad hominem referenda sunt, hoc modo: *Spiritus non loquitur cum homine, cum vult homo, sed tunc cum vult*

vult Deus. Zvvickerus *in appendice posterioris irenicomastigis p. 339.* contendit, Spiritum S. ex Hermæ sententia non esse personam Trinitatis, quia *similitudine 5.* introducit Deum cum Spiritu S. & Angelis consultantem, unde Zvvickerus colligit, Spiritum S. non esse ejusdem cum DEO essentiæ, quia alias in consilium a Deo vocari non posset. Verum etiam in Scriptura Deus Pater cum reliquis Personis divinis consultasse legitur. Interim verba Hermæ Deum cum Spiritu S. & Angelis consultantem introducentis minus congrua esse negari non potest, nec Hoornbeckius *in prolegom. Tom. II. Socinism. proflig. p. 31.* aliud habet, quod respondeat, quam quod non omnia, quæ Hermas in similitudinibus suis profert, ad vivum resecari, vel rigidius examinari debeant.

X. Duos esse cum quolibet homine genios, unum æquitatis alterum iniquitatis asserit Hermas *libr. 2. mandat. 6.* Quod Hermæ dictum allegat Origenes *libr. 3. de princip. c. 2. & homil. 35. in Lucam,* Cassianus *collat. 8. c. 17. & collat. 13. c. 12.* & ex Cassiano Antoninus *operis historici part. 2. titul. 15. c. 2.* In eadem sententia fuisse Barnabam, quod Origenes asserit, probari non potest. Interim non defuerunt inter Scriptores antiquos, qui istam Hermæ sententiam calculo suo approbarunt. Imprimis vero Origenes pluribus in locis hanc sententiam inculcat, quæ indicantur ab Huetio *not. ad Origenem p. 60.* Origenem secutus est præter Cassianum Gregorius Nyssenus *de vita Mosis p. 194.* Autor imperfecti operis in Matthæum *homil. 5.*

qui a malo angelo hominem impelli non posse addit, donec bonus angelus Deo dispensante recedat, seu potius invisibilem se malo angelo reddat, & hac visibilis suæ præsentiæ subtractione Diabolo tentandi licentiam relinquat. Antiochus quoque lauræ S. Sabæ monachus, dum integrum ferme Hermæ locum (etsi Herma haud nominato) repetit, *homil. 61.* sententiam ejus suam facit. Pro eadem sententia Petrus Lombardus *libr. 2. distinct. 11.* Gregorium allegat, sed in margine editionis Coloniensis A. 1566. notatur, verba illa non apud Gregorium, sed apud Hugonem a S. Victore legi. Potuit tamen Lombardus ad locum Gregorii Nysseni, quem superius allegavimus, respexisse. Neque hic tacendus Joh. Stephanus Durantes *libr. 2. de ritibus ecclesiast. c. 31. p. 286.* Conspirant ex gentilibus Empedocles apud Plutarchum *περὶ εὐθυμίας*, Plato *libr. 10. de legibus*, cujus verba adducit Theodoretus *sermon. 3. de curandis Graec. affect.* Euclides apud Censorinum *de natali c. 3.* Ad Judæorum consensum ex Mosis Majemonidis more nevochim provocat Maldonatus *ad Matth. c. 18.* Quin etiam hujus rei vestigium aliquod in Scriptura reperiri dicit, idque ex 2. Cor. XII. probare nititur, & præterea credibile esse dicit, quemadmodum Deus singulis hominibus bonum aliquem custodem angelum apponit, ita & Diabolum Dei simiam singulis hominibus malum aliquem angelum insidiatorem apponere. Præter Maldonatum ex recentioribus huic sententiæ favent Huetius *Origenianorum libr. 2. pag. 86.* Petavius *libr. 2. de Angelis c. 6. thes. 8. seqq.* Nourry *in apparatu p. 150.* ubi Hermam hoc dogma potius a viris apo-

apoſtolicis ſibi coævis quam a paganis accepiſſe ſtatuit. Cotelerius autem etſi Hermæ ſententiam a multis Patribus, tam illis quos ſupra allegavimus, quam Baſilio M. *ad Eſ. III, 12.* Chryſoſtomo *homil. 3. in epiſt. ad Coloſſ.* Procop. *ad Exod. IV, 27.* & aliis probari, & præterea Judæorum, Muhamedanorum & Gentilium ſuffragiis confirmari obſervaverit, Scripturæ tamen ſilentium, & contrariam aliorum Patrum, ut Optati Milevitani, Clementis Alexandrini & Hieronymi opinionem huic dogmati opponi poſſe non diſſimulat. Et Bellarminus *de Scriptor. Eccleſ. p. 47.* de Hermæ ſententia circa duos angelos cuique hominum præfectos vel defendenda vel excuſanda non laborat, ſed inter Hermæ errores illam collocat, quemadmodum & index expurgatorius Sandovallianus p. 100. ad illam Hermæ de duobus geniis ſententiam hæc verba margini adſcribi juſſit: *caute lege.* Sane locus Scripturæ a Maldonato allegatus huc non pertinet, nec credibile eſt, quod Diabolus ceu Dei ſimia cuique hominum angelum inſidiatorem appoſuerit, quemadmodum Deus cuique hominum angelum cuſtodem aſſignavit. Neutrum enim ex Scriptura probari poteſt. Videatur ex noſtris Gerhardus *diſput. iſag. 15. quæ eſt ſecunda de malis angelis c. 8. §. 9.* ex Reformatis Spanhemius *vindic. biblic. in Matth. libr. 3. loc. 10. theſ. 5. & 7.* ubi tamen notamus, falſum eſſe quod theſ. 5. aſſerit, nempe Huetium in Origenianis aſſeruiſſe, quod ſententia de duobus angelis unicuique hominum attributis parum probabilitatis habeat. Nam verba Huetii, ad quæ reſpicit Spanhemius, non pertinent ad ſententiam de duobus angelis cui-

cuique hominum præfectis, sed ad sententiam Origenis & Cassiani, cuilibet vitio peculiarem præsidem attributum esse definientium. Neque etiam ad Maldonati confutationem opus est, ut cum Spanhemio *in thes. 7.* per angelum Satanæ 2. Cor. XII, 7. instrumentum aliquod Satanæ intelligamus. Nihil enim obstat, quo minus per angelum Satanæ malum aliquem dæmonem intelligere possimus, quem tamen visibiliter Paulo astitisse, & subinde minas infligendi colaphi adhibuisse cum Vechnero in tractatu de palo Pauli minime arbitramur.

XI. Hieronymus *in commentario ad prophetiam Habacuci cap. I. v. 14.* Hermæ librum stultitiæ condemnandum esse censet, cum angelum quendam nomine Tyri reptilibus præesse scribat. Locus Hermæ ad quem Hieronymus respicit extat *libr. I. vis. 4. c. 2.* ubi Angelus ille non Tyrus, sed Hegrin appellatur. De qua voce Cotelerius *not. ad Chrysostomi homil. in Daniel. p. 218.* agens conjicit, quod Hermas angelum hunc ἐγρήγορον appellaverit, sed librarii successu temporis hanc vocem corruperint, & in Hegrin transmutaverint. Alibi nempe in notis ad Hermam Cotelerius suspicatur, quod vox hegrin ex nomine ἀγρίου nata sit, & non tam Angelum, quam bestiam angelo subjectam denotet. Idem Cotelerius ibidem, ut & in notis ad Hermam p. 83. Tyri vocem apud Hieronymum in loco allegato ex græca voce θηρίου, quæ bestiam notat, efformatam statuit, sive Hermas bestiæ nomen exprimere, sive angelum bestiarum præsidem a bestiis denominare voluerit. Cæterum Cotelerius in

in notis ad prædictas Chryſoſtomi homilias facillimum eſſe aſſerit Hermam ab Hieronymi accuſatione defendere, quam defenſionem in notis ad Hermam p. 83. ita inſtituit, ut obſervet, alios etiam antiquos Patres angelorum præfecturas in beſtias credidiſſe, quin etiam Hieronymum, cum librum illum apocryphum ſtultitiæ condemnaret, in quo ſcriptum eſt, quendam angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus, & ad hanc ſimilitudinem piſcibus quoque & arboribus & beſtiis univerſis in cuſtodiam angelos aſſignatos eſſe, per librum illum apocryphum non Hermæ paſtorem, ſed aliud quoddam apocryphum ſcriptum hodie deperditum intellexiſſe. Ad quas Cotelerii obſervationes paucis notamus, Hermam ſub nomine Hegrin non beſtiam, ſed omnino angelum denotare. Dicit enim Hermas, *angelum eſſe ſuper beſtias, cui nomen Hegrin.* Et quamvis Nourry *in appamt. p. 120.* ad Colbertinum codicem provocet, in quo legitur, *ſuper beſtiam*, codex tamen ille ipſo Nourrio fatente haud antiquus eſt, & etiam ex hac lectione non ſequitur vocem hegrin potius ad beſtiam quam ad angelum referendam eſſe. Notamus deinde longe quoque petitam videri ſuſpicionem de corrupta voce ἐγρηγόρου, cum nomen Hegrin commodius ab ipſa chaldaica voce עִיר quæ Daniel. IV, 10. & 24. & in plurali עִירִין v. 14. legitur, deduci poſſe, ut autor, qui Oxonienſi Hermæ editioni notas ſuas adjecit, obſervavit. Nomen autem illud juxta Theodoretum vigilem denotat, & vigilum nomine, ut idem Theodoretus addit, angeli deſignantur. Obiter vero hic caſtigandus eſt error Jacobi Billii, qui verba Iſidori

Pelusiotæ libr. 2 epistol. ep. 177. ita vertit : *unus, si interpreteris, vigilem sonat.* Non enim ibi legitur: εἰς ἑρμηνεύεται ἀγρυπνος, sed εἰρ, qua voce vigilem denotari jam diximus, qua de re Rittershusius in notis ad illam epistolam videatur. Obiter quoque animadvertendum, quod Suicerus in thesauro suo ecclesiastico p. 1003. sub voce ἐγρηγόρυ perperam scripserit, 70. Interpretes Dan. 4. vocem hebraicam vel chaldaicam εἰρ retinuisse. Notum enim est ex Hieronymi proœmio in Danielem, quod Prophetia Danielis non juxta 70. Interpretes, sed juxta Theodotionem in ecclesiis legatur. Notamus porro contra Cotelerium, quod Tyri vox apud Hieronymum dubio procul librariorum vitio ortum suum debeat, nec ex voce θηρὶυ, quæ Græcis bestiam notat, sed ex voce εἰρ, quæ vigilem significat, derivandam esse. Sicut enim Syri certam aliquam Angelorum hierarchiam constituunt, cui vigilum nomen attribuunt : ita etiam Hermas angelum bestiarum præsidem nomine vigilis designare voluit, quia angelus, qui decretum de Rege Chaldæorum in bestiam commutando promulgavit, a Daniele vigil appellatus fuit. Notamus insuper apocryphum autorem, quo Hieronymus l. c. usus est, si non ipse Hermas sed ab ipso diversus fuit, dubio procul ex Herma, vel etiam Hermam ex illo libri apocryphi autore hanc de angelo reptilium præside sententiam hausisse. Notamus denique, Hieronymum eo loco ubi sententiam de angelo reptilium præfecto stultitiæ condemnat, ipsum quidem ab errore liberum non esse, dum specialem Dei circa insecta & alias bestias providentiam agnoscere non videtur, etsi

ſi Petavius *libr. 8. de Deo c. 4. th. 10.* ejus ſententiam benignius interpretandam cenſuerit, interim tamen Hermæ quoque ſententiam de angelo reptilium præſide probari non poſſe. Neque enim veterum aliquot Scriptorum, aut etiam Platonicorum Philoſophorum conſenſus, ad quem Cotelerius provocat, errori illi patrocinium parit. Quid quod ipſe Cotelerius a ſtultitia non alienos eſſe cenſet, qui nomina & functiones ſingulis angelis determinant. Atqui Hermas angelum, quem Hegrin appellat, beſtiis præficit. Vnde Hermæ defenſio Cotelerio non adeo facilis exiſtit.

XII. Adjacere homini in quamlibet partem arbitrii libertatem, & in hominis optione conſiſtere, ut vel boni vel mali angeli ductum ſequatur, ex Herma noſtro probat Johannes Caſſianus Semipelagianus *collat. 13. c. 12.* Verum Proſper Caſſiano coævus in tractatu contra Collatorem c. 30. teſtimonium, quod diſputationi ſuæ ex Paſtoris libro inſeruit Caſſianus, nullius autoritatis eſſe reſpondet. Quod Proſperi judicium cum Hermæ autoritati plurimum derogare videatur, excipere ſolent, qui Hermam Apoſtolicum virum eſſe contendunt, quod Hermas Proſpero tanquam latino Scriptori ignotus fuerit. Verum ſi Hermas Proſpero ignotus fuiſſet, de autoritate ejus commode haud judicare potuiſſet. Quantum autem ad doctrinam Hermæ de libero arbitrio attinet, eum nihil heterodoxi ſtatuiſſe aſſerit Nourrius *in apparatu p. 114.* cum conſectaria illa, quæ Caſſianus ex allegato Hermæ loco perperam exſculpſit, ipſi Hermæ tribui non

debeant. Nec desunt, qui ipsum quoque Cassianum ab omni Pelagianismo liberare conantur. Verum conatus illos frustraneos esse probat Henricus de Noris *hist. Pelag. libr. 2. c. 1.* & *in append. ad dissert. de Synod. S. c. 2.* Hermam autem quod attinet, nec ille a Pelagianismi suspicione purgari potest. Posito enim Cassianum consectaria sua ex eo, quem allegavit, Hermæ loco male deduxisse, alia tamen loca in Herma suppetunt, quæ viribus liberi arbitrii nimium tribuunt. Nam *libr. 3. similitudine 8.* ad quæstionem Hermæ, cur non omnes pœnitentiam egerint, respondetur, *quorum Deus viderat puras mentes futuras, illis tribuit pœnitentiam*, ubi nonnullis hominibus puras mentes tribuere videtur antequam tales a Deo reddantur.

XIII. Usi sunt orthodoxæ ecclesiæ doctores Hermæ Pastore contra Montanistas, qui in adulterium & alia graviora peccata lapsos ad publicam pœnitentiam non admittebant, & istius generis peccata ab ecclesia remitti non posse statuebant. Verum etsi Hermas nullum crimen, si pœnitentia accesserit, a venia excipiat, ideoque Montanistis objectus fuerit, pro quibus Tertullianus jam Montanista *libr. de pudic. c. 10.* Hermæ librum adulterinum, apocryphum & falsum esse respondet, ipse tamen Hermas a Montanistis haud procul abfuit, quatenus gravioribus sceleribus unicam tantum post baptismum pœnitentiam concessit, unde passim Novatianismi reus peragitur, a quo ut ipsum absolvant, multum quidem operæ impendunt Natalis Alexander *secul. 1. p. 106.* Bullus *defens. fid. Nicæn.*

can. p. 34. Nourrius *in apparatu p. 111.* Barthius *in not. ad Hermam p. 876. 897. 915.* Cotelerius *in notis ad Hermam p. 89. 90.* & alii. Verum oleum & operam perdunt.

XIV. Johannes Morinus *de administrando sacramento pœnitentiæ libr. 4. c. 9.* probaturus in primitiva ecclesia pœnas peccatis impositas diuturnas non fuisse, thesi 6. & 7. ex Herma suam sententiam confirmat. Et quamvis Cotelerius *in not. ad constit. apost. libr. 2. c. 16.* incredibile esse dicat, eos qui unicam tantum post baptismum pœnitentiam admittebant, quos inter & Hermam fuisse constat, breve tempus satisfactionis pro gravissimis delictis posuisse, & præterea observat Victorinum *in comment. ad apocalypsin* Nicolaitis hæreticis hoc tribuere, quod fornicationis peccato pollutis octava die pacem dederint; nullum tamen exemplum adducit, quo probari possit, ante Montani tempora peccatorum pœnitentium a communione ecclesiastica exclusionem diuturnam fuisse, cum contra Morinus suam sententiam pluribus antiquitatis testimoniis probatam dederit, unde etiam Cotelerius huic Morini sententiæ se non magnopere refragaturum profitetur.

XV. Bonis operibus Hermas plus justo tribuit. Nam *in vis. 2. c. 9.* anus ecclesiam repræsentans ad ipsum ait: *simplicitas tua & singularis continentia salvum te faciet, & omnes salvos faciet, quicunque talia operantur, & ingrediuntur in innocentia & simplicitate.* Quin etiam operibus supererogationis apud Hermam via sternitur, cum *libr. 3. similit. 7.* dicitur:

si præter ea, quæ mandavit Dominus, aliquid boni adjeceris, magnam tibi dignitatem acquires. Simile autem ibi Hermas a servo quodam mutuatur, qui cum mandatum ipsi fuisset, ut palos circa vitem figeret, etiam fossam circumdedit, & herbas inutiles eradicavit, quo facto Dominus plus quam promiserat præstans servum illum filio suo cohæredem scripsit. Quid ex illo simili eliciat Grotius videri potest ex ejus annotatis ad Luc. 17. v. 7. refutatis a Calovio ad illum locum. In eadem similitudine Angelus Hermam de jejuniis informaturus eum admonet, ut ante omnia ab omni nequitia abstineat, & pura mente Deo serviat, ejusque mandata custodiat, deinde vero diebus jejunii nihil nisi panem & aquam gustet, & sumtus, qui aliis cibis emendis impendendi fuissent, pauperibus eroget. Et hoc ipso mandato Angelus simile suum de servo explicat, qui plura fecit quam Dominus jusserat, de quo loco videatur judicium Chemnitii *parte 4. exam. concil. Trident. p. 780.*

XVI. Castitatem esse consilii evangelici, & Deo magis quam conjugium placere probaturus Jodocus Coccius *thesaur. cathol. libr. 4. art. 4. p. 391.* adducit Hermæ *libr. 2. mand. 4.* ubi illis, qui post obitum conjugis in cœlibatu manent, & castitatem servant, magnus apud Deum honos promittitur. Potuisset Coccius etiam ad libr. 3. similitud. 9. provocare. Nam etiam ibi cælibatus semina sparguntur, cum mentio fit abjectarum per concupiscentiam fœminarum, & præmiorum illis expectandorum, qui perpetuo caste vixerint. Verum ista ad Hermæ nævos referenda sunt, & con-

contra observamus, quod ipse Hermas uxorem & liberos, ut ex ejus libro patet, habuerit. Si autem Hermas non simplex laicus fuit, sed Presbyter, quæ sententia est Dodwelli *in additionibus ad opera posthuma Pearsonii p. 196.* & *dissertat. singul. de primæva Romanor. Pontif. succes. p. 158.* habemus in Herma Presbyterum uxoratum. Verum simplicem laicum fuisse Hermam statuit Dn. de Fleury *libr. 2. histor. eccles. p. 240.* Et fatendum est, rationem, quam Dodwellus *ex visione 2. c. 4.* pro presbyteratu Hermæ adducit, solidam non esse, ut observat Tillemontius *Tom. II. histor. eccles. p. 561.* Nec minus infirmo fundamento nititur Dodwellus cum l. c. colligit, ideo de Hermæ uxore *vision. 2. c. 7.* dici, quod futura esset ejus soror, quia a conjugii usu per continentiam dissocianda foret. Alii enim ista verba ita explicant, quod Hermæ uxor gentilis primum postea vero ad christianam fidem conversa soror ejus facta fuerit.

XVII. Facto per adulterium divortio vinculum matrimonii non solvi, ideoque neutri conjugum licere altero superstite aliud matrimonium inire, Pontificiorum saltem plerorumque est sententia, e quibus Jodocus Coccius *Tom. II. thes. cathol. p. 1009.* inter Patres græcos eandem sententiam foventes Hermam quoque nominat, quem sane sententiæ suæ astipulantem habet, ut patet *ex libr. 2. mandat. 4.* ubi marito dimissa uxore adultera aliam ducenti adulterii crimen, & adulteram, postquam pœnitentiam egit, recipere nolenti grave crimen imputatur. Unde mirum est, hoc Hermæ testimonium a Bellarmino omitti, cum

Tom.

Tom. III. controversiarum libr. I. de matrimonio c. 15. multorum Patrum & conciliorum pro hac opinione suffragia colligit. Verum Hermæ cæterisque antiquis Scriptoribus, quos Pontificii pro se allegant, possunt alii opponi, neque autoritate neque numero minores, qua de re prolixius egi in historia Synodorum Galliæ Reformatæ *sect. 3. de Synod. Aurelianensi thes. 13. & seq.*

XVIII. *Libr. 1. vis. 3. c. 5.* Hermas Apostolis Episcopos, Doctores & Ministros adjungit, ubi sub nomine Doctorum Presbyteros, & sub nomine Ministrorum Diaconos intelligi Cotelerius existimat. Unde hic locus pro Episcoporum supra Presbyteros eminentia allegari solet. Contra nullam ab Herma inter Episcopos & Presbyteros differentiam agnitam fuisse asserunt Walo Messalinus *de Episcop. & Presbyt. c. 4. p. 250.* & Blondellus *in apolog. sentent. Hieronymi de Episcop. & Presbyt. p. 16.* Ad quorum argumenta respondere nititur Hammondus *dissert. 5. de jure episc. c. 9.* Quicquid autem sit de Herma, qui Pauli discipulus jactatur, ipse Paulus differentiam inter Presbyteros & Episcopos non agnovit, ut patet ex Act. XX, 17. 28.

XIX. Mira sunt, quæ Hermas *libr. 3. similit. 9. c. 16.* disserit. Videtur enim asserere, quod Patriarchæ aliique fideles ante Christi adventum mortui, ut in regnum Dei ingredi possent, post mortem baptismo opus habuerint, ideoque Apostoli & alii novi testamenti Doctores justis defunctis baptismum prædicaverint, & cum illis in aquam descenderint & ascenderint, justi

justi autem ante Christi adventum defuncti mortui in aquam descenderint, & vivi ascenderint. Quem locum quidem Nourrius in apparatu ita explicat, quasi Apostoli spiritualiter cum Christo crucifixi & mortui illis, qui ante obierunt h. e. qui in tenebris ignorantiæ & infidelitatis mortui jam erant, evangelium prædicaverint, eosque baptismo spirituali seu agnitione Filii Dei imbuerint. Verum quam violenta sit hæc interpretatio, quilibet, qui verba Hermæ legerit, facile judicare poterit. Quamobrem dubium non est, quin Hermas Apostolos post mortem inferis evangelium prædicasse illisque salutem attulisse statuerit. Nec desunt alii veteres in eodem vel simili saltem errore versati, de quibus egi in exercitatione inaugurali de evangelio mortuis annunciato, ubi inter alios etiam Clementem Alexandrinum, qui Apostolos non solum vivos vivis, sed etiam mortuos mortuis prædicasse censuit, allegavi, observans quod Clemens in hoc errore ducem Hermam habuerit, cujus verba etiam adduxit *libr. 2. stromat. p. 277. & libr. 6. p. 459. 460.*

XX. Inter testes chiliasmi Peterseniius *nub. test. verit. libr. 2. p. 62. sequ.* Hermam nostrum refert, adducens visionem ejus primam, ubi dicit, tempus fore, quo omnia plena fiant electis Dei, ut promissiones suas illis reddat. Ubi Barthius in margine notavit, Hermam loqui de novis cœlis, in quibus habitabit justitia. Unde Peterseniius colligit, quod etiam Barthius gustum regni chiliastici habuerit. Verum a novis cœlis, in quibus justitia habitabit, ad regnum

chiliasticum nulla est consequentia. Quæ Peterseniu ex visione 3. libri I. nec non ex similitudine 3. & 4. libri tertii protulit, itidem chiliasmum non probant.

XXI. *Ex libro 1. vis. 3.* purgatorium suum construunt nonnulli Pontificii, & inter hos Franciscus Feuardentius *Theomachia Calvinist. libr. 12. c. 18.* Verum ipse Feuardentius involute & obscure Hermam de defunctorum expiationibus agere agnoscit. Præterea index expurgatorius Sandovallianus locum illum, qui de purgatorio agere creditur, caute legendum monet. Ratio additur in glossa marginali *BB. PP. edit. Lugdun. pag. 27.* quia Hermas perperam statuere videatur, esse in purgatorio locum meriti & demeriti, nec ibi esse certitudinem salutis, quorum prius sit manifesta hæresis, posterius temerarium, & a communi Theologorum doctrina dissentaneum, cujus rei confirmandæ gratia adducitur Bellarminus *libr. 2. de purgatorio c. 2. 3. 4.* Si Male igitur purgatorium Hermæ cum Pontificiorum purgatorio convenit. Quin etiam Nourrius *in appamtu p. 115.* existimat, in loco illo Hermæ non de purgatorio agi, sed de cursu pœnitentiæ in hac vita agendæ, & de pœnis, quæ hominibus in hoc mundo ob peccata infligi solent, quod se amore veritatis fateri asserit. Eadem est inter Reformatos sententia Bulli *defens. fid. Nican. p. 32.* Si autem de purgatorio Hermas ageret, hoc inter errores ejus referendum esset, prout etiam hoc inter Hermæ errores retulit Rivetus *Critic. S. libr. I. c. 12.* Conferatur præterea Chemnitius *exam. Concil. Trident. pag. 503.* ubi purgatorium, cum primum quasi emicare

coe-

cœpit, anile commentum, & ab anu personata profectum fuisse notat, ad anum illam respiciens, quæ Hermiæ purgatorium illud ostendit & explicavit; & Wolfius *lection. memorabil. centur. 2. p. 23.* ubi hunc autorem purgatorio & aliis erroribus initium fecisse, & propterea damnatum fuisse asserit.

CAPITIS III. SECTIO IV.

De

Doctrina Clementis Romani ex ejus epistolis ad Corinthios.

I.

SCripturas S. Clemens Romanus τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις πνεύματος τοῦ ἁγίου, seu vera Spiritus S. oracula appellat, in quibus nihil injustum, nihil fictum, nihil simulatum contineri dicit *1. epist. ad Corinth. c. 45.* Et quamvis vox ῥήσεις ex Patricii Junii conjectura posita sit, qui voces quasdam græci textus temporum injuria exesas ex ingenio restituit, dubium tamen non est, quin vel hæc ipsa vox, vel alia æquipollens a Clemente usurpata fuerit, qui etiam c. 22. nos in Scriptura S. per Spiritum S. compellari affirmat. Ex quibus testimoniis colligi potest, quod Clemens hic non dubita-

verit, quin Scriptura S. universa tam quoad sententias, quam quoad ῥήσεις & verba, ab immediata Spiritus S. inspiratione profecta fuerit. Secus visum fuit ante seculum, & quod excurrit, Jesuitis Collegii Lovaniensis, qui A. 1586. cum aliis thesibus nonnullas de Scriptura proposuerunt, quarum prima asserit non esse necessarium Scripturæ S. requisitum, ut singula ejus verba divinitus inspirata sint, secunda docet, non esse necessarium, ut singulæ veritates & sententiæ immediate a Spiritu S. sacris Scriptoribus inspiratæ credantur, tertia affirmat, librum aliquem humano labore sine Spiritus S. assistentia compositum, sacram Scripturam fieri posse, si Spiritus S. nihil in eo falsum esse postea testetur. Verum adversus has propositiones promulgatæ fuerunt censuræ Facultatis Theologicæ & Lovaniensis & Duacensis, quibus tamen insuper habitis Lessius Lovaniensium Jesuitarum nomine contra Lovanienses & Duacenses censores apologiam illarum thesium conscripsit. Eadem controversia nostra ætate inter Richardum Simonium & Antonium Arnaldum renovata fuit. Simonius enim *in Critica N. T. Tom. I. c. 23. & 24.* Lovaniensium Theologorum sententiam defendit, Arnaldus autem in difficultatibus Steyarto propositis *difficult. 69. & seqq.* pro Facultate Theologica Lovaniensi & Duacensi contra Simonium pugnavit. Sed Simonius in novis observationibus ad textum & versiones N. T. *c. 3. & seqq.* suam & Lovaniensium Jesuitarum sententiam prolixe vindicare conatur, ubi non solum multos Pontificios tam Jesuitas quam aliorum Ordinum Theologos, sed etiam Calvinia-

nianos, Socinianos, Arminianos & Lutheranos quosdam ſibi conſentire gloriatur. Et Lutheranos quidem quantum attinet, allegat autorem anonymum, qui Hamburgi A. 1639. de ſtylo ſacrarum literarum & imprimis N. T. græci, nec non de Helleniſtis & helleniſtica dialecto doctiſſimorum quorundam tam veteris quam recentioris ævi ſententias vulgavit. Cui tractatui Jacobus Groſſius Paſtor Hamburgenſis triadem propoſitionum theologicarum oppoſuit Jenæ 1640. editam, quam etiam poſtea adverſus anonymum innocentiæ Helleniſtarum vindicatæ autorem in obſervationibus ſuis apologeticis vindicavit. Cum enim A. 1641. Johannes Muſæus in diſquiſitione philologica de ſtylo N. T. Groſſii triadem & obſervationes apologeticas examinaret, hinc nata Groſſio tertia, ut vocat, triadis defenſio, in qua ex prædicta Muſæi diſquiſitione theſes aliquas tanquam erroneas excerpit, inter quas theſes & illæ comparent, quod Spiritus S. Apoſtolis non verba ſed res inſpiraverit, & quod ſermo Apoſtolorum quoad verba non ſit ſermo Dei. Atque hinc Simonius inter Lutheranos ſuæ ſententiæ faventes etiam Muſæum nominat. Verum Muſæus iſtas theſes pro ſuis non agnovit, ſed A. 1642. vindicias pro diſquiſitione ſua contra Groſſium publicavit, & quamvis Groſſius in quarta triadis ſuæ defenſione probare voluerit, ſe Muſæo injuriam non feciſſe, & omnino tum temporis, cum diſquiſitionem illam ederet, Muſæus in illam ſententiam quam ipſi Groſſius imputavit, inclinaſſe videatur, poſtea tamen in ſcriptis ſuis docuit, quod Spiritus S. ſacris Scriptoribus non ſolum rerum,

ſed verborum etiam conceptus inſpiraverit, ut patet ex ejus introductione ad Theologiam *part. 2. p. 245.* item ex quæſtionibus de Scriptura *quæſt. 3.* nec non ex Theologorum Jenenſium ausführlicher Erklärung über 93. Religions-Fragen / cujus tractatus autor eſt Muſæus, *Loc. I. de Scriptura qv. 3. p. 29. & qv. 6. p. 42.* Cæterum etſi Simonii ſententia ſtatuentis in Scriptura S. quædam Spiritu S. immediate inſpirante, quædam Spiritu S. tantum aſſiſtente, dirigente & ſacros Scriptores, ne in errorem laberentur, cuſtodiente exarata eſſe probari non debeat, meritoque a Joh. Henrico Majo in examine hiſtoriæ criticæ textus N. T. *c. 23. & ſeqq.* refutata fuerit, minus tamen toleranda eſt illorum opinio, qui aliquos Scripturæ S. libros non modo immediato Spiritus S. afflatu non inſpiratos, ſed etiam ſine Spiritus S. directione compoſitos & erroribus obnoxios contendunt, ut Spinoſa *in tractat. Theolog. polit. c. 8. & ſeq.* item autor, qui judicia Theologorum Hollandiæ de Simoniana V. T. critica edidit, & paulo poſt judicia illa in novo tractatu contra Simonii reſponſiones vindicavit, cujus aliorumque θεοπνευςίαν ſacræ Scripturæ impugnantium argumenta prædictus Majus in diſſertatione de inſpiratione ſacrorum librorum breviter diſcutit.

II. Laudat Clemens Corinthios ſub initium c. 53. prioris epiſtolæ, quod noverint & probe noverint divinas Scripturas, & penitius in eas introſpexerint. Ἐπίςαϑε, ait, καὶ καλῶς ἐπίςαϑε τὰς ἱερὰς γραφὰς, ἀγαπητοὶ, καὶ ἐγκεκύφατε εἰς τὰ λόγια τȣ̃ Θεȣ̃. Unde colligi poteſt, longe aliam fuiſſe Epiſcopi hujus Romani Clemen-

mentis mentem, quam Innocentii III. Pii IV. Clementis VIII. & quorundam aliorum Pontificum Romanorum, qui Scripturæ S. lectionem non omnibus permittendam censuerunt. Quam sententiam plurimi in papatu doctores nec non integra quædam concilia & collegia propugnarunt. Unde A. 1661. Parisiis liber prodiit hoc titulo signatus: *collectio gravium quorundam Autorum, qui ex professo vel occasione S. Scripturæ aut divinorum officiorum in vulgarem linguam translationes damnarunt, una cum decretis summi Pontificis & Cleri Gallicani ejusque epistolis, Sorbonæ censuris ac supremi Senatus placitis jussu ac mandato ejusdem Cleri Gallicani edita.* Nec ab illo tempore, quo Clerus Gallicanus A. 1660. & 1661. congregatus hunc librum imprimi curavit, alii defuerunt, qui promiscuam bibliorum legendorum permissionem illorumque in linguas vulgares translationem plus damni quam utilitatis afferre statuerunt, quos inter, ut plures alios taceamus, Malletus in peculiari tractatu, quem de hoc argumento scripsit, & Simonius *in historia versionum N. T. c. 44. p. 536.* & imprimis in *novis observationibus ad textum & versiones N. T. c. 22. 23. 24. & 25.* ubi prolixe hanc materiam tractavit. Et ex his Papistarum lacunis etiam Græculi in Synodo Hierosolymitana A. C. 1672. sub Patriarcha Dositheo congregati hauserunt, quæ de bibliorum lectione non omnibus permittenda docuerunt *in respon. ad quæst. I. p. 503.* Verum isti Pontificiorum sententiæ præter Scripturam ipsam & perpetuam ecclesiæ praxin opponi potest nubes Doctorum primitivæ ecclesiæ, aliorumque Scriptorum, quorum testi-

testimonia juxta seculorum ordinem magno apparatu collegit Jacobus Usserius in historia dogmatica controversiæ de Scripturis & sacris vernaculis, & Henricus Wharton in auctario, quod isti tractatui adjecit. Nec defuerunt inter Pontificios, qui bibliorum lectionem omnibus permittendam & eorundem translationem in linguas vernaculas non prohibendam censuerunt; quorum non paucos allegat Gerhardus *conf. cathol. lib. II. spec. part. I. c. 2. thes. 7. & 8.* Ex plurimis, qui adjungi possent, addimus Cardinalem Madruccium Episcopum Tridentinum, de quo videri potest Pallavicinus *histor. concil. Trid. libr. 6. cap. 12.* Fridericum Furium, de quo Thuanus *histor. libr. 104. p. 266.* consulatur, Antonium Arnaldum, qui & alibi & peculiari scripto translationem Scripturæ in linguas vernaculas defendit, Dominum de Marolles, qui in epistola dedicatoria & præfatione ad novam suam versionem N. T. gallicam Scripturæ in linguas vernaculas translationem tuetur, ejusque lectionem omnibus commendat, & Franciscum Veronium, qui vehementissime hanc causam egit, & eos qui lectionem Scripturæ perniciosam dicunt, blasphemiæ arguit, quod nonnulli in gratiam Richelii Cardinalis ab eo factum suspicantur, qui tum Protestantes cum Pontificiis redunire desideravit.

III. Hugo Grotius in epistolis ad Gallos ep. 154. quæ ad Bignonium scripta est, nullum locum ex evangeliis a Clemente in priore ad Corinthios epistola allegatum asserit. Verum in eo non minus erravit quam Stephanus Goffius, qui in epistola ad Vossium,

quæ

quæ inter Clarorum Virorum ad G. J. Voſſium epiſtolas n. 189. legitur, Clementem Romanum in priore ſua ad Corinthios epiſtola nullum locum ex epiſtolis Apoſtolicis uſurpaſſe ſcribit. Vtriusque errorem refutat index locorum Scripturæ V. & N. T. a Clemente allegatorum, quem Oxonienſis editio exhibet.

IV. In hiſtoriis nonnullis veteris teſtamenti referendis nonnunquam Clemens aliquid addit, quod a ſacris Scriptoribus relatum non eſt, ut cum cap. 4. prioris ad Corinthios Aaronem ſimul cum ſorore ſua Mirjam a populo ſegregatum, & extra caſtra manere coactum aſſerit, etſi Moſes Num. XII. ſolam Mirjam excluſam tradat, ſive Clemens figura quadam etiam in S. literis non inuſitata, qua ſæpe pluribus tribuitur, quod uni tantum convenit, uſus fuerit, ut Vir doctus, cui Oxonienſem Clementinarum ad Corinthios epiſtolarum editionem debemus, ſuſpicatur, ſive memoria lapſus fuerit, quod probabilius videtur. Idem Clemens c. 43. baculos Principum Iſraelitarum, de quibus Num. c. XVII. legitur, a Moſe Principum annulis ſignatos narrat, quod tamen in Scriptura non legitur, & forte ex traditione quadam hauſtum eſt.

V. Fatendum quoque, loca quædam Scripturæ a Clemente minus apte allegari. Nam c. 46. prioris epiſtolæ ſocietatem cum malis diſſuadens allegat verba Pſalmi XVIII, 26. quæ longe alium ſenſum habent. Neque tamen ex incommodis hujusmodi allegationibus colligi poteſt, quod Clementis epiſtola ad

Corinthios sit supposita, cum etiam in illis Patrum scriptis, quæ omnium consensu genuina sunt, dicta quædam Scripturæ minus accurate explicentur, & juxta Isaacum Vossium in notis ad epistolam Barnabæ *pag. 310.* prisci ecclesiæ Patres æque ac eorum nepotes hallucinari potuerint.

VI. Allegat sæpius Clemens dicta aliqua Scripturæ, quæ unde hauserit incertum est. Nam cum cap. 8. prioris epistolæ verba quædam Dei ex Ezechiele allegasset, nonnulla subjungit, quæ a Deo addita memorat, & tanquam ἀγαθὴν γνώμην commendat. Sic autem habet ἀγαθὴ illa γνώμη: *Dic filiis populi mei: Si peccata vestra a terra ad cœlum usque pertingant, si cocco magis rubra, & cilicio nigriora fuerint, & ad me ex toto corde conversi fueritis & dixeritis: Pater, tanquam populo sancto aurem vobis præbebo.* Quæ verba cum hodie in Ezechielis prophetia non compareant Colomesius *in spicilegio notarum ad epistol. Clementis p. 20.* ex altero Ezechielis volumine, cujus apud Josephum mentio fit, & quod in Synopsi Athanasiana inter apocrypha numeratur, hausta suspicatur. Idem Clemens c. 17. hujus epistolæ Mosi hæc verba tribuit: *ego sum ollæ vapor.* Cujusmodi verba leguntur Psal. CXIX, 83. Unde Oxoniensis editionis autor Clementis verba luxata esse censet, & dictum hoc non Mosi sed Davidi, cujus in eodem capite mentio, tribuendum fuisse. Addit etiam Paulum Hebr. XII, 21 Mosi verba quædam tribuere in Pentateucho non extantia, nempe: ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος. Verum hæc verba in Pentateucho nusquam legi falsum est, ut patet ex Deut. IX, 19. ubi

ubi Moſes dicit: ἐκφοβός εἰμι. Idem Clemens c. 46. hujus epiſtolæ ſcriptum eſſe dicit: *Sanctis vos adjungite, quia qui illis adhærent ſanctificabuntur.* Verba ejus ſunt: γέγραπται γὰρ κολλᾶσθε τοῖς ἁγίοις, ὅτι οἱ κολλώμενοι αὐτοῖς ἁγιασθήσονται, de quo loco agit Clericus *Critic. Tom.2.p.495.* Imprimis vero in fragmento poſterioris epiſtolæ ad Corinthios multa ex apocryphis Scripturis adducuntur, ut patet ex c. 4. 5. 10. & 12. Unde & Photius in bibliotheca ſua *cod. 126.* de ſecunda Clementis epiſtola agens obſervat, quod in ea dicta quædam peregrina velut ex Scriptura ſubinducantur, quibus etiam primam ejus epiſtolam non penitus vacare addit.

VII. De Deo ejusque attributis paſſim inſignes apud Clementem noſtrum ſententiæ occurrunt. Nec dubium eſt, quin de Trinitatis myſterio recte ſenſerit. Certe Corinthios ad concordiam exhortaturus c. 46. prioris epiſtolæ *unum Deum, unum Chriſtum, & unum Spiritum* eſſe aſſerit, quibus verbis illuſtrem Trinitatis confeſſionem contineri contra Zwickerum obſervat Joh. Amos Comenius in admonitione de irenico irenicorum p. 104. Nec obſtat quod Przipcovius in animadverſionibus apologeticis pro autore irenici irenicorum adverſus Comenium editis p. 504. objicit, nempe a Paulo Epheſios ad concordiam hortante non ſolum unius Dei, unius Domini, unius Spiritus, ſed etiam unius corporis, unius ſpei, unius fidei & unius baptiſmi mentionem fieri Epheſ. IV, 5. neque tamen totidem Deitatis perſonas inde inferri poſſe. Licuit Paulo concordiæ ſtudium inculcanti plura argumenta

cum ulare, quemadmodum & ipſe Clemens loco allegato cum uno gratiæ ſpiritu unam vocationem tanquam ſingulare Spiritus S. beneficium adjungit. Interim tamen Clementem tres Deitatis perſonas agnoviſſe, & ad illas in verbis a Comenio adductis reſpexiſſe tanto magis probabile eſt, cum etiam Baſilius M. *in tractatu de Spiritu S. c. 29.* ſequentia verba Clementi tribuat: *vivit Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus, & Spiritus S.* quæ verba ex quo Clementis libro Baſilius hauſerit, incertum eſt.

VIII. Impias aliquas de Chriſto ſententias Clementi noſtro tribuit Sandius *in nucleo hiſt. eccleſ. p. 67.* & illas ſententias partim ex prima ejus ad Corinthios epiſtola, partim ex conſtitutionibus apoſtolicis a ſe excerptas obtendit. Verum in priori ad Corinthios epiſtola nulla ex iſtis ſententiis, quas Clementi aſcribit, legitur. Et quamvis Photius in ſua bibliotheca *cod. 126.* Clementem in hac epiſtola non ſatis ſublimiter locutum arguat, addit tamen aperte Chriſtum in hac epiſtola non blaſphemari, quod Photius dicere non potuiſſet, ſi in hac epiſtola floſculi illi Ariani a Sandio excerpti legerentur. Neque probanda eſt illa Photii Critica Clementem in hac epiſtola de Chriſto non ſatis ſublimiter locutum arguentis. Nam c. 16. Chriſtum majeſtatis divinæ ſceptrum appellat, de quo Chriſti elogio Petavius *libr. 5. de Trinit. c. 9. §. 8.* & *libr. 12. de incarnat. c. 6. § 2.* ut & Clericus in nota ad poſteriorem Petavii locum *Tom. VI. edit. Amſtel. p. 69.* videatur. Idem Clemens c. 36. epiſtolæ ſuæ dicit, quod per Chriſtum oculi cordis noſtri aperti ſint, & per eum in-

intellectus noster insipiens & obtenebratus diuino lumine perfundatur. Addit ex epistola ad Hebræos, quod Christus magnificentiæ divinæ splendor sit, & tanto angelis præstantior, quanto præstantius præ illis sortitus est nomen, idque cum Paulo ex Psalmis 2. & 110. probat. Unde Samuel Gardinerus non solum p. 1. hypotyposeos suæ catholicæ circa Trinitatem fidei ex Patribus ante-Nicænis desumtæ Clementem Romanum inter testes Trinitatis primo loco posuit, verum etiam p. 157. in responsione brevi ad ea, quæ Sandius de Patribus ante-Nicænis in Arianorum gratiam disseruit, Clementi circa ejus de Christo fidem injuriam factam esse breviter probavit. Et quamvis Sandius datis semel iterumque ad Gardinerum literis regesserit, nihil quod contra Arianos faciat ex Clementis epistola a Gardinero produci potuisse, Gardinerus tamen in responsoriis epistolis contrarium probavit. Videatur Sandius *epist. ad Gardin. p. 96.* Gardinerus *in respons. ad Sandium, p. 108.* Sandius *in secunda epistola ad Gardin. pag. 131.* & Gardinerus *in responsione valedictoria ad secundam Sandii epistolam p. 8.* Hoc tantum addimus ad ea, quæ a Gardinero contra Sandium observata sunt, falso Sandium asserere, quod Ariani ea, quæ a Paulo in primo epistolæ ad Hebræos capite dicta & a Clemente Romano repetita sunt, non improbaverint. Nam Theodoretus in procemio sui commentarii ad epistolam Hebræis inscriptam observat, Arianos epistolam ad Hebræos a Paulinis epistolis avulsam rejecisse, quod apostolicæ Theologiæ splendorem ferre non possent. Quam ob causam etiam nonnulli ex recentioribus An-

ti-Trinitariis epiſtolam ad Hebræos nullius autoritatis eſſe cenſuerunt, quos inter Georgius Enjedinus autorem hujus epiſtolæ ineptis argumentationibus uti, & quædam aperte falſa dicere, blaſpheme judicat.

IX. Zwickerus *in irenico p. 2.* ex eo, quod Clemens noſter perſonam Patris a Filio diſtinguit, perperam colligit, per hanc Perſonarum diſtinctionem a Deitate excludi. Tres enim in cœlo teſtes ratione perſonalitatis ita a ſe diſtinguuntur, ut tamen ratione eſſentiæ unum ſint 1. Joh. V, 8. Irenæus in loco, quem Zvvickerus allegat ex Clemente noſtro illos hæreticos refutat, qui ſuper ſupremum Deum neſcio quem alium Deum fingebant. Verum a Gnoſticis illis alieniſſimi ſunt, qui Chriſtum verum Deum eſſe profitentur, neque verum eſt, quod ex Irenæi ſententia Clemens ſolum Patrem Deum dixerit. Idem Zvvickerus in irenicomaſtige p. 269. probaturus, Chriſtum quidem ſplendorem & radium divinæ magnificentiæ, non tamen Deum eſſe, ſimile, ſed admodum diſſimile, adducit, cum objicit, Samoſcium Regis Poloniæ Sigismundi Cancellarium radium quidem & ſplendorem Regis, non item Regem dici potuiſſe, quod exemplum quam male ad Chriſtum ſubſtantialem paternæ gloriæ ſplendorem quadret, opus non eſt ut multis demonſtremus.

X. Idem Zvvickerus in appendice irenicomaſtigis iterato convicti & conſtricti p. 346. negat Chriſto parem cum patre ſuo cultum tribui, quo argumento Hoornbeckius in prolegomenis Tom. II. ſui Soci-

cinifmi ufus fuerat, cum Clemens Chrifto tantum ut Mediatori non ut ultimo termino gloriam tribuerit; quod ex capite penultimo & ultimo probat, ubi Clemens dicit: *per quem*, nempe Chriftum, *illi*, nempe Deo, *fit gloria.* Verum cum Clemens vere divina opera Chrifto tribuerit, dubium non eft, quin illo æqualem cum Patre gloriam tribuendam cenfuerit. Quin etiam Clemens fub initium pofterioris ad Corinthios epiftolæ expreffe Chriftum Deum nominat, cum ait: *δεῖ ἡμᾶς φρονεῖν περὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὡς περὶ Θεοῦ, oportet nos de Jefu Chrifto fentire tanquam de Deo.* Et quamvis Petavius *Tom. II. dogm. libr. I. de Trinit. c. 3. §. 7.* non fufficere exiftimet, quod Clemens Chriftum Deum nominet, cum etiam Ariani Chriftum Deum nominaverint, nullo tamen argumento probari poteft, quod Clemens Ariano fenfu Chriftum Deum dixerit, imo potius ex Clemente contrarium probari poteft, quod ipfe Petavius parum fui memor *in prolegom. Tom. 2. c. 2.* adductis nonnullis ex Clemente teftimoniis probavit. Conferantur etiam, quæ ex Clemente pro divinitate Chrifti differunt Thomafinus *Tom. III. Theolog. p. 389.* & Le Moyne *not. ad var. facr. p. 153.*

XI. Lucas Mellierus *in fide primorum chriftianorum p. 47.* jactat, jam alios demonftraffe, quod Clemens Romanus in aliquot prioris fuæ ad Corinthios epiftolæ locis talia de Chrifto docuerit, quæ Socinianifmum omnino redolent, imo apertiffime produnt, cujusmodi loca videri poffe dicit apud Zvvickerum, & Gilbertum Clarke in Antinicenifmo, & Anonymum,

qui

qui judicium Patrum de doctrina Trinitatis Anglicano idiomate conscripsit. Verum qua facilitate Mellierus hoc affirmat, eadem id negari potest. Ne tamen prorsus gratis, quæ dixit, dixisse videatur, profert locum, qui in hac Clementis epistola invenitur a Patritio Junio ita redditum: *sceptrum Majestatis Dei, Dominus noster Jesus Christus non venit in jactantia superbiæ & arrogantiæ, quamvis potuerit, sed in humilitate.* His Clementis verbis aperte doceri ait Mellierus, quod Christus etsi non jactantia superbiæ & arrogantiæ venerit, in ea tamen venire atque adeo peccare potuerit, si voluisset. Unde ulterius infert, quod ex Clementis mente Christus merus homo fuerit, quia si ejus persona ex divina & humana natura constitisset, dubio procul divina humanam impeccabilem reddidisset, & Clemens sine blasphemia de humana Christi natura, si divinæ personali nexu conjunctam credidisset, dicere non potuisset, quod peccare potuerit. Tandem vero his verbis hoc argumentum concludit: *qui dicit Christum potuisse peccare, ipso Socino est Socinior. Nec enim ipse Socinus, quod sciam, aperte dicere vel scribere ausus est, Christum fuisse peccabilem. Vide qualis fuerit ille Apostoli Pauli cooperarius! Vide ne ipse Apostolus Paulus Socinianus tandem fiat, qui tales habet & laudat cooperarios! Timeo ne in eodem vitæ libro Pauli quoque nomen sit scriptum.* Sed hoc discursu, qui plus fellis quam mellis habet, Mellierus opus non habuisset. Unde Grabius in notis ad Bulli opera Tom. I. p. 61. miratur, quod miser hic homuncio temere illa effutiverit, imo publice scripserit in Christum blasphemus, & servum

ejus

ejus S. Clementem calumniator. Neque enim ſcripſit Clemens, quod Chriſtus non ἐν ἀλαζονείᾳ & ὑπερηφανίᾳ venerit, etſi in ea venire potuerit, ſed ſcribit Chriſtum non veniſſe ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας καὶ ὑπερηφανίας i. e. in ſtrepitu & pompa tali, quali οἱ ἀλάζονες in medium prodire ſolent. Ab ejusmodi externo apparatu Chriſtus abſtinuit, etſi cum eo venire potuiſſet, nec ideo ſuperbiæ aut arrogantiæ peccatum commiſiſſet. Probari ergo non poteſt, quod Clemens Chriſtum pro mero homine habuerit, & eum inſtar meri hominis peccare potuiſſe exiſtimaverit. Contrarium probant variæ ſententiæ, quas ex Clementis epiſtola utraque ad Corinthios pro Chriſti divinitate viri docti paſſim allegant, inter quas eximia eſt, etſi rarius adduci ſoleat, quæ cap. 2. prioris epiſtolæ legitur, ubi Clemens ad Corinthios ſcribit: τὰ Θεοῦ παθήματα ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν, *paſſiones Dei in oculis veſtris erant*; quibus verbis Chriſtus, cujus paſſiones in Corinthiorum oculis erant, diſerte Deus nominatur. Unde Cotelerius hunc locum Photio, qui Clementem in hac epiſtola non ſatis digne & ſublimiter de Chriſto locutum arguit, merito opponit.

XII. De opere creationis & divinæ omnium rerum gubernationis dum Clemens noſter c. 20. prioris ad Corinthios epiſtolæ agit, inter alia ait: *Oceanum hominibus impertranſibilem, & qui trans ipſum ſunt mundos Domini mandatis gubernari*, Ὠκεανὸς ἀνθρώποις ἀπέραντος, καὶ οἱ μετ' αὐτὸν κόσμοι ταῖς αὐταῖς ταγαῖς τοῦ δεσπότου διευθύνονται. Quem Clementis locum reprehenſioni obnoxium judicat Photius *biblioth. cod. 126.*

Verum antiquiores Photio Patres sine reprehensione hunc locum allegarunt nempe Clemens Alexandrinus *libr. 5. stromat. p. 527.* Origenes *libr. 2. περὶ ἀρχῶν c. 3.* Hieronymus *ad Ephes. II, 2.* Et Patricius quidem Junius in notis ad hunc Clementis locum per Oceanum impertransibilem Oceanum Britannicum, & per mundos trans illum Oceanum positos *toto*, ut ait Poeta, *divisos orbe Britannos* intelligit, cum simili ratione a Basilio Magno, Ambrosio, & Libanio Oceanus Britannicus describatur, quorum testimoniis præter alios Josephus, Florus, Vellejus Paterculus & alii addi possunt. Verum cum Origenes loco supra allegato per mundos trans Oceanum impertransibilem ἀντίχθονας intelligat, Episcopus Oxoniensis in notis ad Clementem potius Americanas regiones a Clemente indicatas censet, quas etiam ab aliis Scriptoribus antiquis non obscure adumbratas videri asserit. Et hæc Oxoniensis Episcopi explicatio adversus alios Calvinianos observari potest, qui Apostolorũ tempore Americam cæteris terræ partibus incognitam fuisse statuunt, e quorum numero Hermannus Witsius cum in exercitatione prima academica argumenta pro evangelio per Apostolos Americanis prædicato afferri solita recensuisset, statim in secunda exercitatione ostendere conatur, quod probari non possit evangelium per Apostolos Americanis prædicatum fuisse. In quibus exercitationibus cum alia quædam veterum loca, quibus notitiam Americæ non plane nullam antiquos habuisse demonstrari solet, adduxerit, & ad ea responderit, mirum est, quod insignem hunc Clementis locum non attigerit, quem ad Americanos potius quam ad

ad Britannos ſpectare Dannhauerus *in Chriſteid. p. 160.* inde probat, quod Clementis ætate Oceanus Britannicus non amplius ἀπέραντος eſſet. Notamus tamen, etiam quosdam noſtratium Theologorum negaſſe, quod Americanis Apoſtoli evangelium prædicaverint, ut Quiſtorpius *in annotat. biblicis ad Coloſſ. I. v. 23.* vel etiam ſtatuiſſe, quod Apoſtolorum tempore America ab hominibus nondum culta & habitata fuerit, ut Urſinus *in analect. libr. 6. c. 24.*

XIII. Univerſalem Dei gratiam & univerſale Chriſti meritum Clemens noſter agnovit. Scribit enim cap. 7. prioris epiſtolæ, ſanguinem Chriſti propter ſalutem noſtram effuſum toti mundo pœnitentiæ gratiam obtuliſſe, Deumque per omnes mundi ætates in omni generatione volentibus ad ipſum converti pœnitentiæ locum conceſſiſſe. Unde patet quam alienus fuerit Clemens Romanus a Calvinianorum dogmate, qui neque gratiam Dei, neque Chriſti ſanguinem & meritum ad omnes homines pertinere ſtatuunt, quos inter Beza *part. 2. reſp. ad act. Colloq. Montisbelgard. p. 194.* aſſerit, nunquam fuiſſe tempus, vel eſſe, vel futurum, quo Deus voluerit, velit, vel voliturus ſit ſingulorum miſereri, ſed ab æterno pro bona ſua voluntate, & ea quidem cui reſiſti non poteſt, conſtituiſſe, & quorum in Chriſto miſereretur, & quos induraret.

XIV. Anonymus quidam apud Sandium in paradoxis interpretationibus evangeliorum *ad Job. III, 5.* hæc Clementis verba ex priore ad Corinthios epiſtola adducit: Νῶε παλιγγενεσίαν κόσμῳ ἐκήρυξεν, & putat Clementem ſub nomine παλιγγενεσίας, quam Noachus

chus mundo prædicavit, nihil aliud intellexisse, quam animarum humanarum ante mundi creationem a Deo conditarum in corpora immissionem, de qua regeneratione etiam Christum loqui arbitratur, cum ad Nicodemum ait: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, regnum cœlorum ingredi non potest;* quæ verba juxta fanatici illius hominis interpretationem hunc sensum habent, quod homines regni cœlorum capaces futuri non essent, nisi eorum spiritus, seu animæ ante mundum conditæ & postea lapsæ, cum carne seu corporibus, quæ per aquam tanquam carnalis generationis principium a Christo indicari somniat, unirentur, quemadmodum & diaboli, quibus talis regeneratio seu incarnatio negata est, regnum Dei intrare non possunt. Quæ Anonymi explicatio a Sandio adducta, etsi absurdissima sit, & ex hominibus quasi incarnatos diabolos faciat, Sandio tamen ipsi haud displicuit, qui etiam illam ut propriam adoptavit *in tractatu de origine animæ p. 97.* Clementis autem locum quantum attinet ab Anonymo adductum, qui cap. 9. prioris ad Corinthios epistolæ legitur, per παλιγγενεσίαν a Noacho prædicatam ibi non immissio animarum in corpora intelligitur, sed generis humani per diluvium perditi instauratio, vel etiam regeneratio spiritualis per pœnitentiam, cum de eodem Noacho Clemens in hac ipsa epistola c. 7. scribat: Νῶε ἐκήρυξε μετάνοιαν, *Noe prædicavit pœnitentiam.*

XV. Professus est Clemens noster justificationem ex sola fide sine operibus. Cum enim de Sanctis cap. 32. prioris epistolæ dixisset, quod omnes glorificati & sancti-

fi-

ficati ſint non per ſemetipſos aut eorum opera, aut juſtas actiones quas patrarunt, ſed pro Dei voluntate, iſta ſubjicit: Καὶ ἡμεῖς οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιούμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας· ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσεν· ᾧ ἔστω δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Qui locus obſervandus eſt contra omnes ſive Pontificios ſive aliis ſectis addictos, qui juſtificationem noſtram non ex ſola fide fieri, ſed etiam bonis operibus locum aliquem relinquendum & illa ſaltem opera, quæ ex Dei gratia a renatis fiunt a juſtificatione non excludenda eſſe contendunt. Nam Clemens in allegato loco illa quoque opera, quæ a pietate cordis & ſanctimonia proficiſcuntur, a juſtificatione removet. Nec obſtat, quod Clemens c. 30. hujus epiſtolæ dicat: ἔργοις δικαιούμενοι καὶ μὴ λόγοις, *operibus juſti effecti non verbis*, ex quo loco Grotius ad Jac. II, 24. male infert, homines non ſola fide, ſed operibus etiam juſtificari. Clemens enim & Jacobus, ad cujus verba Clemens reſpicit, non agunt hic de juſtificatione coram Deo, ſed de juſtificatione coram hominibus, quæ non obtinetur per ſola verba, ſed per opera quibus fidei veritas demonſtratur, qua de re videatur Hüllſemannus *in harmonia Pauli & Jacobi th. 165. & ſeq.* Nimirum Clemens, etſi nos non operibus ſed ſola fide juſtificari doceat, bonorum tamen operum ſtudium diligenter inculcat. Nam cum in c. 32. nos ex ſola fide juſtificari docuiſſet, ſtatim in ſequenti c. 33. addit, minime propterea a bonis operibus ceſſandum, nec caritatem de-

derelinquendam esse. Unde & Clemens sæpius in hac epistola bonorum operum studium diligenter inculcat. Nequaquam tamen opera ad salutem consequendam necessaria Clemens judicavit, ut sibi persvadet Horneius in disputatione de fidei non qualislibet sed quæ per caritatem operatur necessitate ad salutem *thes. 55.* item in iterata assertione, qua fides non qualiscunque sed per caritatem operans ad salutem necessaria ostenditur contra Johannem Rothmalerum *thes. 123.* nec non in germanica confutatione Johannis Löschmanni *cap. 3.* & in repetitione doctrinæ veræ de necessitate bonorum operum *thes. 134.* Nam ea, quæ Horneius ex Clemente adducit, necessitatem bonorum operum ad salutem non probare notavit Hulsemannus im Calixtinischen Gewissens-Wurm *cap. 7. p. 945.*

XVI. Fatendum tamen est, quod Clemens in commendanda caritate modum fere excedere videatur, unde etiam nonnulli ex isto caritatis elogio, quod cap. 48. 49. & 50. prioris epistolæ legitur, a Clemente Pauli cooperario hanc epistolam nequaquam scribi potuisse colligunt. Quamobrem si hæc caritatis elogia cum Clementis dicto de justificatione per solam fidem conciliare velimus, opus est ut ea benevole interpretemur. Quando enim Clemens c. 48. dicit: *hæc est porta justitiæ ad vitam*, forte non tam ad caritatem quam ad pœnitentiam respicit, quia in verbis præcedentibus dixerat: *tollamus contentiones, pedibus Domini advolvamur & flentes suppliciter imploremus, ut propitius factus nobis reconciliari velit, nosque pristinæ fra-*

ter-

ternæ concordia restituat. Cum c. 49. dicit: *caritas peccatorum multitudinem tegit*, id non alio modo intelligendum est, quam quo & Petrus *1. Pet. IV, 8.* caritatem peccatorum multitudinem operire scribit. Hunc enim Clementis sensum esse, verba statim sequentia indicant: *Caritas omnia sustinet, omnia patienter tolerat.* Cum autem c. 50. dicit: *beatissumus, si præcepta Domini in caritatis concordia compleverimus, ut per caritatem peccata nostra nobis remittantur*, forte per caritatem non hominum sed ipsius Dei caritatem intellexit. Nam quod in his capitibus non solum nostram sed etiam Dei dilectionem commendaverit, ex eo patet, quod c. 49. dicat: *in dilectione nos Dominus assumsit, propter dilectionem, quam erga nos habuit Dominus noster Jesus Christus voluntate divina sanguinem suum pro nobis dedit.*

XVII. Henochum & alios Deo τελείως & perfecte serviisse Clemens asserit c. 9. prioris epistolæ. Verum id de tali perfectione intelligendum est, qualis in hac vita datur, & quæ non ineleganter a Bernhardo *serm. 10. ad Psalm. 90.* (Hebr. 91.) *qui habitat* imperfecta perfectio dicitur. Sic enim legendum ibi est, non autem: *perfecta perfectio*, ut corrupte legitur in editione Parisiensi A. 1602. & Antverpiensi 1609. quod obiter notamus.

XIIX. Monet Clemens c. 21. prioris epistolæ Corinthios, ut caveant, ne beneficia Dei ipsis in condemnationem cedant. Unde patet, Clementem agnovisse, quod renati, quales Corinthii erant, gratia Dei excidere, & condemnationis judicium impietate

sua

ſua accerſere ſibi valeant. Qua in re a Reformatis admodum diſſentit.

XIX. Epiſcopos & Diaconos ab Apoſtolis conſtitutos Clemens aſſerit c. 42. prioris epiſtolæ, quorſum accommodat verba Eſaiæ LX,17. quæ hac ratione exprimit: καταστήσω τοὺς Ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς Διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει, *conſtituam Epiſcopos eorum in juſtitia & Diaconos eorum in fide.* Cum autem Clemens Epiſcopos & Diaconos ab Apoſtolis conſtitutos dicat, & nullam Presbyterorum mentionem faciat, colligi ex eo poteſt, quod Presbyteros ſub Epiſcoporum nomine complexus fuerit, nullamque inter Epiſcopos & Presbyteros differentiam agnoverit. Videatur Blondellus in apologia ſententiæ Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris *ſect. 2. p. 9.* ubi & plura ex Clemente loca pro hac ſententia allegat. Unde etiam Grotius in epiſtola ad Bignonium, quæ inter ejus epiſtolas ad Gallos legitur, *epiſtola 154.* Conringius in epiſtola ad Maderum, quæ Helmſtadienſi Clementis editioni præfigitur, Vorſtius *tract. de ſedibus epiſcopal.* Salmaſius *in apparat. ad libr. de primatu pap. p. 49.* & alii obſervant, Clementis ætate Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentiam eccleſiæ nondum cognitam fuiſſe. Habent tamen nonnulla, quæ contra objecta Clementis Romani loca excipiant Pontificii, e quorum numero Petavius *appendice Tom. 3. de hierarch. eccleſ. libr. I. c. 1.* videri poterit, & Epiſcopales Angli, e quibus nominaſſe ſufficiat Hammondum *diſſert. 5. de jure epiſc. c. 6. & 7.* ubi inter alia ſtatuit, verba Eſaiæ a Clemente allegata, quæ in hodiernis græcæ verſionis codi-

codicibus non reperiantur, ex codice, quo Apostoli usi sunt, petita esse. Credat id, cui lubet. Mihi quidem Clementem eo græcæ versionis exemplari usum fuisse, quod Apostoli usurparunt, non temere persvadebitur. Quando autem Clemens c. 1. Corinthios ἡγεμένοις seu Præpositis subditos fuisse, & πρεσβυτέροις debitum honorem exhibuisse dicit, & cap. 21. Corinthios monet, ut Præpositos suos revereantur & Presbyteros honorent, Blondellus per ἡγεμένες Episcopos, & per πρεσβυτέρες Seniores, seu natu majores junioribus oppositos intelligit. Contra Hammondus *differt. 5. de jur. episc. c. 3.* per ἡγεμένες Magistratus civiles a Præfectis ecclesiasticis distinctos & forte ad fidem conversos, & per πρεσβυτέρες Episcopos intelligit, quibus nonnunquam Presbyterorum nomen tribui concedit, ita tamen ut promiscuum horum nominum usum Presbyterianos nihil juvare arbitretur.

XX. Docet Clemens c. 44. συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης h. e. *cum consensu universæ ecclesiæ* ab Apostolis aliisque viris eximiis constitutos fuisse, qui inculpate ovili Christi cum humilitate ministraverunt. Unde Blondellus *de Episc. & Presbyt. sect. 2. p. 11.* colligit, ecclesiæ ministros ab Apostolis aliisque apostolicis viris nunquam nisi comprobante ecclesia constitutos fuisse, cui contradicturus Hammondus *differt. 5. c. 7. thes. 10.* nihil aliud a Clemente indicari putat, quam ecclesiæ ministros applaudente vel congratulante tota ecclesia constitutos fuisse. Verum omnino in primitiva ecclesia plebi quoque suas partes fuisse, quan-

 do

do Episcopi vel alii ecclesiæ ministri constituti sunt, alii quoque Scriptores ecclesiastici testantur.

XXI. Officia sacra statis temporibus fieri oportere urget Clemens c. 40. prioris epistolæ, & tempora illa Dei voluntate definita asserit, ad sabbathum forte respiciens. In eodem capite laicorum mentionem facit, unde vocis hujus antiquitatem colligunt Episcopus Oxoniensis *in notis ad h. l.* & Blondellus *de Episcop. & Presbyt. sect. 2. p. 12.* Fatendum est de cætero, quod Clemens in hoc & sequenti c. 41 circa descriptionem cultus sacri quodammodo judaizare videatur, nisi forte exemplo cultus judaici apud Christianos omnia decenti ordine fieri oportere voluerit.

XXII. Cum Clemens c. 49. prioris epistolæ dicit, quod Christus ex singulari erga nos caritate sanguinem suum pro nobis tradiderit, & carnem pro carne nostra & animam pro animabus nostris, Simplicius Verinus, seu qui sub illo nomine latet, Claudius Salmasius ex his verbis prærogativam calicis consecrati præ pane consecrato in eucharistia probare satagit, cum Clemens sanguinem Christi ejus carni præmiserit, quam prærogativam & aliis argumentis corroborare nititur. Notat ergo quod Paulus 1. Cor. X, 16. & 22. calicem ante panem nominet, & Lucas cap. XXII, 17. in ipsa historia institutæ eucharistiæ ab institutione calicis incipiat. Nam quod postea v. 20. de calice dicitur, Salmasio additamentum esse videtur a Christiano aliquo Lucæ additum, qui Lucam cum reliquis Evangeli-

geliſtis conciliare voluerit, quod tamen additamentum cum verbis Evangeliſtæ male cohærere putat, niſi dicere velimus, quod benedictio calicis & ante panis benedictionem, & poſt calicis benedictionem facta fuerit. Putat autem Paulum & Lucam & Clementem & alios, qui calici vel ſanguini priorem locum dederunt, non reſpexiſſe ordinem, quo hæc Sacramenta a Chriſto tradita fuerunt, ſed majorem calicis nobilitatem, cum panis carnem Chriſti, calix autem ſanguinem denotet, & ſanguis tanto carne ſit præſtantior, quanto anima eſt nobilior corpore, quia in ſanguine anima eſſe dicitur. Verum ad hæc & quædam alia Salmaſii argumenta reſpondet Dorſcheus *in exercitatione ad concilii Nicæni diatypoſin de cœna ſect. 3. p. 195.* ubi inter alia obſervat, Luc. XXII, 17. non de poculo euchariſtico agi, ſed de poculo paſchali, & poſtea demum v. 19. & 20. inſtitutionem euchariſtiæ memorari, ita quidem, ut v. 19. de benedictione panis, & v. 20. de benedictione calicis euchariſtici agatur. Magna ergo eſt Salmaſii prævaricatio, cum v. 20. expungere conatur. Obſervat Dorſcheus ulterius, ex eo quod nonnunquam vel in ſacris literis vel apud Scriptores eccleſiaſticos calix pani præponitur, nullam calicis prærogativam inferri poſſe, cum etiam nonnunquam in Scriptura ſecunda Deitatis perſona ante primam nominetur, neque tamen major Filii præ Patre dignitas ex eo concludi poſſit. Addimus, quantum ad præſentem Clementis locum attinet, in eo non tantum ſanguinis & carnis, ſed ultimo loco etiam animæ mentionem fieri. Si autem ſanguis nobilior eſt carne, quia Clemens carni ſangui-

nem præponit, etiam caro animam antecellet, quia Clemens animam ultimo loco post carnem posuit. Sed non opus est confutandis illis Salmasii tricis diutius immorari.

XXIII. Cum Clemens c.40. prioris epistolæ ait: Πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν, ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν· κατὰ καιροὺς τεταγμένους τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῆ ἢ ἀτάκτως (ἐκέλευσεν) γίνεσθαι, ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις; h. e. *debemus omnia rite & ordine facere, quæ Dominus peragere nos jussit, præstitutis etiam temporibus oblationes & officia sacra perficere: neque temere vel inordinate voluit ista fieri, sed statutis temporibus & horis*, Johannes Ernestus Grabius *in suis ad Irenæum notis libr. 5. c. 32.* sacrificium missaticum ex hoc Clementis testimonio exsculpit, optatque ut abominabile hoc sacrum a Lutheranis & Calvinianis ex orco revocetur. Verum missaticum hoc sacrificium Pontificiis, & Grabio pristinum papismi amorem egregie hic redolenti, relinquimus. Clementem autem quantum attinet, nullis fidiculis Grabius ab eo extorquere poterit, ut ipsius de missatico sacrificio sententiæ subscribat. *Ab oblatione ad missam argumentari sine vitio collectionis a genere ad speciem haud licet*, ait Celeberrimus ecclesiæ nostræ Theologus D. Johannes Fechtius in erudito Tractatu de origine & superstitione missarum in honorem Sanctorum celebratarum *c. 4. p. 105.* ubi, qualis oblationum in primitiva ecclesia factarum ratio fuerit, fuse & solide exponit. Vitiose ergo Grabius ab oblationibus, quarum Clemens meminit, ad missas colligit, qua de re videri et-

etiam poterit D. Johannis Francisci Buddei exercitatio, qua Clementem Romanum & Irenæum pontificiæ missæ non favere contra Grabium demonstrat. Præterea totum illud Clementis caput, in quo Grabius sententiæ suæ præsidium quærit, nonnullis suspectum est. Nam cum Clemens statim sub initium capitis τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως, seu profunda divinæ cognitionis memorat, in Amstelodamensi editione per Johannem Clericum procurata hæc verba p. 168. annotantur: *hæc quidem Clemens Alexandrinus dixerit, at non Romanus*, & pagina sequenti 169. iterum hæc verba annotantur: *est qui velit hæc omnia esse mali commatis ad finem usque capitis, & lectorem amandet ad Clementem Alexandrinum.* Sane interpolatorem aliquem ex Clemente Alexandrino nonnulla Clementis Romani epistolæ ad Corinthios inseruisse, confirmari posse videtur ex cap. 6. hujus epistolæ, ubi Clemens Danaides, seu ut Colomesius legendum censet, Danaen & Dircen gravia supplicia perpessas constantem fidei cursum consummasse, & nobile præmium accepisse refert. Quod cum absurdum sit, quia mulieres illas gentiles & Poetarum fabulis decantatas fuisse constat, inde probabiliter viri quidam docti statuunt, hunc locum ex Clemente interpolatum esse. Cum enim Clemens Alexandrinus *libr. 4. strom.* locum aliquem ex Clementis ad Corinthios epistola allegasset, illustres quasdam fœminas recenset, & inter has etiam Danai filias commemorat, quæ postea hominis alicujus imperiti & male feriati opera in Clementis epistolam irrepserunt. Unde Clericus *part. 3. Critic. sect. 2. c. 5.* hujus loci corruptelam semipagano

cuidam librario deberi judicat, niſi vitioſæ lectioni debeatur, & pro Δαναΐδες καὶ Δίρκη forte legi debeat: *ἄνευ αἰδοῦς καὶ δίκης*, quaſi Clemens dicere voluerit, ſine reverentia & contra omne jus mulieres quasdam male habitas fuiſſe, quæ tamen emendatio, ſi recte judico, parum probabilitatis habet.

XXIV. De reſurrectione mortuorum agit Clemens Romanus c. 24. prioris epiſtolæ & ſequentibus, & inter alia c. 25. fabuloſam avem Phœnicem in reſurrectionis argumentum adducit, quod jam olim Photio *biblioth. cod. 126.* minus placuit. Nec deſunt inter recentiores, qui Viro Apoſtolico, qualis Clemens fuiſſe perhibetur, tale argumentum in articulo graviſſimi momenti e fabulis petitum minus convenire cenſent, ideoque hanc epiſtolam pſeudepigrapham eſſe ſuſpicantur, ut Tenzelius in exercitat. de Phœnice apud Jobum & Clementem Romanum *theſ. 5.* ubi etiam ad conſenſum Hulſemanni, Calovii & aliorum provocat. Contra vero autoritas Clementis Romani nonnullos movit, ut narrationem de Phœnice non pro fabula, ſed pro vera hiſtoria habeant, quos inter Patricius Junius in notis ad Clementis epiſtolam, cujus ſententiam contra Bochartum defendere ſatagit Johannes Fell Epiſcopus Oxonienſis in notis ad hunc Clementis locum, qui tamen tandem concludit: *ſi hæc minus ſatis faciant; breviter dici poterit Phœnicis hiſtoriam apud omnes pro conceſſa habitam, & proinde argumento ad homines ducto, rectiſſime inſervire: nihil enim refert quibus armis hoſtem confodiamus; nec minus feliciter ab admiſſo errore redarguetur error, quam a*

veri-

veritate in medium producta veritati fides & auctoramentum accedunt. Nos phœnicem fabulosam avem esse minime dubitamus, neque tamen propterea Clementis epistolam ad Corinthios νοθείας arguendam esse arbitramur. Clementi enim vitio verti non potest, quod e re vulgo credita resurrectionis possibilitatem probaverit.

XXV. Purgatorium a Clemente agnitum non fuisse, ex eo colligi potest, quod c. 9. posterioris ad Corinthios epistolæ *post mortem nullum pœnitentiæ locum* esse scribat. Alium ex hac Clementis epistola locum purgatorio recte opponit Dallæus *de pœnis & satisfactionibus p. 598.* quemadmodum & alii primitivæ ecclesiæ Patres purgatorium non agnoverunt, donec lucrosum hoc dogma vicaria superstitum merita terrarum orbi commendaret, & venale otium hastæ submitteret, ut Episcopi Oxoniensis ex notis ad h. l. verba mea faciam.

XXVI. A Thoma Campanella in atheismo triumphato Clementem Romanum Chiliastis accenseri notat Sandius *in nucleo histor. eccles. p. 67.* Verum in Clementis epistolis ad Corinthios, de quibus nunc tantum agimus, nullum Chiliasmi vestigium apparet, nisi quæ Peterseniius *nub. test. verit libr. 3. p. 62.* ex ultimo capite posterioris ad Corinthios epistolæ adducit, ad Chiliasmum perperam trahantur, quod nemini forte in mentem veniet, nisi qui cum Petersenio vigilans somniet.

XXVII. Clementem Romanum primum omnium fuisse, qui verba Jobi XIX, 25. ad resurrectionem

nem mortuorum traxit, notat Colomesius in notis ad Clementis epistolam ad Corinthios c. 26. ubi Clementem in hac explicatione errasse judicat; quem errorem tamen excusabilem esse putat, cum accurata omnium Scripturæ locorum explicatio a primis Patribus exigi non possit, qui non minus ac eorum nepotes hallucinari potuerunt. Verum Clemens Romanus in hac Jobi explicatione hallucinatus non est, sed Colomesius, & qui eum sequitur Kortüm in nova Jobi paraphrasi, ut alios taceamus.

Capitis III. Sectio V.

De

Doctrina Clementis **Romani** *ex reliquis ejus Scriptis.*

I.

POstquam quales doctrinæ utraque Clementis Romani ad Corinthios epistola & imprimis priori contineantur vidimus, lubet nunc ex reliquis scriptis Clementi Romano attributis unam alteramque doctrinam excerpere, & a canonibus apostolicis auspicari. Adversatur igitur autor canonum apostolicorum, quisquis fuerit, cœlibatui Clericorum, cum canone 5. (aliis 6.) prohibet, ne quis Episcopus vel Presbyter vel Diaconus uxorem suam sub religionis prætextu reji-

rejiciat. Unde tunc meliorem ecclesiarum statum fuisse docet Osiander *epit. histor. eccles. cent. 1. libr. 3. c. 4.* quam hodie sub papatu, cum Papa religiosas personas cogat, ut uxores non ducant, vel, si duxerint, easdem rejiciant, vel concubinam potius quam legitimam uxorem alant.

II. Etsi vero Clemens in canonibus suis apostolicis Episcopis, Presbyteris & Diaconis conjugium permittat, & verus quoque Clemens Romanus ipse in epistola priori ad Corinthios c. 21. se uxoratum fuisse indicet, non permittere tamen voluit Clericis, ut duas sorores uxores ducerent. Nam in canone 19. dicit, Clericum esse non posse, qui vel fratris filiam vel duas sorores duxerit. Unde juxta hunc canonem Clerici nomine indignus est D. Johannes Melchior Gœzius Pastor Halberstadiensis, qui post suæ uxoris mortem defunctæ sororem in matrimonium duxit, quas nuptias non sine magno ecclesiæ nostræ scandalo contrahi potuisse in historia Synodi Aurelianensis a Reformatis habitæ thes. 44. monui, quod nunc propterea repeto, quia ibi per erratum typographicum pro uxoris defunctæ sorore uxoris defunctæ uxor ponitur. Quia enim Gœzius ob erratum illud typographicum me in publico scripto germanico non sine calumniis exagitat, quin etiam animi impos furorem mihi imputet, necessarium duxi hoc loco erratum illud corrigere, & paucis indicare, quod in Gœzio illo non conjugium cum uxoris defunctæ uxore, sed conjugium cum uxoris defunctæ sorore ob maximum, quod inde natum est scandalum, improbaverim, etsi etiam me tacente mendum

Dd il-

illud typographicum ſtatim in omnium legentium oculos incurrat, & Gœzius gravi illa querela, quod ipſi matrimonium cum defunctæ uxoris uxore exprobaverim, ſuperſedere potuiſſet, niſi malæ conſcientiæ ſtimulis turbatus conviciandi occaſionem arripere maluiſſet.

III. Canon 46. 47. & 48. hæreticorum baptiſmum tanquam irritum rejiciunt. Verum hæc ipſa doctrina probat canones apoſtolicos ævo apoſtolico longe recentiores eſſe. Nam ſi Apoſtoli talem doctrinam promulgaſſent, Firmilianus Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, nec non Cyprianus & reliqui Epiſcopi Africani, qui tertio ſeculo hæreticorum baptiſmum aliis eccleſiis contradicentibus admittere nolebant, dubio procul in gravi illa contentione ad Apoſtolorum autoritatem provocaſſent. Unde facile colligi poteſt, illo tempore, cum inter Stephanum Epiſcopum Romanum ab una, & Cyprianum ac Firmilianum ab altera parte iſta controverſia agitaretur, collectionem canonum apoſtolicorum nondum cognitam fuiſſe.

IV. Ultimus canon apoſtolicus exhibet catalogum librorum V. & N. Teſtamenti, ex quo canone Pontificii libris Maccabæorum canonicam autoritatem vindicare ſolent. Verum contra illos notari poteſt, quod Johannes Antiochenus, qui in titulo collectionis ſuæ canonicæ 50. hunc canonem apoſtolicum numero quintum & octogeſimum *pag. 601.* recenſens in græco textu, cujus potior quam latinæ verſionis ratio habenda eſt, Maccabæorum libros prorſus omittat. Præterea

ea si autoritate hujus canonis, prout vulgo legi solet, standum est, non duo sed tres Maccabæorum libri in canonem recipiendi erunt, quod tamen ipsi Pontificii nolint. Porro si juxta hunc canonem apostolicum canon Scripturæ judicari debet, Apocalypsis Johannea ex libris canonicis novi testamenti excludenda erit, & contra canonicis novi fœderis libris addendæ erunt duæ epistolæ Clementis Romani, & apostolicæ constitutiones, quas tamen ad Scripturæ canonem pertinere Pontificii negant. Nec prætermittenda hic audacia Francisci Turriani, qui cum ad calcem apostolicarum constitutionum etiam canones apostolicos ederet, ad canonicos libros ultimo canone apostolico enumeratos tam in græca quam latina editione librum Judith adjecit, quem in omnibus aliis canonum apostolicorum editionibus omissum deprehendimus, ut observatum a Johanne Rainoldo *in censura apocryphorum V. T. pag. 438.* Poterat vero Turrianus, cum librum Judith ad libros canonicos V. Test. in canone hoc apostolico adderet, eadem opera & impudentia etiam librum Tobiæ & quosdam alios ejus generis libros addere, unde mirum est, quod in solo libro Judith addendo acquieverit.

V. Constitutionum apostolicarum autorem, qui Clemens Romanus falso perhibetur, tam de Filio quam de Spiritu Sancto nonnullis in locis ita loqui, ut typus sanæ doctrinæ non observetur, notavit Usserius *in prolegom. ad epistol. Ignat. fol. 106.* Nam libro 2. constit. apost. c. 26. Deus Pater cum Episcopo, Filius cum Diacono, & Spiritus Sanctus cum Diaconissa, quæ

ſine Diaconi nutu nihil agit, comparatur, quæ aſſerta Clementis γραώδη eſſe, & hæreſin redolere judicat Petavius *in notis ad Epiphanium p. 349.* Sic libro 5. conſtit. c. 6. dicitur Deum ſua voluntate effeciſſe, quæ Chriſtus juſſus eſt facere. Eodem libro c. ultimo dicitur: τοῦτον οὖν καὶ ἡμεῖς κηρύσσομεν ὑμῖν καὶ εὐαγγελιζόμεθα, Θεὸν λόγον, ὑπηρετούμενον τῷ Θεῷ αὐτοῦ καὶ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν, *hunc igitur & nos prædicamus & annunciamus vobis Deum Verbum, miniſtrum Dei ipſius & Patris.* Libro VIII. c. 6. dicitur Pater Deus Filii & Paracleti; & c. 12. Filius in omnibus Deo & Patri ipſius miniſtraſſe aſſeritur, & c. 37. Pater Deus Filii, & Dominus Spiritus nominatur. Quæ loca dubio procul Photius ante oculos habuit, cum in bibliotheca ſua *cod 113.* non niſi violenter depelli poſſe putat, quæ contra Arianiſmum his libris contentum objici ſolent.

VI. Docet Clemens libr. 3. conſtitut. c. 2. primas & unicas nuptias ſi legitime fiant, juſtas eſſe & juxta Dei voluntatem celebratas, ſecundas poſt profeſſionem vel promiſſionem illicitas, non propter conjugium ſed propter mendacium, tertias intemperantiam demonſtrare, quodlibet autem poſt tertias nuptias matrimonium eſſe manifeſtam fornicationem, & ἀσέλγειαν ἀναμφίβολον, ſeu luxuriam & petulantiam minime dubiam. Quam doctrinam Bellarminus *de Scriptoribus eccleſ. p. 53.* illis conſtitutionum apoſtolicarum dogmatibus, quæ a veritate manifeſte aberrant, non immerito annumerat.

VII. Lai-

VII. Laicis baptizandi licentiam non permittunt constitutiones apostolicæ libr. 3. c. 10. adducta ratione, quod nemo sibi honorem sumat, sed qui a Deo vocatur, & Oziæ pœnam incurrat, qui non vocatus sacerdotale aliquod munus exercet. Miror autem doctissimum Vossium *dissertat. XI. de baptismo thes. 3.* ex hoc ipso constitutionum apostolicarum decreto probare velle, quod autor constitutionum laicorum baptismum approbaverit, cum potius contrarium ex his verbis demonstrari possit. In iisdem constitutionibus hæreticorum quoque baptismus *libr. 6. c. 15.* improbatur, ubi decernitur, iterum baptizandos esse, qui ab hæreticis baptizati fuerint, & hæreticorum baptismus magis inquinamentum quam lavatio esse judicatur. Qua in re canones apostolicos cum constitutionibus consentire paulo superius indicavimus. Sed neutra Clementis sententia approbanda est, si & laicorum & hæreticorum baptismum absolute & nullo casu excepto prohibendum esse duxit.

VIII. Libro VIII. constitut. c. 32. Paulus introducitur varios canones de iis, qui ad baptismum accedunt, præscribens, & quinam admitti vel rejici debeant, edocens. Inter illas Pauli regulas & hæc occurrit: *concubina cujusdam infidelis serva, si soli suo Domino dedita sit, admittatur; si autem etiam cum aliis libidinose vixerit, rejiciatur.* Illustrat hunc locum Cotelerius verbis Augustini dicentis: *de concubina quoque, si professa fuerit nullum alium se cognituram, etiamsi ab illo cui subdita est, dimittatur, omnino*

dubitatur, utrum ad percipiendum baptiſmum non debeat admitti. libr. de fide & operibus c. 19. Mirum eſſet ea de re Auguſtinum dubitare, ſi decreti illius, quod Paulus in concubinarum gratiam in conſtitutionibus apoſtolicis promulgaſſe perhibetur, notitiam habuiſſet. Etſi autem Bovius hoc conſtitutionum apoſtolicarum decretum hac ratione excuſare nitatur, quod ancilla corporis ſui poteſtatem non habeat, ideoque omnis culpa in Dominum ejus redundet, recte tamen Dallæus *libr. I. de Pſeudepigraphis apoſtolicis c. 8.* ficulneo hoc folio pudendam hanc conſtitutionem ſatis obtegi non poſſe cenſet. Verus enim Paulus omnibus chriſtianis, non heris tantum ſed etiam ancillis, non liberis tantum ſed etiam ſervis fornicationem prohibet, & Joſephus cum mancipium eſſet, non dubitabat ſe graviter peccaturum, ſi heræ ſuæ ad libidinem morem gereret.

IX. Dicit Clemens *libr. 5. conſtitut. c. 14.* Chriſtum dediſſe Apoſtolis antitypa myſteria pretioſi corporis & ſanguinis ſui, antequam in montem oliveti egrederetur, quorum antityporum etiam mentio fit libr. 7. c. 26. Ex qua voce Edmundus Albertinus *de eucbariſtia libr. 2. p. 273.* colligit, autprem conſtitutionum apoſtolicarum realem corporis & ſanguinis Chriſti in cœna præſentiam negaſſe. Verum a mentione antitypi vel antityporum ad negationem realis præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti non valet conſequentia. Non ſolum enim panis & vinum antitypa dici poſſunt corporis & ſanguinis Chriſti, quatenus ſunt ſymbo

bola rerum illarum cœleſtium non abſentium ſed præſentisſimarum exhibitiva, verum etiam totum euchariſtiæ ſacramentum antitypum dici poteſt, tam reſpectu veterum typorum mannæ, agni paſchalis & aliorum, quam reſpectu corporis & ſanguinis Chriſti extra cœnam conſideratorum, prout corpus in ara crucis immolatum & ſanguis in ara crucis effuſus eſt, qua de re videatur Hœpfnerus *in Iſagog. de S. Cœna tract. theoret. p. 198.* Quod autem Clemens Romanus realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam in euchariſtia non negaverit, patet *ex libr. 2. conſtitut c. 57.* ubi dicit: *quisque ordo ſeorſim corpus Domini & pretioſum ſanguinem ſumat cum pudore & reverentia, ut ad corpus Regis accedentes.*

X. Ex Clementis Romani liturgia, quæ in apoſtolicis conſtitutionibus legitur, probare nititur Bellarminus *libr. 2. de miſſa c. 8.* Miſſas in honorem Sanctorum recte celebrari, idque inſtitutioni ſacræ cœnæ non repugnare. Sed Summe Reverendus Fechtius in eximio tractatu de Miſſis in honorem Sanctorum *c. 19. th. 36.* mirabile hoc argumentum appellat, & Bellarminum ſuis ipſius verbis refutat, quia *in tractatu de Scriptoribus eccleſiaſticis p. 33.* ſcripſit : *de liturgia Clementis idem dicendum, quod de liturgia Jacobi, eam vere Clementis eſſe, ſed a poſterioribus auctam.* Quomodo enim ſine temeritate aſſeverare poteſt, quod in liturgia Clementis Sancti nominentur, cum verendum ipſi ſit, hanc Sanctorum nominationem a recentioribus additam fuiſſe? Rectius autem judicaſſet Bellarmi-

J. mi-

minus, si Clementis liturgiam plane non a Clemente scriptam judicasset.

XI. In Clementis Romani *recognitionibus lib. I. c. 36.* docetur, Mosen cum videret, apud Israelitas vitium immolandi idolis ex conversatione cum Ægyptiis adeo inolevisse, ut radicitus malum extirpari non posset, permisisse quidem populo Israelitico ritum immolandi, ita tamen ut soli Deo sacrificia offerrentur, & sic mediam quasi partem vitii resecuisse, alteram vero mediam partem in aliud tempus emendandam reservasse, nempe per illum de quo ipse dixit: *Prophetam vobis suscitabit Deus, quem sicut me ipsum audite.* Quæ doctrina cum sacris literis male congruit, quippe quæ non ab Ægyptiorum idololatria, sed a divina institutione sacrificiorum apud Israelitas originem arcessit.

XII. In iisdem recognitionibus libr. 4. c. 5. dicitur: *debet autem is, qui e gentibus est, & ex Deo habet, ut diligat Jesum, proprii habere propositi, ut credat & Mosi. Et rursus Hebræus qui ex Deo habet, ut credat Mosi, habere debet & ex proposito suo, ut credat in Jesum, ut unus quisque eorum habens in se aliud divini muneris, aliud propriæ industriæ, sit ex utroque perfectus.* Quæ verba crassum Pelagianismum redolere observat Chamier *panstrat. cathol. Tom. I. lib. 9. c. 16.* Nec desunt alia in his recognitionibus loca, quæ arbitrii libertatem nimis extollunt. Unde Pontificii non raro recognitiones apostolicas pro arbitrii libertate allegare solent. E quibus Bellarminus, cum

&

& ipſe aliquod teſtimonium pro libertate arbitrii *lib. 5. de grat. & libero arbit. c. 25.* allegaſſet, dici non poteſt, quantum ſe torqueat, ut teſtimonii illius autoritatem ſartam tectamque conſervet, omnemque Pelagianiſmi ſuſpicionem ab illo avertat. Objicit enim ſibi ipſi, ad hunc Clementis locum facilem & paratam eſſe reſponſionem, quod recognitiones Clementi ſint ſuppoſitæ, & reſpondet, hoc opus quidem ab hæreticis corruptum & depravatum eſſe, ſed tamen vel Clementis eſſe Romani, vel alterius æque docti & antiqui Scriptoris. Cum autem prævideat, ulterius objici poſſe, quorſum opus ab hæreticis corruptum alleget? reſpondet ulterius, recognitiones corruptas quidem fuiſſe ab hæreticis in ſententiis de Chriſto & ſimilibus, non autem in articulo de libero arbitrio, cum opus hoc ſcriptum ſit ante tempora Pelagianorum, qui libertati arbitrii nimium tribuerunt. Verum unde Bellarminus tam accurate ſcire poteſt, quid in recognitionibus apoſtolicis ab hæreticis corruptum, & quid illæſum manſerit? Nec primus fuit Pelagius, qui viribus liberi arbitrii nimium tribuit, ſed multos præcurſores habuit, quos inter etiam recognitionum apoſtolicarum vel ipſum autorem, quisquis fuerit, vel interpolatorem non immerito numeramus.

XIII. In Clementinis ſermon. 2. c. 38. impie & blaſpheme dicitur, multa falſa veris in ſacra Scriptura permiſta eſſe. Cum enim Moſes ex Dei

consilio septuaginta electis legem cum explicationibus tradidisset, ut & ipsi eos quos vellent, in populo instituerent, non multo post legem scriptam multa falsa contra DEUM omnium rerum creatorem, & in ejus contemptum, diaboli ausu admista fuisse sermonis hujus autor tradit, qui impium hunc discursum Apostolo Petro impie affingit. In eadem Clementina secunda cap. 51. Petrus inducitur dicens: *Si ergo in Scriptura alia vera sunt, alia falsa, recte Magister noster dixit: estote boni trapezitæ, cum nempe quædam in Scriptura dicta proba sunt, quædam adulterina.* In sequenti capite hujus homiliæ ex ore Petri Apostoli varia Scripturæ mendacia referuntur. Dicit enim se non credere, quod Adamus transgressus fuerit, quem Dei manus formavit, aut Noe, qui præ omni mundo justus inventus est, ebrius fuerit. Negat insuper, quod Abrahamus tres & Jacobus quatuor uxores & in his duas sorores habuerit, & quod Moses fuerit homicida. Unde hominis, qui sub Clementis Romani nomine Clementina composuit, impudentia satis elucescit. Plura alia his similia, quæ passim in Clementinis homiliis occurrunt, ut & varias nugas, fabulas & hæreses, ex putidis Ebionitarum & Gnosticorum lacunis haustas, quibus hæc Clementina scatent, referre supersedemus.

XIV. Ut vero etiam ex decretalibus epistolis Clementi Romano attributis aliquid proferam, ne-

nefanda eſt ſententia, quæ in quinta Clementis decretalium his verbis legitur: *Græcorum quidam sapientisſimus hæc ita ſciens eſſe ait, communia debere eſſe amicorum omnia. In omnibus autem ſunt ſine dubio & conjuges.* Extant hæc verba etiam in Clementis Romani recognitionibus apoſtolicis *libr. 10. fol. 153. edit. Sichard.* Sed ibi hæc verba Fauſtiniano tribuuntur, & a Clemente refutantur. At impoſtor, qui ſub nomine veterum Epiſcoporum Romanorum decretales epiſtolas confinxit, in prædicta epiſtola decretali ipſi Clementi hanc ſententiam aſcribit, quam Bellarminus *libr. 3. de bon. oper. in partic. c. 11.* & Poſſevinus *in apparatu Tom. I. pag. 371.* Nicolao potius hæreſiarchæ, quam Clementi Romano convenire haud male judicant, etſi Gratianus bellam illam ſententiam de communione uxorum non indignam exiſtimaverit, quam ſub Clementis Romani nomine corpori canonico inſereret *cauſ. 12. qv. 1. can. Dilectisſimis.*

Capitis III. Sectio VI.

De

Doctrina Dionysii Areopagitæ & quorundam aliorum primi seculi Pseudepigraphorum.

I.

DE Dionysii Areopagitæ doctrina multa dici possent. Sed unum tantum & alterum paucis proferemus. Et primum quidem notamus, Bellarminum *libr. I. de verbo Dei c. 13.* autoritate hujus Dionysii libro Sapientiæ canonicam autoritatem vindicare, cum Dionysius *c. 4. de divin. nominibus* hunc librum tanquam Scripturam citaverit. Verum veteres nonnunquam etiam libros apocryphos cum canonicis Scripturæ libris in unum volumen compactos ut Scripturam citare solent. Præterea Dionysius in loco, ad quem Bellarminus respexit, librum Sapientiæ non ut Scripturam citat, sed tantum dicit: ἐν ταῖς προσαγωγαῖς τῶν λογίων εὑρήσεις τινὰ λέγοντα περὶ τῆς θείας σοφίας·

ἐραστὴς

ἱερεστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς, *in introductionibus ad Scripturam invenies aliquem de divina sapientia dicentem: amator factus sum pulcbritudinis illius*, quæ postrema verba ex libro Sapientiæ VIII, 2. desumta sunt. Numerat ergo ibi Dionysius librum Sapientiæ non inter canonicos Scripturæ libros, sed inter rudimenta, quibus ad divina eloquia introducimur, ut observat Gerhardus *in exegeſ. loci de Scriptura S. §. 213. pag. 85.* Cæterum Dionysius in distributione librorum sacri codicis, quam facit in tractatu *de ecclesiastica hierarchia, c. 3. §. 4. p. 287.* librum Sapientiæ & alios apocryphos, de quibus nos inter & Pontificios controvertitur, omisisse deprehenditur. Conferantur quæ contra Godofredum Arnoldum, qui in gratiam suæ nescio cujus Sophiæ librum Sapientiæ canonicis Scripturæ libris annumerandum censuit, disputat Maxime Reverendus D. Wernsdorffius *in dissert. quod liber Sapientiæ & Ecclesiasticus non sint pro canonicis habendi.*

II. Trinitatis mysterium Dionysius Areopagita pluribus in locis aperte profitetur, & in hoc dogmate hypostaseos vocem ab essentia ita distinguit, ut personam divinam notet. Sane Deum vocat ἑνάδα τρισυπόστατον, unitatem in tribus personis subsistentem. At multi primitivæ ecclesiæ Patres per hypostasin non personam, sed substantiam & essentiam significari censuerunt, & eos de hæresi suspectos habuerunt, qui tres hypostases docerent. Unde inter Orthodoxos ecclesiæ Doctores magnæ turbæ & lites ortæ sunt, quas tan-

 dem

dem Athanasius in concilio Alexandrino A. C. 362. componere sategit. Decreti autem in concilio illo Alexandrino ab Athanasio promulgati summa fuit: non ut omnes de Deo agentes vocabulis οὐσίας & ὑποςάσεως imposterum plane abstinerent, quod Socrates *libr. 3. historiæ ecclesiasticæ c. 7.* sibi persuasit, sed utraque dissentientium pars sententiam suam orthodoxe explicaret, & se ab hæreseos, qua gravabatur, suspicione liberaret. Cum enim Athanasius utramque partem verbis tantum dissentire, in ipsa autem doctrinæ veritate convenire cognovisset, hoc negotium ita tunc egit, ut vocabulorum usum omnibus liberum concederet, dummodo in re ipsa consentirent. Quam Athanasii prudentiam laudat Gregorius Nazianzenus *orat. 21. p. 395. & 396.* Dubio procul autem contentio illa in ecclesia orta non fuisset, si quarto seculo Dionysii Areopagitæ scripta cognita, eaque virum apostolicæ ætatis & Pauli discipulum, qualis verus Dionysius Areopagita fuit, autorem habere creditum fuisset.

III. Quot & quales Angelorum ordines tradiderit Dionysius Areopagita, ex ejusdem *cœlesti hierarchia* c. 6. videri potest, a qua Dionysiana angelicorum ordinum distributione Syri in suis ritualibus multum discrepant, ut observavit Johannes Morinus *de sacris ordinat. p. 420.* ubi ex ista differentia colligit, Syros illos Dionysii opera vel plane non legisse, vel, si legerunt, magni non fecisse, cum in hunc usque diem Angelorum ordines aliter distribuant, ac a Dionysio factum

ctum est. Præterea & alios Patres græcos & latinos hierarchiam angelicam a Dionysio traditam sequi noluisse notat Ribera *comment. ad cap. I. epist. ad Hebræos.* Constituit autem Dionysius tres Angelorum hierarchias, & in singulis tres Angelorum ordines collocat, nempe in prima hierarchia Thronos, Cherubim & Seraphim; in secunda Potestates, Dominationes & Virtutes; & in tertia Angelos, Archangelos & Principatus. Quid autem alii Patres de angelicis ordinibus senserint, videri potest apud Petavium *dogmat. Theol. Tom. 3. libr. 2. de Angelis c. 1. seq.*

IV. A Dionysio Areopagita realem corporis & sanguinis Christi in eucharistia præsentiam negatam fuisse Scultetus *in medulla Patrum Tom. I. p. 485.* asseruit, quam sententiam prolixe tuetur Edmundus Albertinus *de eucharistia libr. 2. p. 269.* Verum etsi Dionysii Areopagitæ doctrina de eucharistia Pontificiorum transsubstantiationi opponi possit, orthodoxæ tamen sententiæ de reali præsentia corporis & sanguinis in eucharistia minime adversatur. Appellat quidem panem & vinum symbola, imagines, antitypa, sed non loquitur de symbolis mere & nude significantibus, sed simul exhibitivis; non de symbolis corporis & sanguinis absentis, sed præsentis, sicut fasciæ pastoribus Bethlehemiticis signum erant, non absentis sed præsentis Christi, quo simili ex Luc. II, 12. utitur Dannhauerus in christeide *act. I. paropticæ dra-*

dramat. & mythol. theatr. 3. phantasm. 3. p. 906. ubi Scultetum phraseologia Dionysii abuti judicat.

V. Quæ in scriptis Dionysii Areopagitæ de liturgiæ apparatu memorantur, ita comparata sunt, ut a viro apostolicæ ætatis scribi minime potuerint, quod Gerardus du Bois in historia ecclesiæ Parisiensis ingenue agnoscit. Unde & Grancolasius pro missarum in honorem Sanctorum celebratarum antiquitate ad Dionysii Areopagitæ autoritatem provocare non audet, præsertim cum non credat, quenquam mortalium esse, quin convictus sit, Dionysii Areopagitæ opera supposititium recentioris Scriptoris fœtum esse, quod per tot viros eruditos ita demonstratum esse censet, ut ullum in illam rem laborem impendere supervacaneum videatur, qua de re Maxime Reverendus D. Fechtius *in tractatu de missarum in honorem Sanctorum celebratarum superstitione p. 284.* videri poterit. Plures Pontificios, qui Dionysii opera spuria esse judicant, in primo capite indicavimus, quorum testimoniis contra alios Pontificios erronea ecclesiæ suæ dogmata ex his operibus probare conantes non incommode uti possumus. Nec desunt in operibus Dionysii Areopagitæ sententiæ, quæ communioni sub una & aliis quibusdam Pontificiorum erroribus aperte contradicunt.

VI. Eos, qui vitam beatam terrenæ huic vitæ similem statuerunt, refellit Dionysius Areopagita *tract. de hierarch. ecclesiast. c. 7. p. 406.* Quo loco Maxi-

Maximus & alii Dionysii interpretes Papiam aliosque Chiliastas perstringi arbitrantur. Unde vanum est, quod in Dionysii Areopagitæ operibus erroris sui præsidium quærunt hodierni Chiliastæ.

VII. De reliquis pseudepigraphis primi seculi Scriptoribus paucis notamus, quod variæ doctrinæ cum analogia fidei minus convenientes ipsorum scriptis contineantur. Nicodemus enim in suo evangelio Patres per Christi descensum ab inferis liberatos, & tempore Antichristi Henochum & Eliam in terram venturos tradit. In Petri liturgia oratur, ut panis & calix immaculatum Christi corpus, & pretiosus Christi sanguis fiant, & Deus per intercessionem Mariæ & sanctorum miserationes largiatur. In Matthæi liturgia Filius Patris & Spiritus Sancti Filius dicitur, & Maria mediatrix nostra ante Christum nominatur. In actis Theclæ mulier hæc a Paulo edocta pro Tryphænæ filia mortua Falconilla Deum orat, ut ejus animam ex loco supplicii ad locum refrigerii transferat. Presbyteri Achajæ in epistola de passione Andreæ Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, & in Filio permanere affirmant, ut alios errores, quæ passim in pseudepigraphis primi seculi scriptis continentur, taceamus.

CAPUT IV.

De

Hierarchia ecclesiastica, variis institutis, ritibus & cerimoniis primi seculi.

I.

POntificii Episcopis Romanis universale totius ecclesiæ regimen tribuentes, illud inde ab Apostolo Petro arcessere non verentur, quem primum Papam fuisse asserunt. At nondum apud omnes in confesso est, Petrum unquam Romæ fuisse. Negavit peculiari libello Petrum Romæ fuisse Ulricus Velenus, cujus sententiam secutus est Salmasius in apparatu ad libros de primatu Papæ *p. 14. item p. 45. & seqq.* & Spanhemius in dissertatione de temere credita Petri in urbem Romanam profectione, quæ in quaternione dissertationum historici argumenti primum locum obtinet. Contra vero prædictum Veleni libellum refutandum suscepit Bellarminus *libr. 2. de Roman. Pontif. c. 5. & seq.* & Johannes Fischerus Roffensis Episcopus peculiari libro contra Velenum edito. Salmasii argumentis respondit Pearsonius *dissert. I. de succes. Pontif. Roman. c. 6. & seqq.* Spanhemium confutarunt doctissimus

simus Cave, qui vitis suis apostolicis appendicis instar adjecit vindicias adversus Spanhemium, & Larroquanus in præfatione ad Parentis sui adversaria, ubi Spanhemium oleum & operam perdidisse existimat, & inter alia animadvertit doctissimos Anglos Caveum & Pearsonium inter loca Patrum, quæ Petrum Romæ fuisse agnoverunt, insignem Lactantii locum in ejus libro de mortibus persecutorum occurrentem omisisse. Calvinus in suis institutionibus testatur, se non repugnare sententiæ, quæ Petrum Romæ mortuum asserit, sed in commentario ad epistolas Petrinas id plane negat, & constare ait, quod Petrus procul ab Italia mortuus fuerit, nisi quis finxerit, eum uno momento maria & terras transvolasse, quam Calvini sententiam exagitant Balduinus *in præfatione ad Optatum Milevitanum* & Lupus *in scholiis ad Tertullianum de præscript. pag. 571.* Lutherum jam bene potum in colloquiis mensalibus effutiisse, quod incertum sit Petrum Romæ fuisse, calumniatur Raynaudus *Tom. X. operum p. 262.* ubi eos, qui Petrum Romæ fuisse negant, non tam confutatione quam helleboro indigere judicat, & sententiæ illius Patronos frontis detritæ homines & pauperes spiritu appellat. Non est autem cur Raynaudus Luthero ob istam sententiam succenseat, cum inter ipsos Pontificios illam sententiam amplexi fuerint Aventinus *annal. Boicor. libr. 2. p. 82.* & Marsilius Ficinus *in defensore pacis dictione 2.* aliique. Plures autores, qui Petrum Romæ fuisse vel affirmant vel negant, suggerit Hanckius *de Scriptoribus Roman. libr. 2. p. 57. & seq.* ubi num Philo Judæus Romæ cum Petro amici-

 tiam

tiam iniecit, prolixe disserit. Nondum igitur, ut antea dixi, apud omnes in confesso est, Petrum Romæ fuisse. Acute Pöeta quidam:

An Petrus Romæ fuerit sub judice lis est,
Simonem Romæ nemo fuisse negat.

Et Taubmannus in schediasmatibus sacris ita canit:

In Latio Roma est, & in hac Simonius hæres,
An Petri, anne Magi Simonis ab asse relictus,
Theologi certant, & adhuc sub judice lis est.

II. Etsi autem Petrum Romæ fuisse magno consensu antiquitas doceat, a qua temere non recedendum puto, admitti tamen non potest, quod Petrus post Episcopatum Antiochenum per 25. annos Romanæ ecclesiæ episcopatum administraverit. Equidem Eusebii autoritate niti illa sententia videtur. Verum verba illa, quæ ex Eusebii chronico afferri solent, ab Hieronymo latino interprete Eusebio adjecta fuisse notavit Josephus Scaliger *in animadversionibus ad chronicon Eusebii pag. 189.* & Vedelius *de cathedra Petri lib. 2. c. 15.* Hieronymo autem opponi potest antiquior Lactantius *de mortibus persecutorum c. 2.* qui Petrum sub Nerone Romam venisse testatur, quam sententiam ex Pontificiis amplectuntur Stephanus Baluzius *in notis ad illum Lactantii locum*, & Pagi *ad A. C. 43.* Si autem probari non potest, Petrum per annos 25. Romanæ ecclesiæ Episcopum fuisse, frustraneæ sunt illorum speculationes, qui varias causas subtiliter excogitant, cur nullus Pontificum Romanorum post Petrum in hoc epi-

episcopatu tot annos transegerit? in quo argumento versatur Petrus Damiani *Tom. III. oper. opusculo 23. de brevitate vitæ Pontificum Romanorum*, Rodericus Zamorensis *in speculo vitæ humanæ*, & ex his aliisque autoribus de eodem argumento differens Raynaudus in tractatu de vitæ & mortis humanæ terminalibus *Tomo XIII. oper. p. 211.*

III. Porro Petrus etsi Romæ aliquandiu fuerit, Episcopus tamen Romæ non magis fuit, quam in aliis locis, ubi evangelium prædicavit. Non inficiamur Petrum, si Romæ fuit, illo tempore etiam Romanæ ecclesiæ episcopum fuisse, ea nimirum ratione, qua omnes Apostoli habitu & potestate totius orbis, actu vero illius urbis & provinciæ, in qua apostolico munere functi sunt, episcopi fuerunt, ut docet M. Antonius de Dominis *de Repub. eccles. libr. 1. c. 8. thes. 5.* item *libr. 4. c. 1. thes. 8.* Nec alio sensu Patres intelligendi sunt, qui Petrini in Roma episcopatus, aut sedis & cathedræ Petrinæ meminerunt, ut notat Dannhauerus *in christeid. p. 104.* Si autem vocabulum Episcopi juxta Romanæ curiæ stylum accipiamus, Romanus Petri episcopatus omni veritatis fundamento destituitur, sive plures sive pauciores annos illi tribuamus. Neque enim episcopatus ejus ex lignea cathedra probari poterit, quam in Vaticana basilica cum magna reverentia cultuque servari asserit Chimentellus *in marmore Pisano de honore bisellii c. 9. p. 84.* ubi etiam Alexandrum VII. deprædicat, qui illam Petri cathedram in aureo nummo repræsentavit, cujus una facies Alexandri VII.

effigiem & nomen, altera Petri cathedram ab eodem Pontifice instauratam, ornatam, & translatam exhibet cum hac inscriptione: *prima sedes, fidei regula, ecclesiæ fundamentum.* Plura de Petri cathedra suppeditat Franciscus Maria Phœbeus in tractatu de identitate cathedræ, in qua Petrus Romæ primum sedit, ex quo tractatu nonnulla excerpit, & lectoribus suis ridenda proponit Veielius in exercit. de variis sacræ œconomiæ generibus.

IV. Cum autem Pontificii Petrum Romanæ ecclesiæ Episcopum fuisse probare non possint, multo minus œcumenicum ejus primatum probare poterunt, cui ut alia argumenta jam taceamus, non parum obstat, quod Petrus a Paulo reprehensus referatur Gal. II, 11. Neque enim audiendus Clemens Alexandrinus, qui *libr. 5. hypotyposeon apud Eusebium libr. I. c, 12. histor. eccles.* non apostolum Petrum, sed quendam ex 70. discipulis a Paulo reprehensum scripsit. Sane ipsum Apostolum Petrum a Paulo reprehensum fuisse ex Scriptura clarum est, & multi ex Pontificiis agnoscunt, qui varias elabendi rimas quærunt, ut Petro primatus suus salvus relinquatur, quas obstruit Heideggerus *in dissertatione de Petri & Pauli contentione Tom. 3. dissert. 15.* ubi etiam Hieronymi & Augustini super hoc argumento contentionem exponit. Qua ratione autem Theodoretus hujus inter Petrum & Paulum contentionis historiam exposuerit, non constat, cum in ejus commentariis epistolæ ad Galatas illa secundi capitis pars, quæ Petrum a Paulo cordate reprehensum refert, omissa deprehendatur, quod malæ Pontificiorum fraudi

di imputat Petrus Allixius in expostulatione, quam libro 12. anagogicarum contemplationum Anastasii Sinaitæ in hexaemeron præmisit. Quemadmodum autem hallucinantur, qui Cepham Gal. II, 9. memoratum ab Apostolo Petro diversum faciunt: ita non minus errant, qui cum Anacleto in epistola decretali nomen Cephæ ἀπὸ κεφαλῆς, seu a capite derivari putant, & hoc argumento Petrum, qui etiam Cephas dictus est, ecclesiæ caput esse probare volunt, item qui nomen Cephæ petram quidem significare agnoscunt, interim tamen ex hac voce elicere contendunt, quod Petrus sit illa petra, cui Christus Matth. XVI, 18. ecclesiam superstructam asserit, quo argumento utitur Natalis Alexander *secul. I. diss. 4.* ad commune Patrum suffragium provocans. Verum parum sui memor Alexander *diss. 4. secul. 15. & 16.* longe plures Patres per petram, cui ecclesia superstructa est, Petri confessionem, vel etiam ipsum Christum intelligere agnoscit, & ecclesiæ firmitatem in fide & religione non a Petro & Romano Pontifice, sed a Christo dependere profitetur. Ex Reformatis hunc Matthæi locum pro Petri & Romanorum Pontificum primatu nihil facere, prolixe probant Casaubonus *exercitat. 15. sect. 12.* & Spanhemius *in vindiciis Matthæi sub finem libri 2. & sub initium libr. 3.* ut nostrates taceamus. Conferantur, quæ contra œcumenicum Petri & Romanorum Pontificum primatum disserunt Gerhardus *confess. cathol. Tom. 2. art. 3. cap. 1. & seq.* Chamier *panstrat. cathol. Tom. II. libr. 2. seq.* Forbesius *instruct. Theol. histor. libr. 15. & 16.*

V. Nec

V. Nec parum Petri primatui derogant, qui ex ipsis Pontificiis primatum Petri cum Paulo partiendum censent, quos inter præcipue nominandus est Antonius Arnaldus celebris superioris seculi Jansenista. Nec leve in hac controversia negotium facessiverunt bullæ papales, in quibus Pauli imago dextrum, Petri autem imago sinistrum locum occupat, quasi Paulus non modo Petro æqualis, sed etiam præferendus sit. Unde variæ causæ a variis excogitatæ sunt, cur Paulo dexter, Petro sinister locus adjudicatus fuerit. Et Raynaudus quidem *Tom. X. oper. p. 224.* dictum illud Christi allegat: *qui major est, fiat minor Luc. 22.* Idem addit Petrum cum Romæ velut in propria domo versetur, videri Paulum tanquam peregrinum accipere, eique honoris causa locum dextrum dare, quod inepte illustrat exemplo Christi ad Patris dextram collocati. Idem Raynaudus *ibidem p. 259.* non sine peculiari Dei providentia factum esse scribit, ut Paulus truncato capite martyrii palmam acciperet. Hoc enim ipso significatum putat, quod capite minor sit Petro, nec ut Petrus pro capite ecclesiæ agnosci debeat. Prolixius de illa controversia egi in dissertatione de origine controversiæ circa æqualem Petri & Pauli primatum per celeberrimum Jansenistam Antonium Arnaldum excitatæ, quæ quarta est in heptade dissertationum appendici dissertationis de hæresiarchis seculi apostolici & apostolico pxoximi subjuncta.

VI. Quemadmodum autem œcumenicus Petri primatus nullo modo probari potest: ita & Romanorum Pontificum successio in prima statim pontis

com-

compage corruit. Alii enim Linum, alii Clementem primum Petri successorem faciunt, alii Anacletum Clementi præponunt, alii postponunt, alii Anacletum eundem cum Cleto, alii a Cleto diversum faciunt, ut cæteras variorum autorum in designandis primis Petri successoribus differentias taceamus. Confer. Osiandri *centur. I. p. 127.* M. Anton. de Dominis *libr. 2. c. 3. de republ. ecclesiast. thes. 55.* Voetius *in desperata causa papatus p. 478.* Pearsonius *diss. 2. de success. Pontif. c. 1. seq.* Schelstratenus *antiquit. illustrat. Tom. I. chronologico, & in antiquitate illustrata Tom. I. p. 131. & seq.* Petrum ab Eusebio in chronicis Pontificem, Jacobum & alios tantum Episcopos nominari ridicula est observatio Naironi *in evoplia p. 265.*

VII Non Petro sed Jacobo minori Hierosolymitano Episcopo primatum quendam inter Apostolos tribuit Hesychius Presbyter Hierosolymitanus apud Photium *cod. 275.* Vocat enim Hesychius Jacobum novæ Hierosolymæ summum Ducem, Sacerdotem principem, Apostolorum caput, in capitibus verticem, in lampadibus supersplendentem, inter astra maxime illustrem. Porro Petrum prædicasse ait, sed Jacobum decrevisse. Et huic sententiæ favet etiam Clemens Alexandrinus libr. 6. hypotyposeon apud Eusebium ejusque interpretem Rufinum *libr. 2. c. 1. histor. ecclesf.* ubi Clemens ait, Petrum, Jacobum & Johannem etsi a Christo cæteris prælatos primatus tamen gloriam sibi non vindicasse, sed Jacobum minorem Apostolorum Episcopum fecisse.

VIII. Nullam esse in occidente ecclesiam, quæ non vel ab ipso Petro, vel ab iis quos Petrus ejusque successores miserunt, instituta sit, multi ex Pontificiis sibi persvadent, aliisque persuasum cupiunt, pro qua sententia frequenter allegant epistolam Innocentii I. ad Decentium, ut videre licet ex Bucherii *Belgio Romano libr. 5. c. 1.* Schelstratenii *dissertatione de autoritate patriarchali c. 2. thes. 5.* Quin etiam in gratiam hujus sententiæ ab Innocentio pronunciatæ Galesinius & Baronius multa in martyrologia sua intruserunt, quæ in antiquis martyrologiis non extabant, ut notavit Dallæus *tract. de usu Patrum p. 95.* Verum inter ipsos Pontificios Gulielmus Espencæus in commentariis & digressionibus ad posteriorem Pauli Timotheo inscriptam p. 442. illam Innocentii assertionem non uno modo claudicare asserit; neque pauca contra hoc Innocentii testimonium excipit Joh. Launojus *in dissert. de loco Sulpitii Severi p. 165.* E nostratibus de illa Innocentii epistola agit Ursinus *in tractatu de ecclesiarum Germaniæ origine & progressu libr. 2. c. 3.* ubi hanc Innocentii epistolam vel pseudepigrapham, vel interpolatam esse suspicatur, & Bebelius *in antiquitate ecclesiæ Argentinensis c. 2.*

IX. Divinum ac immobile S. Petri Apostolorum Principis circa omnium sub cœlo fidelium appellationes privilegium peculiari libro asseruit Christianus Lupus. Sed in toto ejus tractatu satis prolixo ne jota quidem talis privilegii legitur. Conferantur quæ contra hunc tractatum scripsit du Pin *in tractatu de*

de antiqua ecclesiæ disciplina differt. 2. Nec majori jure nititur jactatum Petri patrimonium, si Petri scapham scapham appellare velimus. Quod enim Petrus non habuit, dare non potuit, ait D. Bernhardus ad Pontificem Eugenium, & ipse Christus ad Apostolos ait: *Vos autem non sic,* Luc. XXII, 26.

X. Inter canones, quos in Synodo quadam Antiochena ab Apostolis sancitos fingit Turrianus *libr. 1. adversus Magdeburgenses cap. 25.* occurrit canon, quo Christi & servorum ejus imagines loco idolorum gentilium colendæ sanciuntur. Quem canonem tanquam maxime memorabilem Turrianus græce exhibet. Eundem canonem Severinus Binius tanti fecit, ut ex illis novem canonibus Antiochenis pseudapostolicis hunc solum, quem etiam in II. Synodo Nicæna act. 1. allegatum observat, in conciliorum suorum textu majusculis literis expressum posuerit, & notis illustraverit, in quibus idolum definit, quod sit falsa similitudo repræsentans id quod vere non est, ut cum gentiles proposuerunt statuas Veneris & Minervæ, quæ signa idola fuisse dicit, quia repræsentarunt Deos generis fœminini, quales Dii nec sint, nec esse possint, quæ verba deprompta sunt ex Bellarmino *libro 2. de reliquiis sanctorum, c. 5.* quasi vero Dii masculini generis essent, vel esse possent.

XI. Idem Binius prædictum canonem Antiochenum confirmat ex statua Christi ænea, quam mulier hæmorrhousa post sanationem suam ante domum suam erexisse memoratur a Sozomeno *libr. 5. hist. eccles. c. 21.* præter quem hujus statuæ mentionem faciunt

Nicephorus *libr. 10. hist. eccles. cap. 30.* Eusebius *libr. 17. hist. eccles. c. 18.* ubi ad basin hujus statuæ plantam salutiferam nasci solitam narrat, Philostorgius *libr. 7. c. 3. hist. eccles.* qui multa ab Eusebio prætermissa superaddit, Asterius in homilia de Jairo & muliere hæmorrhousa apud Photium *cod. 271.* Johannes Antiochenus cognomento Malala in chronographia sua, qui non ante hanc statuam a muliere positam narrat, quam ab Herode per supplices literas veniam ejus rei impetrasset, Johannes Damascenus *orat. 3. de imagin.* & alii. Verum totam illam narrationem de statua a muliere hæmorrhousa in memoriam accepti beneficii Christo posita falsa suspicione laborare, non contemnendis rationibus probat Dallæus *libr. 3. de cult. imag. c. 2.* Cum enim facultates illius mulieris per diuturnum morbum penitus exhaustæ fuerint, probabile non videtur, quod sumtus ejusmodi statuæ ponendæ necessarios ferre potuerit. Esto autem talem statuam ab hac muliere Christo positam fuisse, minime tamen statuarum & imaginum cultus inde probari posset. Sane fatetur Natalis Alexander *secul. 8. p. 627.* statuam illam non eo animo positam fuisse, ut coleretur, etsi addat, saltem usum imaginum apud Christianos hoc monumento probari posse, parum memor, quod *dissertatione 19. seculi I.* eam ipsam ob causam canonem Antiochenum a Turriano editum pseudepigraphum esse probaverat, quod imaginum & imprimis statuarum usus primis seculis incognitus fuerit. Hinc recte Casaubonus *exercit. 13. ad annal. Baronii sect. 38.* notavit, multos ista historia de statua hæmorrhousæ, quam primus Eusebius

bius memoriæ prodidit, contra mentem Eusebii abuti. Rosweido autem, qui in lege talionis adversus Casaubonum edita se ignorare dicit, quis illa statua abutatur, prolixe respondet Montacutius *in origin. eccles. part. 2. p. 86.* ubi inter alia Rosweidum exagitat & salse ridet, quod ex statua mulieris, quæ ita expressa erat, ut supplicantis more ad Christi genua provolveretur, exemplum mulieris statuam adorantis eliciat, quasi ipsa hæmorrhousa mulier coram statua Christi procubuisset.

XII. Cum autem historia statuæ ab hæmorrhousa, quam Johannes Antiochenus Veronicam, & Johannes Damascenus Berenicen appellat, erectæ falsitatis suspicione non careat, non magis fides habenda est illis Scriptoribus, qui Christi imaginem ab ipso Christo expressam, & una cum epistola ad Abgarum Edessæ Regem transmissam referunt, quod faciunt Evagrius *libr. 4. histor. eccles.* & majori fabularum apparatu Constantinus Porphyrogennetes *in tractatu de imagine Christi Edessena.* Fidem hujus historiæ penes Græculos esse cupit Simonius *in notis ad opuscula Gabrielis Philadelphiensis pag. 81.* Romanos autem cum Græcis hac superstitione certare multorum Pontificiorum scripta testantur, quibus nunc disquirendum relinquimus, num Genuenses hodie Edessenam illam Christi imaginem asservent, quibus hoc cimelium asserit Xaverius *in Evangelio Christi Persico p. 359.* an potius Roma hac imagine beetur, quod malit Aringhius *in Roma subterranea Tom. 2. pag. 231.* ubi inter autores mentionem hujus imaginis facientes perperam Eusebium

retulit. Quæ controversia non difficulter componi poterit, si cum Gretsero *in tractatu de imaginibus Christi manu non factis c. 6.* hanc imaginem per miraculum sæpius multiplicatam fingamus.

XIII. Simile commentum est, quod de Veronicæ sudario narrari solet, cui Christus, cum ad supplicium duceretur, impressisse dicitur. Etsi enim Gretserus in syntagmate de imaginibus Christi manu non factis hanc Christi imaginem Veronicæ sudario impressam, non minus ac imaginem Edessenam & aliam, quæ Camuliacensis dicitur, & quam a Gretsero non attingi Vir quidam doctissimus *in exercitat. de imaginibus Christi p. 59.* falso asserit, ut genuinam defendere conatus fuerit, nec non Abrahamus Bzovius *Tom. XIII. annal. eccles. ad A. C. 1216. n. 17.* ex Jacobo Grimaldo multorum Pontificum testimonia pro illo Veronicæ sudario collegerit, nondum tamen inter ipsos Pontificios convenit, sitne hæc imago eadem cum Edessena, quod Molanus asseruit *libr. 4. de imagin. c. 2.* an diversa, ut plerique statuunt, item num Veronica sit nomen mulieris, quæ Christo ad supplicium crucis eunti sudarium suum obtulit, an ipsum sudarium Veronica i. e. vera icon appelletur, quam sententiam defendit Mabillon *in Museo Italico p. 88. 89.* Multum etiam discrepare descriptionem hujus sudarii, qualis in evangelio Christi Persico p. 474. legitur ab ea, quam Chiffletius in tractatu de linteis Christi sepulchralibus exhibet *c. 34.* observavit Ludovicus a Dieu *in animadversionibus ad historiam Christi Persicam p. 620.*

XIV.

XIV. Eandem i. e. nullam fidem merentur imagines ſepulchralibus Chriſti linteis Veſontino & Taurinenſi impreſſæ, & in Chiffletii *criſi hiſtorica de linteis ſepulchralibus Chriſti c. 30. & ſequent.* delineatæ, item imago Chriſti, quæ a Nicodemo ſculpta perhibetur, & Athanaſii autoritate perperam defenditur. Etſi enim in latina narratione de paſſione imaginis, quæ ſub Athanaſii nomine inter ejus opera legitur, imago hæc a Nicodemo elaborata dicatur, in græco tamen textu & antiqua verſione latina, quam Lambecius tom. I. bibliothecæ Vindobonenſis publicavit, nulla Nicodemi mentio occurrit, & præterea hiſtoriæ illius autorem non eſſe Athanaſium quarti ſeculi Patrem Bellarminus *de Scriptoribus eccleſiaſticis p. 106.* & Baronius *in notis ad Martyrologium Romanum d. 9. Novembris* agnoſcunt, quibus Combefiſius *in auctario novæ BB. PP. græco-latinæ tom. 2. p. 660.* fruſtra contradicit. Si autem ejusmodi imagines vel a Luca pictæ, vel a Nicodemo ſculptæ, vel ab aliis artificibus ex metallo fuſæ, vel a Chriſto per miraculum expreſſæ fuiſſent, nullum tamen pro cultu imaginum argumentum exſculpi inde poſſet, cujusmodi argumentum etiam ex Petri umbra fruſtra Baronius quæſivit, ut animadvertit Pearſonius *in prælect. poſthumis ad acta p. 45.*

XV. Statum Monaſticum primo ſeculo fundatum fuiſſe Pontificii quidam non ſolum ex Dionyſio Areopagita aliisque pſeudepigraphis monumentis probare nituntur, ſed ſententiæ ſuæ præſidium etiam ex ſcriptis Judæorum & Gentilium arceſſunt. Nam quæ

Phi-

Philo in libro de vita contemplativa de Therapeutis tradidit, de Christianis ævi illius Monachis interpretantur. Et fatendum quidem est, quod veteres quidam Scriptores sub Therapeutarum nomine a Philone Christianos ecclesiæ Alexandrinæ a Marco institutæ describi & laudibus extolli censuerint, in qua persvasione Eusebium *libr. 2. histor. eccles. c. 16. & 17.* Epiphanium *hæres. 29. c. 5.* & Hieronymum fuisse deprehendimus, qui illam ipsam ob causam Philonem in catalogo suo inter Scriptores ecclesiasticos retulit. Et horum autoritate moti nonnulli e Reformatis eandem sententiam sequuntur, ut Thomas Bruno in dissertat. de Therapeutis, quam Colomesius una cum Clementis Romani epistolis ad Corinthios Londini publicavit, & Beveregius *libr. 3. c. 5. codicis canonum vindicati.* E Pontificiis autem hanc causam agunt Baronius *ad A. C. 62.* Bellarminus *de Monachis libr. 2. c. 5.* Natalis Alexander *secul. I part. 2. p. 280.* & imprimis Serarius *in Trihæres. libr. 3. c. 16. & seq.* item *in Minervali libr. 5. c. 23. seqv.*

XVI. Verum Judæos, non Christianos fuisse Therapeutas a Philone descriptos, probant Scaliger *in prolegomenis ad opus de emendatione temporum fol. 22. & libr. 6. p. 538.* & *in elencho trihæresii Serariani c. 29.* Hospinianus *de Monachis libr. I. c. 6.* Chamier *panstrat. cathol. Tom. III. libr. 20. c. 22.* Scultetus *Medulla Patrum part. 3. p. 205.* Dallæus *de jejunio libr. 2. c. 4.* Ligtfoot *Tom. II. oper. p. 852.* Dorscheus *indic. iniquitat. p. 83.* & ex Pontificiis Henricus Valesius in notis ad Eusebium in eo quidem a Scaligero dissentiens, quod The-

Therapeutas ab Essenis diversos faciat, in eo tamen cum ipso consentiens, quod Therapeutas Christianos fuisse neget, quam Valesii sententiam repetit Pagi *ad A. C. 64.* Nec desunt inter Pontificios, qui etsi Therapeutas a Philone descriptos religioni christianæ addictos affirment, eos tamen Monachos fuisse negant. Sane Papebrochius in tractatu de Patriarchis Hierosolymitanis, qui est præliminaris Tomi III. actorum Maji *parergo 2. fol. 5.* Philonem quidem e primis Alexandriæ Christianis a Marco institutis mala fide Judæos fecisse putat, eos tamen male sibi consulere existimat, qui Monachismum ab Elia usque ad Christi tempora per Essenos continuatum sibi persvadeant, non attendentes, quod Hegesippus apud Eusebium *libr. 4. c. 22.* Essenos inter septem Judæorum sectas Christo adversantes retulerit, nec attendentes, quod Hieronymus ante Hilarionem nullos in Syria Monachos fuisse scripserit.

XVII. Autoribus hactenus allegatis addere placet ex Pontificiis Lucam Holstenium, qui in præfatione ad codicem regularum observat, Essenos, quorum Hebræi meminerunt, ut & illos, quos Philo libro proprio describit, multis differentiis a Monachorum instituto discrepasse, & ex monumentis quæ supersunt vitæ regularis initia Constantini M. ætati deputanda esse, cujus sententiam quoad initia vitæ monasticæ approbat & ex actis Pachomii confirmat Papebrochius *in dissertatione prævia ad acta S. Pachomii Tom. III. Sanctorum Maji p. 293.* E Reformatis lubet addere Claudium Salmasium, qui in exercitationibus Plinianis ad

Solinum *Tom. I. p. 431.* concedit quidem Essenos veteres post Christi adventum aliquid forte e christiana doctrina hausisse, interim tamen eos nugari censet, qui eos in totum Christianos fuisse asserere audent, licet se autoritate veterum quorundam Patrum tuerentur, item Isaacum Vossium, qui in chronologia sacra p. 165. & 166. eos quidem propius a vero abesse judicat, qui Essenos fere Christianos fuisse credunt, quam qui eos præcipuos Christianorum hostes fuisse contendunt, non tamen refragatur, si quis illorum Patrum testimonia, qui Essenos Christianis adnumerarunt, non admittat. E nostratibus juvat addere Chemnitium *ex parte 4. Examinis concil. Trident. p. 776.* ubi quidem non repugnat, Christianos fuisse Therapeutas a Philone descriptos, sed tamen Christianos illos judaizantes fuisse asserit, & ritus a Philone delineatos non ex Apostolorum & Marci instituto, sed ex Judaismo ortum habuisse affirmat, in qua sententia faventem habet Sozomenum, qui *libr. I. c. 12.* scribit, Philonem videri describere Christianos sui temporis, qui ex Hebræis conversi adhuc judaico more vivebant. Quin & ab ipso Paulo *Coloss. II, 16. & seqv.* Christianos illos judaizantes describi, collatis inter se Pauli & Philonis verbis, magnus ille Theologus probare nititur. Antiquis autem Scriptoribus, qui Essenos religioni christianæ addictos fuisse negant, addi poterunt Nilus *in asceticis cap. 3.* & Philastrius *de hæres. c. 9.*

XVIII. Non solum autem ex Judæis, sed etiam ex gentilibus Scriptoribus Pontificii quidam probare conantur, quod monasticus status primo ecclesiae

cle-

clesiæ seculo ignotus haud fuerit. Cum enim Suetonius *in vita Vespasiani c. 5.* refert, eum apud Judæam Carmeli Dei oraculum consuluisse, quod prolixius a Tacito refertur *libr. 2. annal. cap. 78.* narrante, fuisse in Judæa & Syria montem Carmelum Deum, ibique Vespasiano sacrificanti cum spes occultas animo versaret, Basilidem Sacerdotem inspectis extis prospera quæque ex voto eventura prædixisse, nonnulli Pontificii Scriptores ex isto Sacerdote gentili & aruspice Monachum & Cœnobiarcham Carmeliticum fecerunt, ac oratorium quoddam sub invocatione Deiparæ ab Apostolis in monte Carmelo consecratum, adeoque verum veri Dei oraculum ibi extitisse finxerunt. Verum quam absurdi sint Carmelitæ, cum ordinis sui ab Elia continuam in monte Carmelo successionem præsumentes historiam profanam, quæ tota ad aruspicum disciplinam pertinet, ad suum ordinem traxerunt, notavit Papebrochius in vita Alberti Patriarchæ Hierosolymitani præmissa Tom. 3. Sanctorum Maji *parerg. XI.* ubi etiam autores quosdam Hispanicos de illo argumento agentes allegavit, observans nihil amplius in historia a depravatione tutum fore, si ex falsis præjudiciis Autores ad alienum sensum torquere liceat, & Carmelitas potius officere quam consulere suo ordini, si illi tam debilia fulcra substernant, quæ a viris prudentibus non possunt non contemni.

XIX. Si Dionysius Areopagita apostolica ætate vixisset, posset ex ejus scriptis probari, quod chrisma jam primo seculo in baptismo usitatum fuerit. Cum

vero Scriptor ille sit multo recentior, frustra Jeremias Patriarcha ejus testimoniis pro chrismatis antiquitate utitur, quæ refutant Tubingenses tam *in primo responso ad Jeremiam p.174.* quam *in secundo p.315.*

XX. Eucharistiam quoque infantum primo seculo usitatam fuisse probari posset, si Dionysius Areopagita Apostolis coætaneus fuisset. Verum illa ipsa ritus hujus in Dionysii scriptis mentio eum apostolico ævo juniorem esse demonstrat, cum eucharistia infantum tertio demum & sequentibus seculis invaluerit, cujus vestigia sua adhuc ætate in patria sua Lotharingia observavit Wolffgangus Musculus *Loc. Commun. p. 471.* qui & ipse infantes ab Eucharistia non arcendos esse aliquot argumentis probare contendit. Eundem ritum in magna Bohemiæ & Moraviæ parte viguisse refert Vadianus *de eucharistia p.14.* qui etiam adhuc in ecclesiis nonnullis obtinet, ut apud Græcos, de quibus videri potest Jeremias Patriarcha *respons. 1. ad Tubingenses p.85.* apud Armenos, quos eo nomine reprehendit Galanus *Conciliationis ecclesiæ Armenæ cum Romana part. 2. p.589.* apud Jacobitas, de quibus conferri potest Josephus Abudacnus *histor. Jacobit. cap. 9.* apud Abyssinos & alios memoratos a Ludolfo *comment. rerum Æthiopic. pag.373.* Verum primis ecclesiæ seculis eucharistiæ usus aliis concessus non fuit, quam qui per ætatem semetipsos probare possent, quam probationem ab omnibus ad eucharistiam accessuris exigit Apostolus 1. Cor. XI,28.

XXI. Con-

XXI. Congregationem Crucigerorum in Italia nunc extinctam a Cleto Apostoli Petri discipulo primo statim seculo institutam fuisse, Scriptores illius Congregationis gloriati sunt. Verum Papebrochius *in responsione ad exhibitionem errorum Sebastiani a S. Paulo art. 2. pag. 50.* ad hos applicari posse scribit verba Baronii ad A.C. 444. *flagrans cupido nobilitatis avitæ*, ut & antiquitatis, *cogit interdum homines delirare.* Altius enim origo istorum Crucigerorum repeti non potest, quam a seculo 12. Latinis in terra sancta dominantibus. Equidem Scriptores dictæ congregationis se a Cleto institutos, & ab Alexandro III. reformatos esse jactant, idque probari posse putant ex Bulla Gregorii XIV. A. 1591. data, in qua Pontifex præfatus, quod Magister generalis & Fratres congregationis Cruciferorum exponi sibi fecerint prædictam congregationem per S. Cletum institutam & per Alexandrum III. reformatam fuisse. Verum verba ista non esse ipsius Pontificis Gregorii, sed tantum referre assertum supplicantium idem Papebrochius notavit.

XXII. Lino, quem nonnulli ante Cletum, nonnulli post Cletum cathedræ Romanæ præfuisse scribunt, inter varios ritus, qui ab ipso instituti perhibentur, adscribitur etiam pallium pontificale, de quo prolixe agit Andreas du Saussay in tractatu *de mysticis Galliæ Scriptoribus pag. 188. & seqv.* ubi exponit autorem pallii pontificalis, quem neque Petrum, neque Clementem, sed Cletum fuisse asserit, originem pallii, materiam & formam pallii, pallii significationem, pallii petitionem, pallii concessionem, autoritatem pallii,

defectum pallii, ordinarium & extraordinarium pallii usum, multiplicitatem pallii, & denique ejusdem pallii pontificalis singularitatem. Verum tale pallium a Cleto institutum, & primo statim seculo in usu fuisse, credant quibus cum ratione insanire lubet. Nobis nihil absurdius videtur scribi dicive potuisse.

XXIII. Idem judicium ferendum est de ritu benedictionis episcopalis in sacris mysteriis, quem Martiali Lemovicensi deberi idem Andreas de Saussay in prædicto tractatu tradit *pag. 302. & sequent.* ubi gravissime invehitur in Petrum Molinæum, quod Dei amicos & æternæ felicitatis candidatos nec divos nec vivos esse sinat, dum Martialem Lemovicensem frustra in cœlum evehi scribit, quem ne quidem in terris unquam ambulasse credit. Quicquid autem sit de existentia Martialis Lemovicensis, probari tamen vix poterit, quod ævo apostolico vixerit, & multo minus, quod ævo apostolico ritum benedictionis apostolicæ in sacris mysteriis introduxerit. Scriptorum enim illorum, quos pro hac sententia allegat, autoritas tanti non est, ut fidem illis adhibere cogamur.

XXIV. Refert Clemens Alexandrinus in libello de divitum salute, quod Johannes Evangelista juvenem a se conversum signaculo Domini velut apposita custodia communiverit, per quod signaculum Christophorsonus latinus Eusebii interpres, apud quem illa historia repetitur, sacramentum confirmationis intellexit. Nec desunt alii inter Pontificios, qui ex hac hi-

historia probari posse confirmant, sacramentum confirmationis apostolico ævo non incognitum fuisse, ut Arcudius *libr. 2. de concord. eccles. orient. & occident. c. 4. p. 76.* Menardus *in notis ad Gregorii Sacramentarium, p. 110.* aliique. Nec repugnat e nostratibus Dannhauerus *in Christeide p. 952.* confirmationem jam a primis ecclesiæ incunabulis baptismo additam fuisse, modo non ut sacramentum, nec cum tali effectu, qui illi a Romanensibus affingitur, addita dicatur. Verum hic Clementis Alexandrini locus nos non cogit, ut confirmationem Apostolis coævam statuamus. Nam per signaculum Domini non incommode baptismi sacramentum intelligi potest, cum sæpe apud Patres baptismus signaculum Domini nominetur, & hanc significationem hoc etiam in loco obtinere non dubitent Valesius *in notis ad Eusebium*, Combefisius *in notis ad homiliam Anastasii*, Halloixius *in notis ad vitam Polycarpi p. 570.* & plures alii. Cæterum Clementem jubente Petro in baptismo oleum seu chrisma addidisse nugatur Honorius *in gemma animæ libr. 3. c. 106.*

XXV. Primi seculi ministros ad cœlibatum astrictos nondum fuisse vel ipsa Apostolorum exempla docent, e quibus Petrum uxoratum fuisse docet Scriptura Matth. VIII, 14. 1. Cor. IX, 5. Unde B. Dilherrus, cum ipsi Jesuita Bisselius, quem Noribergæ in loco bibliothecæ publicæ frugali convivio excipiebat, conjugium exprobraret, conjugium suum Petri, Pauli aliorumque Apostolorum exemplo tueri non omittebat, Bisselio autem Pauli conjugium negante ad B. Ignatii te-

testimonium provocabat. Et quanquam Bisselius tale quid ab Ignatio scriptum esse capitis sui optione spondere auderet, Dilherrus tamen ad codicem Ignatii aliquot ante reformationem annis scriptum accurrebat, locumque evolvebat, & Bisselio monstrabat, qui loco hoc perlecto attonitus & confusus, forte a quodam veterem manum mentito nomen Pauli additum causabatur. Verum Dilherrus subridens captus es, ajebat, & caput tuum jam in mea potestate est, quod tamen iterum tibi dono, ea conditione, ut neminem unquam majus donum tibi obtulisse agnoscas. Putabunt forte me hic non veram historiolam, sed fabellam narrare, qui Celeberrimi Wagenseilii commentationem de illustri S. R. I. civitate Noribergensi legerint. Postquam enim p. 78. verba Oldenburgeri ex parte 4. thesauri rerumpublicarum allegaverat; *inspici ibi* (nempe in publica Reipubl. Noribergensis bibliotheca) *meretur Manuscripta S. Ignatii ad Philadelphienses epistola, in qua scribit S. Paulum ut reliquos Apostolos fuisse uxoratos*, levem & inanem hanc esse Oldenburgeri observationem Wagenseilius subjicit, cum non reperiatur in hac bibliotheca Manuscriptum epistolarum Ignatii exemplar, sed sola Plantiniana editio, cui in loco, quem Oldenburgerus respicit in margine ab aliquo ascriptum est: *Pauli nomen in antiquissimis codicibus Anglicanis, & aliis non extat: unde doctissimi plerique oscitantiæ sciolorum aut scribarum censent assumentum.* Verum in hunc usque diem Manuscriptum epistolarum Ignatii exemplar in Noribergensi bibliotheca asservari ex ore testium αὐτόπτων & ἀξιοπίστων cogno-

gno-

gnovi, unde Wagenseilium cimelia hujus bibliothecæ oculis non satis vigilantibus perlustrasse oportet. Verissima autem esse, quæ de Dilherro & Bisselio narravi, non dubitare me sinunt amici, qui ex ore Maxime Reverendi Dn. Conradi Feuerlini Bibliothecarii Noribergensis, & schedula, quam B. Dilherrus scriptam reliquit, certiorem me fecerunt. Sed hæc obiter.

XXVI. Peculiari habitu sacerdotali Apostolos usos fuisse probare nonnulli solent exemplo Jacobi Episcopi Hierosolymitani, cui soli ingressum in sancta sanctorum licuisse, cum veste non lanea sed linea usus fuerit, tradit Hegesippus apud Eusebium *histor. eccles. libr. 2. c. 23.* Verum ista Hegesippi de Jacobo narratio fabulis quam veritati propior videtur. Nec magis probabilis est traditio, quæ hunc Jacobum bractea in capite ornatum sistit, cujus traditionis post Clementem Alexandrinum & Eusebium meminit Epiphanius *hæres. 29. c. 4.* & *hæres. 78. c. 14.* ut & Hieronymus *in commentar. epistol. ad Galatas*, ubi hæc Jacobi bractea aurea & in fronte collocata fuisse dicitur. Simile capitis ornamentum & insigne gestasse Apostolum Johannem memorat Polycrates in epistola Synodica ad Victorem apud Eusebium *libr. 5. hist. eccles. c. 24.* & Hieronymum *catalog. script. eccles. c. 45.* Et Stephanus quidem le Moyne *in not. ad var. sacra p. 25.* metonymice verba Polycratis explicat, quasi Johannem summi alicujus Pontificis instar intima divinorum mysteriorum adyta penetrasse dixerit. At Valesio in notis ad Eusebium credibile videtur, primos christianorum Pontifices mo-

re judaico tale honoris insigne gestasse, quod etsi Marci & Jacobi exemplo probare contendat, plane tamen incredibile videtur. Præter Valesium nimis liberalis est Baronius, qui non Johannem modo & Jacobum, sed cæteros etiam Apostolos his insignibus uti consvevisse præsumit. Sed causam nullam indicavit, cur par sit id credere, neque aliunde aliquam indicari posse arbitror. Pallium Pauli 2. Timoth. IV, 13. ad consuendum habitum aliquem sacerdotalem, non magis aptum est, quam ejus zona vel calcei aliaque vulgaria, quibus usus est, vestimenta. Non enim omnia, quæ Apostoli gestarunt, ad Sacerdotalem habitum referenda sunt, nisi & gladius, quo Petrum cinctum fuisse legimus, sacerdotalibus insignibus annumerare velimus.

XXVII. Ritum sacrarum lectionum primo seculo viguisse non opus est ut ex Jacobi liturgia, vel constitutionibus apostolicis aliisque suppostitiis & interpolatis scriptis probemus, cum non desint certiora & meliora argumenta, quæ ipsa Scriptura S. suppeditat, qua de re in erudita Nobilissimi Tenzelii dissertatione de ritu lectionum sacrarum plura videri poterunt.

XXVIII. Solennem doxologiæ formulam: *gloria sit Patri & Filio & Spiritui S.* jam ab Apostolis traditam fuisse, eosque errare, qui ex Theodoreto & aliis Scriptoribus probare satagunt, quod hæc doxologia a Flaviano Monacho instituta fuerit, sententia est Cardinalis Bonæ *in Psalmodia c. 15. §. 6. & libr. 2. rerum liturgicarum c. 3.* Verum hanc doxologiæ formulam

to-

totidem verbis ab Apostolis præscriptam nusquam traditur; etsi fundamentum hujus doxologiæ in S. Literis inveniatur.

XXIX. Excommunicationis frequens in canonibus apostolicis mentio occurrit, quæ plerumque per ἀφορισμὸν describitur, & imprimis laicis delinquentibus dictatur. Clericis enim delinquentibus καθαίρεσις in his canonibus pœnæ loco injuncta fuit, ita ut a fungendis sacris ministerii arcerentur, & ad laicorum ordinem redigerentur. Nonnunquam autem καθαίρεσις cum ἀφορισμῷ conjungebatur, sicut canone 64. introeuntes in Synagogam Judæorum vel hæreticorum ad orandum & depositione & segregatione multantur. Qui canon canoni 25. contradicere videtur. Decernit enim ille canon, ut Episcopus vel Presbyter vel Diaconus fornicationis vel perjurii vel furti convictus deponatur, non item segregetur, cum Scriptura dicat; *non vindicabis bis in id ipsum.* Etsi autem excommunicationem ab ipsis ecclesiæ incunabulis usitatam fuisse ex canonibus apostolicis quippe pseudepigraphis probari non possit, ipsa tamen Scriptura docet, Apostolorum ætate pertinaces & incorrigibiles peccatores in excommunicationis pœnam incidisse, ut patet ex incestuoso Corinthio 1. Cor. V, 5. & hæreticis Alexandro & Hymenæo 1. Timoth. I, 20.

XXX. Vigilias christianas ætati apostolicæ originem debere tradit Cassianus *libr. 3. c. 8. & 9.* cui non refragamur, si de vigiliis agatur, quas persecutionis tempora exegerunt. Nam ob gravissimas persecutio-

nes cœtus antelucani instituebantur, qua occasione etiam cerei & luminaria in cœtibus ecclesiasticis adhibita fuerunt, qualia per diem tum temporis accensa non fuerunt.

XXXI. Frequentem in primitiva ecclesia communionem Apostolorum aliorumque illius ævi fidelium exemplo probat Jesuita Petrus de Sesmaison, cum Act. II, 42. de illis legatur, quod perseveraverint in oratione & fractione panis. Contra Antonius Arnaldus in tractatu de frequenti communione statuit, per intervallum 10. dierum ab ascensione Christi usque ad pentecosten Apostolos aliosque fideles numero 120. ab eucharistia abstinuisse ut tremenda mysteria dignius celebrarent. Id autem Arnaldus ex eo probari posse arbitratur, quod Lucas rem illam Act. I, 14. narrans, dicat tantum eos perseverasse in precibus nec quicquam de eucharistia addat. Verum quam infirma sit illa consequentia, docet Petavius *libr. 3. de pœnitentia publica c. 17.* Nam etiam Lucas refert, Petro in vincula conjecto ecclesiam pro Petro sine intermissione ad Deum orasse Act. XII, 5. Quis autem inde colligat, cum nulla mentio eucharistiæ addatur, ecclesiam Hierosolymitanam tum ab omni eucharistiæ usu abstinuisse?

XXXII. Si genuina essent scripta canones apostolici, constitutiones apostolicæ, Clementis Romani epistolæ decretales, Dionysii Areopagitæ opera, Prochori historia Johannis, Abdiæ historia apostolorum aliaque ejus generis monumenta, magna adhuc variorum circa baptismum, circa eucharistiam, circa sepultu-

turam, aliorumque rituum seges recensenda esset. Verum cum scripta, quæ primo seculo assignari solent, pleraque sint pseudepigrapha, veri primi seculi ritus ex Scriptura Sacra novi fœderis addiscendi erunt.

CAPUT V.

De
Hæresibus primi seculi.

I.

DE Hæresiarchis ævi apostolici & apostolico proximi, seu primi & secundi seculi peculiarem dissertationem ante annos octodecim edidi, ejusdemque dissertationis appendicem seu supplementum ante annos duodecim adjeci. Et primi quidem seculi hæreses in ista dissertatione ejusque appendice a DOSITHEO auspicatus sum, de quo varii Autores Pseudo-Clemens, Tertullianus, Origenes, Eusebius, Pacianus, Epiphanius, Chrysostomus, Pseudo-Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Vigilius Tapsensis, Sophronius, Damascenus, Photius, Theophanes Cerameus, Theophylactus, Nicetas Choniates, Nicephorus, autor Chronici Samaritani ab Abrahamo Ecchellensi in notis ad catalogum Hebed Jesu allegatus, aliique varia & ea quidem minus inter se conve-

nientia tradiderunt. Possunt autem ea, quæ in speciem pugnant, juxta Cotelerium *in notis ad constitut. apostol. libr. 6. c. 8.* levi negotio conciliari, si duo Dosithei hæresiarchæ admittantur, quorum unus ante Christum natum, alter post Christi ortum vixit. Idem Cotelerius de Philastrio observat, quod per errorem veteri Dositheo tribuerit, quæ recentiori tribuenda erant, item de Theodoreto & Sophronio, quod minus accurate Dositheum & Dositheanos Simoni & Simonianis postposuerint, cum Dositheus & Dositheani præponi debuissent.

II. Alia circa ordinem Simonis Magi & Dosithei sententia est Laurentii Cozzæ a Laurentio Ordin. Minor. Regularis Observantiæ Lectoris Jubilati, Diœcesis Viterbiensis Examinatoris Synodalis, & Sacræ Congregationis indicis Consultoris, qui anno superiori 1707. commentariorum suorum historico-dogmaticorum in libellum Augustini de hæresibus partem primam Romanis typis divulgavit. Is enim primo statim capite pag. 2. me hallucinatum opinatur, quod inter hæresiarchas ævi apostolici non Simonem Magum, sed Dositheum in fronte collocaverim, cum tamen longa præscriptione Simon Magus primum inter hæreticos primitivæ ecclesiæ locum teneat. Verum operæ pretium non est, ea de re multum litigare. Interim a meis partibus stant antiquissimi veterum hæreseon Scriptores Hippolytus & Irenæus, ex quo sua Hippolytum depromsisse non dubitat Dodwellus *dissert. ad Irenæum p. 480.* sive Irenæus in opere διαλέξεων pridem perdito hoc argumentum tractaverit, sive Hippolytus, quæ de

Do-

Dositheo scripsit, ex ore differentis Irenæi exceperit. Imprimis autem in eo me exorbitasse Cozza statuit, quod Dositheum inter illos hæresiarchas agmen ducere velim, qui post Christum fuerunt. Atqui ipse Cozza testimoniis a me allegatis convictus, diffiteri non potest, etiam post Christi adventum Dositheum aliquem hæresiarcham fuisse. Quid igitur impedit, quo minus hic Dositheus inter hæresiarchas seculi primi primum locum obtinere potuerit? Agnoscit Clementem Romanum in recognitionibus & homiliis Simonem Magum pro Dosithei discipulo venditare. Cur autem Dositheana secta Simonianam non antecedere potuerit, nullam plane causam, quæ sit alicujus ponderis, a Cozza adductam video, etsi particulas *forte* & *videtur* vel decies repetat.

III. Quomodo uterque Dositheus ratione temporis, dogmatum, dictorum & factorum accurate distinguendi sint, definire non audeo. Sufficiat summam eorum, quæ vel de seniore vel de juniore Dositheo referuntur, breviter recensere. Dositheum ergo Samaritanum se pro Christo a Prophetis prædicto venditasse, tradit Origenes *tract. 27. in Matthæum*, item *libr. 1. contra Celsum p. 44. & libr. 6. p. 282.* Quod dogma etiam ejus discipuli tenuerunt, quippe qui oraculum Mosaicum de magno Propheta excitando non in Jesu Nazareno, sed in Dositheo impletum somniarunt, ut patet ex synodali decreto Eulogii Alexandrini apud Photium *biblioth. cod. 230.* Ex eodem synodali decreto patet, Dositheum Prophetis & Judæ Jacobi filio minus æquum

æquum fuiſſe, ſibi vero ipſi omnia vaticinia & divinitatem arrogaſſe, ſacros codices variis corruptelis adulteraſſe, eorumque loco alios libros portentoſos conſarcinaſſe, reſurrectionem negaſſe, mundum incorruptibilem, animam corruptibilem ſomniaſſe, & nullum aliud dæmonum genus quam idola ſtatuiſſe. Habita autem eſt illa Synodus non ſub Marciano, ut in Photii bibliotheca græca pariter & latina vitioſe legitur, ſed anno ſeptimo Mauritii ſeculo poſt Chriſtum natum ſeptimo, ut obſervavi *in diſſert. de hæreſiarch. ſect. I. p. 23.* Cujus conjecturæ me tanto minus pœnitet, quia poſtea, cum jampridem illa ſcripſiſſem, in Reineſii varias lectiones incidi, quæ *libr. 3. p. 353.* meam ſententiam confirmarunt.

IV. Quam ſuperſtitioſe Doſitheus circa ſabbathi cultum ſe geſſerit, refert Origenes *περὶ ἀρχῶν libr. 4. c. 2. & Philocalia c. I. p. 36.* Statuerunt enim Doſitheani, quod unus quisque quo habitu, quo loco, qua poſitione in die ſabbathi fuerit inventus, ita ad veſperam manere debeat, ſi ſedens, tota die ſedeat, ſi jacens, tota die jaceat. Idem *in commentario ad Johannem Tom. II. Orig. Huet. p. 219. 220.* Doſitheanos Magiſtri ſui libros circumtuliſſe, ejusque immortalitatem variis rumoribus jactaſſe refert. Quæ autor chronici Samaritani de Doſitheo refert, nempe quod textum Scripturæ Samaritanum corruperit, ſummus autem Pontifex nepotem ſuum Levi & alios decem miſerit, qui Doſitheum una cum adulterato codice ad ſe afferrent, tum Levi ejusque ſocii in hoſpitio abſentis Do-

Dosithei vetulæ alicujus suasu in piscina aliqua laverint, & post illam lotionem repentina mutatione ad Dosithei hæresin conversi fuerint, Pontifex autem ubi id comperit ira inflammatus, statim aliquos miserit, qui apostatas occiderent, & codicem flammis comburendum afferrent, sed omnes uno Levi, qui occisus est, excepto fuga elapsi fuerint, & postea indusium occisi proprio sanguine fœdatum una cum codice in arca recondiderint, nec ulli hoc cimelium nisi post exactum septem dierum jejunium exhibuerint, Dositheus autem in montem se contulerit, ibique delitescens fame & siti perierit, hæc inquam omnia, quæ ex Abrahami Ecchellensis notis in catalogum Hebed Jesu repetere placuit, meras redolent fabulas.

V. Refert Vigilius Tapsensis *dialogo I. contra Arianos* sub Athanasii nomine scripto, Dositheum & quosdam alios veteres hæresiarchas occasionem dedisse, ut qui discipuli hactenus dicti fuerant, Christiani dicerentur. Cum enim veros inter & falsos Christi discipulos nulla esset discretio, & omnes discipuli sive Christi sive Dosithei, sive Cephæ, sive Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Johannis sectatores uno discipulorum nomine censerentur, tunc Apostoli Antiochiam convenientes omnes discipulos novo nomine Christianos appellarunt. Verum id veritati minus convenit, quod omnium Sectariorum discipuli promiscuo discipulorum nomine confusi fuerint, & neque inter semetipsos, nec a Christianis distincti fuerint. Dositheum a discipulo suo principatu dejectum esse refer-

Kk tur

tur in conſtitutionibus apoſtolicis *libr. 6. c. 8.* Idem narratur in recognitionibus apoſt. *libr. 2. p. 31. 32.*; ubi refertur Doſitheum triginta diſcipulos pro numero dierum menſis, & mulierem quandam nomine Lunam in conſortio ſuo habuiſſe, deinde vero uni ex triginta illis defuncto Simonem ſurrogatum Lunam illam deamare & magiſtro ſuo derogare cœpiſſe, eamque ob cauſam aliquando virga fuiſſe correptum, cum vero virga per corpus Simonis tanquam per fumum tranſiiſſet, ſtupefactum in terram cecidiſſe & ipſum adoraſſe.

VI. Doſithei conterraneus & coætaneus *Simon Magus* oppido Samariæ Gittha prognatus præſtigiis ſuis magicis apud Samaritanos magnum ſibi nomen acquiſivit, omniumque ora in ſe convertit, ita ut non modo tenuioris fortunæ homines, ſed etiam in maximis dignitatibus conſtituti digito ipſum monſtrarent, dicentes: *hic eſt ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ μεγάλη, virtus Dei magna.* Ita enim oculos & animos ipſorum faſcinaverat, ut aliquid humano majus in ipſo animadvertere viderentur. Contigit autem, dum Philippus evangelium in urbe Samaria prædicaret, nec pauci civium relicto Simone Philippi concionibus adhærerent, ut etiam Simon Magus accepto baptiſmi ſigillo Chriſtianis adderetur. Sed nova hæc quam iniit, vel ſaltem præ ſe tulit, vita adeo diuturna non fuit, ut avaritiæ & ambitionis ſtimulis agitatus ſtatim ad vomitum redierit, & poteſtatem Spiritus S. chariſmata conferendi oblata Apoſtolis pecunia ambiverit, quo facto graviſſimam Petri cenſuram incurrit. Et hæc quidem

ex Sacra Scriptura de Simone Mago constant Actor. VIII, 5.

VII. Si Tertulliano fides *libr. de anima c. 34.* Simon Magus eadem pecunia, qua Spiritum S. licitari ausus fuerat, ex loco publicæ libidinis scortum redemit. Hoc Simonis Magi scortum nonnulli Selenen, alii Lunam, plerique Helenam appellant. Celsus apud Origenem *libr. 5.* cum Helena Helenum conjungit, cum ait, *Simonianos Helenam, vel Præceptorem Helenum venerari* quod juxta Spencerum *in notis ad h. l.* jocandi causa ab ipso dictum est, quasi Helena, quam Simon Magus circumduxit, & vates ille antiquus Helenus & nomine & arte convenirent. Cæterum quomodo hæc Helena, quam Simon primam animi sui conceptionem & intentionem appellavit; a primo Patre suo Simone egressa, & ad inferiora lapsa, cum angelos mundi opifices creasset, ab iisdem detenta, in varia muliebria corpora transmigraverit, & Trojani belli tempore illa ipsa Helena fuerit, quæ Trojanis perniciem attulit, & quomodo Simon ut ovem illam perditam quæreret, eamque ab angelicis potestatibus liberaret, & per sui cognitionem universo generi humano salutem afferret, forma fallendis angelis idonea descenderit, ex Irenæo, Theodoreto & aliis repetere supersedeo. Cujusmodi autem mysteria sub ista Helenæ historia occultari putet Bolducius Ordinis Capucinorum in tractat. *de ecclesia post legem c. 5. & 6.* dixi *in appendice ad differt. de hæresiarch. p. 5.* Alia ænigmata in historia Simonis Magi & Helenæ quærit & explicat Joh.

Henricus Horbius in disputatione philosophica de ultima origine hæreseos Simonis Magi.

VIII. Varias contra Deum blasphemias evomuisse Simonem Veteres testantur. Quales autem illæ fuerint, non omnes plane per omnia consentiunt. Et Epiphanius quidem refert *hæres. 21.* Simonem Helenæ suæ epitheton Spiritus S. sibimet ipsi autem nullum plane tribuisse, quod ab Epiphanio dictum Petavius *in not. ad h. l.* miratur, cum Simonem tot nomina habuisse alii prodiderint. Certe apud Hieronymum *in c. 24. Matthæi* dicit Simon: *ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego Paracletus ego omnipotens, ego omnia Dei.* Idem se in Samaria ut Patrem descendisse, in Judæa ut Filium, in reliquis gentibus ut Spiritum S. apparuisse gloriatus est, ut Irenæus *libr. I. c. 20. adversus hæres.* testatur, ubi & hoc addit, quod Simon se sublimissimam virtutem dixerit, h. e. eum qui sit super omnia Pater, & sustinere se quocunque nomine vocari. Conferatur etiam Irenæus *libr. 2. c. 9.* ubi dicit: Simonem Magum dixisse, *semet ipsum esse super omnia Deum.* Idem Simon juxta Augustinum *de hæres. c. 1.* dixit, se in monte Sinai legem dedisse in Patris persona Judæis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea in linguis igneis ut Spiritum S. super Apostolos venisse. Hinc ergo quærit Petavius, ut paulo ante dictum est, quid velit sibi Epiphanius cum negat, Simonem ullam sibi appellationem indidisse, qui tamen omnia trium Personarum nomina sibi vindicavit, & se sublimissimam Dei virtutem professus est?

Re-

Respondet Cotelerius *not. ad græc. monument. Tom. I. p. 763.* Simonem quidem Magum Helenæ peculiarem appellationem tribuisse, sibi vero generalem magnæ virtutis Dei, adeo ut cum certa & determinata multa nomina & epitheta daret Helenæ, sibi nullum definiret, sed infinita assumeret. Nullum enim determinatum nomen sibi dabat, qui se omnibus parem censebat.

IX. Hanc Cotelerii sententiam a me in dissertatione de hæresiarchis adoptatam improbat doctissimus Wormius *c. 2. de Sabellianismo p. 55.* Postquam enim verba mea cum aliquo elogio allegavit, subjicit: *erudita fateor hæc conjectura, sed non accurate tamen docet id quod hac re Simon voluit.* Doceat igitur accuratius, quid Simon sibi voluerit. Scilicet non credit errasse Epiphanium, sed causam cur nullo Simon se appellarit nomine, non aliam arbitratur, quam ut eo citius Deum se esse Judæis & Gentibus persuaderet. Hanc ejus intentionem fuisse confirmat ex eo, quod Judæi nullum Deo nomen dari posse aut debere statuerent. Verum hanc Viri doctissimi sententiam, ut ingenue fatear, pro imbecillitate mei ingenii non satis capio. Relinquitur enim adhuc scrupulus, cur Epiphanius Simonem nullum sibi nomen indidisse dicat, cum tamen abunde constet, quod Simon & ipse sibi varia nomina imposuerit, & ab aliis sibi imponi passus fuerit. Si cum Viro doctissimo negemus errasse Epiphanium, qui nullum nomen a Simone affectatum memorat, non possumus non Irenæum, Augustinum, Hieronymum & alios erroris arguere. Quamobrem illa

Patrum loca non melius conciliari posse puto, quam si dicamus, Simonem Magum nullum certum & determinatum nomen affectasse, interim tamen pro sua sublimitate se omnibus qualiacunque essent nominibus parem censuisse.

X. Sunt viri quidam docti, qui Simonem Magum divinos honores affectasse plane negant. *Per antiquorum animos ista pervasit opinio, Simonem in Sanctissimam Dei Opt. Max. Majestatem involasse tentatis omnibus, ut pro ipso Numine coleretur*, ait doctissimus Basnagius *exercit. histor. critic. ad annal. Baronii p. 105. seqv.* ubi hanc inolitam multorum animis sententiam eradicare conatur. Quem in finem sanctissimi Martyris Irenæi autoritatem ante omnia elevat, eumque in hac causa velut intestabilem reddere conatur. Cum enim hic venerandæ antiquitatis Scriptor in errore illo versatus fuerit, ut Christum usque ad quinquagesimum ætatis suæ annum vitæ suæ telam produxisse sibi persuaserit, ex eo Basnagius non incommode se inferre posse putat, etiam in historia Simonis Magi Irenæo nullam fidem adhibendam esse. At nimis inhumanum esset, tanto ecclesiæ Patri ob unum alterumve historicum erratum omnem statim fidem denegare. Esto Clementis Romani constitutiones de affectata Simonis deitate, ut & de statua ipsi tanquam Deo sancto posita, de qua postea pluribus agemus, mutas esse. Sed quid tum? Sufficit alios fide digniores, & in his Irenæum ac Justinum, affectatam illam Simonis deitatem satis aperte prodere. Esto, quod ulterius Vir doctissimus objicit, Phi-

Philastrium referre de Simone, quod dixerit *se esse* (non ipsum summum Deum, sed) *virtutem quandam Dei, quæ esset supra omnes virtutes.* Sed quid obstat, quo minus idem, qui se supremam Dei virtutem jactavit, etiam pro ipso Deo se haberi voluerit? Tertullianus *de præscript. c. 46.* dicit de Simone: *ausus est summam se dicere virtutem, id est summum Deum.* Esto Damascenum scribere, quod Simon se & Samaritanorum Patrem & Judæorum Messiam prædicaverit. Id vero Basnagio obesse potius, quam prodesse credo. Patet enim ex his Damasceni verbis, quod Simon Magus non tantum temporalem Messiam & Regem Judæorum agere voluerit, sed ipsam quoque divinitatem tanquam Pater Samaritanorum affectaverit. Epiphanius de Menandro Simonis Magi discipulo & successore refert, quod a dogmatibus Magistri sui non dissenserit, nisi quod se antecessore suo majorem jactavit. Atque hinc novum Viro doctissimo argumentum nascitur, quod Simon Magus eousque insaniæ non processerit, ut Deus Summus videri voluerit. Quomodo enim Menander Simone Mago major esse potuisset, si ille Summus Deus fuit? aut quis unquam aliquem Summo Deo majorem somniavit? Certe totum illud Simonis & Menandri certamen stultorum fuit. Neque tamen inde concludi potest, quod omnia ficta sint, & Simoni Mago per calumniam aspersa, quæ de affectata ejus divinitate memorantur. Quis negat Cajum, Domitianum, & alia hujusmodi monstra divinitatem affectasse, etsi eorum fatuitatem & insaniam omnes sanæ mentis homines cognoverint? Quando enim

enim impii homines justo Dei judicio excœcantur, nihil tam absurdum & ab omni ratione alienum est, quod non animo concipiant, vel blasphemo ore effutiant. Talis Satanæ furor Simonem Magum, talis deinde etiam Menandrum corripuit, qui se esse dicebat, quicquid Simon se dixerat, ut Tertullianus *de præscript. c. 46.* testatur. Fidem pæne superat ejusmodi insania, non diffiteor, sed ita evenire solet, cum homines insania certare incipiunt, sicut Simon Magus cum Menandro insania certavit, dum ille, postquam semel magicis suis artibus magnos sibi applausus excitaverat, ambitionis œstro incitatus acquiescere nolebat, donec summus Deus haberetur, hic vero Simone Mago non inferior, imo si Epiphanio credimus, superior esse contendebat. Etsi fatendum sit, quantum ad Menandrum attinet, quod Theodoreto teste non se primam virtutem & potentiam esse dixerit, quippe quam a nemine cognosci posse dixit, sed se a prima potentia missum prædicaverit. Quæ Theodoreti relatio novam rationem Clarissimo Basnagio suppeditat, cur statuat, quod Simon Magus ad divinos honores non adspiraverit: *Quis non hinc legitime colligat*, inquit Basnagius, *Simonem pro summo Deo non fuisse habitum a suis Discipulis, quibus probe notus fuit?* Respondeo, Simon Magus discipulis quidem suis probe notus erat, quibus tamen a totius hujus scholæ magistro Diabolo dementatis ignotus videbatur. Denique improbabile judicat Basnagius Simonem Magum, qui ante baptismum suum & aggregationem ad ecclesiam christianam contentus erat elogio potentiæ Dei magnæ

post

post baptismum suum sublimiores divinitatis gradus sibi ædificare voluerit. Verum quale flagitii genus nimium fuisset homini, quem etiam post baptismum execranda impietate constrictum Petrus cognoscebat? Nihil ergo obstare video, quo minus Simonem affectatæ divinitatis reum agnoscamus, & cum Tertulliano *de præscription. c. 46.* dicamus, quod *ausus fuerit se dicere summam virtutem i. e. summum Deum*; vel cum Irenæo *libr. I. cap. 20.* quod *se sublimissimam virtutem esse dixerit, hoc est eum, qui sit supra omnia Pater.*

XI. Quæ pro tuendo Simone Mago Godofredus Arnoldus in historia sua ecclesiastica protulit, ad examen vocare omnia nimis longum esset. Unde tantum paucula notamus. Inter alia dicit: Jhme selbst (Simoni Mago) giebt man folgende greuliche Lehren Schuld / wiewol meistens auf Treu und Glauben derer / die lange nach ihm gelebet haben / und selten recht übereinstimmen. So gar / daß man bald bey dieser ersten Secte siehet / wie ein ieder nach seinen eigenen Einfällen solchen Leuten die schrecklichsten Sachen schuld gegeben / daran jene wol nicht gedacht haben / *Part. I. libr. I. c. 4. §. 4.* Ubi breviter observamus, non mirandum esse, si veteres ecclesiæ Patres in describendis hæreticorum deliriis non semper inter se conveniant, nec ex illo dissensu statim concludi debere, quod veterum hæreticorum dogmata non fideliter referant, sed quisque pro lubitu iis nunc hæc nunc alia dogmata per mendacium & calumniam affingat. Dissensus enim ille Patrum inde nascitur, quod ipsi hæretici suis

Dæmoniorum doctrinis non semper tanta constantia adhæreant, ut eandem ubique earum formam exhibeant. Accedit, quod multi hæreticorum discipuli Magistrorum suorum placitis non ita addicti sint, ut non subinde in illis unum atque alterum mutare audeant. Quid ergo mirum antiquos ecclesiæ Patres in delineandis veterum hæresium portentis non semper & ubique consentire, sed illorum relationes nonnunquam dissonas deprehendi, dum unus forte priorem, alter posteriorem hæretici sententiam, unus forte ipsius magistri, alter alicujus discipuli deliria recenset? Quin etiam Arnoldus nonnunquam dissensum fingit, ubi nullus est. Nam historiam de Helena Simonis scorto suspectam facturus ait: *ja andere machen gar einen Mann Helenum daraus.* Quis vero Patrum Helenam in virum transformavit? nullus certe, sed tantum Celsus Christiani nominis calumniator per jocum Helenæ præceptorem Helenum adjunxit, ut paulo ante dictum est. Quamobrem ex isto Celsi Heleno male Arnoldus infert, ea omnia quæ veteres Scriptores de Simonis Helena retulerunt, Theodoreti hæreticis fabulis annumeranda esse, quod in Theodoretum scomma aptius forte ad ecclesiasticas & hæreticas Arnoldi historias applicari posset.

XII. Augustinus *in libello de hæresibus c. 1.* de Simone refert, quod se Jovem credi voluerit, & meretricem suam Helenam seu Selenen Minervam. Addit, quod imagines & suam & sociæ suæ discipulis adorandas præbuerit, quas & Romæ tanquam Deorum simulacra publica constituerit. Nec primus est Augusti-

ſtinus, qui imaginum illarum mentionem fecit. Irenæus enim dicit de Simonianis, quod Simonis habeant imaginem factam ad figuram Jovis, & Selenes in figura Minervæ, quas imagines etiam ab iis adorari addit. Epiphanius autem *hæreſ. 21.* tradit, quod Simon Magus has imagines ſuis diſcipulis adorandas tradiderit. Et Cozza quidem in ſuis *ad Auguſtini libellum de hæreſibus commentariis p. 6.* veroſimile eſſe dicit, ab initio Simonem tradidiſſe diſcipulis ſuis prædictas imagines aut in metallo ſculptas, aut in parva tabella depictas, ut ſecum deferrent, poſtea vero factum eſſe, ut publicæ ſtatuæ illis erigerentur & adorarentur. His imaginibus Simonis & Helenæ odores incenſos, & ſacrificia oblata refert Euſebius *libr. 2. hiſtor. eccleſ. c. 13.* Theodoretus *hæretic. fabul. libr. 1. c. 1.* & alii.

XIII. Imprimis celebris eſt ſtatua Simoni Mago erecta, cujus Juſtinus Martyr in apologia ſecunda, quam Euſebius rectius primam nominat, meminit, dum dicit, poſt Domini in cœlum aſcenſum homines quoſdam a Satana immiſſos eſſe, qui ſe Deos eſſe dicerent, & quos Romani maximis honoribus affecerunt. Ex his fuiſſe ait Simonem Samaritanum, qui cum per Dæmonum operationem multa ſtupenda prodigia feciſſet, Deus habitus eſt, & ſtatua illi perinde ut Deo poſita in inſula Tiberina inter duos pontes cum hac inſcriptione: *Simoni Deo Sancto.* Confirmat hanc relationem Irenæus *libr. I. c. 20.* ubi Simonem Magum ob artem magicam a Claudio Cæſare ſtatua honoratum aſſerit. Ejusdem meminit Tertullianus

nus *in apologet. c. 13.* ut alios veteres taceamus. Memini autem me *in dissertatione de hæresiarch. p. 27.* de hujus relationis fide dubitasse & statuisse, quod hæc Justini Martyris narratio extra omnem dubitationis aleam posita minime videatur. Videtur enim admodum probabilis conjectura virorum doctorum, qui ex marmorea basi Romæ A. C. 1574. effossa colligunt, *Semoni Sanco Deo Fidio* consecratam fuisse illam statuam, quam Justinus Martyr Romanæ linguæ non adeo peritus Simonis Magi nomine notatam sibi aliisque persuasit. Adduxi in eam rem Desiderium Heraldum *not. ad Tertulliani apolog. c. 13.* Vossium *libr. I. de idol. c. 12.* Salmasium *in notis ad Spartianum*, Valesium *in notis ad Euseb. libr. 2. hist. eccles. c. 13.* & Spanhemium *de Petri in urbem Romam profectione p. 149.* His subscribere Ittigium *de hæresiarchis ævi apostolici sect. 1. cap. 2. num. 6.* observat Cozza *in commentario ad Augustinum de hæresibus nuper edito c. 1. p. 6.* Non diffiteor. Subscribo illi virorum doctorum conjecturæ. A qua me aliosque dissentientes dimovere conatur doctus hic Franciscani Ordinis Scriptor, dum ex Baronio *ad A. C. XLIV. 55.* probare conatur, statuam a Justino memoratam non Deo Sanco Fidio, sed Simoni Mago tanquam Deo Sancto positam fuisse. Observat enim Baronius Justinum statua aliqua Semonis Sanci Dei Fidii non facile decipi potuisse, cum plures ille in urbe Roma statuas habuerit, quæ Justino Martyri incognitæ non esse potuerunt. Animadvertit quoque Justinum Martyrem in gentilium Philosophia non minus quam Theologia egregie excultum & apprime eruditum

fuisse, diuque Romæ versatum dubio procul probe exploraſſe, quæ non in angulo & coram ignaris ſed coram ipſo Imperatore ejusque Filiis & univerſo Senatu Romano de Simone Mago propoſuit. Quo argumento etiam utitur Henricus Hammondus *diſſert. I. de jur. epiſcopal. c. 9.* ubi negat, quod Juſtinus Martyr tanquam homo externus & latinæ linguæ non admodum peritus imponi ſibi paſſus fuerit, ut caligantibus oculis Simonem pro Semone, & Deum Sanctum pro Sanco Deo Fidio legerit, & Imperatori etiam Romano obtruſerit, qui ſine dubio compertiſſimi mendacii reum illico arguiſſet, nec eundem denuo errorem Tertulliano homini nec externo nec civitatis & linguæ latinæ imperito, ut & aliis Romanæ eccleſiæ Scriptoribus errandum porrexiſſet. Prolixius hanc cauſam tuetur Petrus Halloixius *Tom. II. illuſtr. eccleſ. oriental. Scriptor. p. 382. ſeq.* item Lælius Biſciola *horar. ſubciſ. libr. 12. c. 8.* Attamen etiam ſunt inter eruditos, qui hanc quæſtionem in ambiguo relinquunt. Johannes enim Ludovicus de la Cerda *in notis ad Tertulliani apologet. c. 13.* poſtquam Juſtini Martyris relationem de ſtatua Simoni Sancto Deo poſita retulerat, addit: *an hæc ſit inſcriptio Simonis Magi, an hi Patres decepti fuerint Semone Sango, in dubio relinquimus propter autoritatem Heraldiſtarum.* E quibus verbis colligi poteſt, prævaluiſſe tum, cum Cerda illa ſcriberet, ſententiam Heraldi, quem cum Voſſio, Salmaſio, Valeſio & Spanhemio Juſtinum Martyrem in Simonis Magi ſtatua erraſſe paulo ante dixi, cujusmodi Heraldiſta fuit etiam Petrus Ciaconius *in opuſcul. ante expoſit. columm. Trajani,*

Thomas Milles *not. ad Cyrilli Hierosolym. catechef. 6. c. 3.* Reinesius *in syntagm. inscript. p. 2.* Petavius *not. ad Epiphanii hæres. 21.* Antonius van Dale *in dissertatione de statua Simoni Mago, ut prætenditur erecta*, ut alios taceam.

XIV. Me quod attinet, adhuc eorum sententiæ subscribo, qui Simonem Magum, cum Semone Sanco vel Sango Deo Fidio a Justino Martyre confundi suspicantur. Quæ confusio tanto facilius fieri potuit, si forte in illa statua, quam Justinus legit, Simoni pro Semoni lectum fuit, sicut nonnunquam Mircurius in antiquis inscriptionibus pro Mercurius legitur. Equidem negari non potest, magnam esse inter priscos Patres Justini Martyris autoritatem, nec contemnendam eruditionem. Nec locus hic est suspicioni alicujus doli, imprimis cum ipsum Imperatorem & ejus Filios Cæsares, & Senatum in sua apologia compellet, quos falsa narratione circumvenire voluisse præsumi non potest. Veruntamen facile fieri potuit, ut Justinus Martyr credulitate sua & nominum similitudine deceptus statuam Semonis Sangi Dei Fidii Sabinorum Dei Simoni Mago positam fuisse sibi persvaderet. Homo fuit Justinus, nec humani aliquid ab ipso alienum esse putandum est. Nec cogitari debet, quia Justinus Martyr non una tantum vice, sed semel iterumque statuæ Simoni Mago positæ tam cordate meminit, ut sine ulla formidine oppositi & contradictionis metu illa proferat, eum hac in re falli non potuisse. Et quamvis nonnulli urgeant, quod Justinus hanc statuam Simonis Magi ipsi Imperatori Antonino Pio & Filiis Cæsaribus

&

& Senatui Romano objecerit, & ut dejiceretur, postulaverit, *quod sane*, ut Halloixius Jesuita loquitur, *non fecisset nisi rem prius accurate examinasset. Quis enim*, pergit, *non dicam Philosophus, & tanta quanta ille fuit autoritate, sed quis homo alicujus mentis & frontis audeat coram Imperatore, & in ipsa urbe Roma, ubi res ea sit & examinari possit, aliquid momenti cujuspiam proferre tanquam certum, quod minime exploratum habeat?* fallentur tamen quotquot omnia certa & accurate explorata esse credent, quæ Justinus Martyr coram ipso Imperatore in sua apologia disseruit. Nam in eadem apologia Justinus refert, quod Ptolomæus Ægypti Rex ab Herode Rege propheticorum librorum copiam sibi fieri petierit. Num ergo Jesuita Halloixius contendet, Regem Ægypti Ptolomæum a Judæorum Rege Herode per Legatos suos propheticorum librorum copiam petiisse, quia Justinus Martyr in sua apologia ad Imperatorem & Senatum Romanum id asseruit, quod sane non fecisset, nisi rem prius accurate examinasset. Atqui tantus est iste sive parachronismus, sive metachronismus, ut Casaubonus cum ista in Justino legeret, oculis suis vix crederet. Novi quidem virum quendam doctum huic Justini loco medicam manum adhibere, dum suspicatur Justinum ibi non scripsisse: τῷ τῶν Ἰουδαίων τότε βασιλεύοντι Ἡρώδῃ, sed τῷ τότε βασιλεύοντι ἱερεῖ, *regenti tum Sacerdoti*, i. e. Eleazaro summo Judæorum Pontifici, qui & Regis instar fuit; qua ratione etiam sequentia verba corrigi oporteret, & pro verbis ὁ μὲν βασιλεὺς Ἡρώδης, poni: ὁ μὲν βασιλεύων ἱερεὺς quarum lectionum in nullis sive impressis sive manuscri-

ſcriptis quod ſciam codicibus veſtigia comparent. Si ergo Juſtinus circa hiſtoriam Regis Herodis ab ætate ſua non adeo remoti in apologia ſua aberrare potuit, cur non in eadem apologia circa ſtatuam Simonis Magi cæcutire potuerit?

XV. Poſt Juſtinum Martyrem etiam Irenæus ſtatuam Simonis Magi memorat. Verum is longe cautius de illa ſtatua loquitur. Cum enim Juſtinus eam ita deſcribat, ac ſi ſua ætate adhuc erecta ſtetiſſet, unde eam a Romanis aboleri cupit, Irenæus contra tantum ex rumòre & fama de illa ſtatua verba facit: *ſub Claudio ſtatua bonoratus eſſe dicitur propter magicam.* Præterea Irenæus innuere videtur, quod Simoni Mago non tam ob opinionem divinitatis, quam ob excellentiam in artibus magicis ſtatua poſita fuerit, ſicut alias viris de publico bene meritis ejusmodi honor conferri ſolebat. Tertius ex antiquitate teſtis, qui pro ſtatua Simonis Magi adduci ſolet, eſt Tertullianus, qui *in apologetico c. 13.* Simonem Magum *ſtatua & inſcriptione Sancti Dei inauguratum* dicit, quod dubio procul ex Juſtino Martyre mutuatus eſt. Hunc deinde ſecuti Euſebius *libr. 2. biſt. eccleſ. c. 13.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catech. 6. c. 9.* & alii, quos inter Theodoretus *libr. I. bæretic. fabul. c. 1.* ſtatuam hanc neſcio unde æneam efformat. Quando autem Auguſtinus *de bæreſ. c. 1.* Simonem Magum ſuas & Helenæ ſuæ imagines Romæ tanquam Deorum ſimulacra publica conſtituiſſe dicit, Laurentius Cozza his verbis etiam ad illam ſtatuam alludi cenſet, quæ Romæ ſub Claudii imperio Simoni Mago decreta dicitur, & a Juſtino Martyre me-

memoratur. Verum illa Augustini verba neque cum ipsa rei veritate conveniunt, neque ad verba Justini Martyris alludunt, cum Augustinus non de una, sed de duabus imaginibus loquatur, quas non Imperatoris sed ipsius Simonis autoritate Romæ consecratas narrat, quod Simoni concessum fuisse nemo temere crediderit. Ex his autem, quæ dicta sunt, patet, statuam, quam Justinus Martyr Simoni Mago positam scripsit, non esse adeo firmam, ut contra eam impugnantes consistere valeat. Cogitet etiam Baronius, si Simon Magus, ut ipse suspicatur, impostor ille fuit, quem Josephus *antiquit. libr. 18. c. 5.* Samaritanos in monte Garizim congregasse, & Pilati exercitu profligatum cum suis aufugisse refert, an credibile sit, tali impostori statuam a Romanis positam fuisse.

XVI. Imprimis etiam cum hac Simonis statua, & divinis honoribus male conciliari possunt, quæ de magico ejus in aerem volatu, & præcipiti lapsu referri solent. Quis enim credat, Simoni Mago post mortem tam horrendam statuam cum inscriptione Dei Sancti Romæ erectam fuisse, aut si statua Simonis Magi ante ejus mortem Romæ erecta fuit, eam usque ad Justini Martyris ætatem in urbe illa inviolatam mansisse? etsi non desint, qui utrumque credunt, dum & statuam Simoni Mago positam, eamque adhuc Justini ævo divinis honoribus excultam asserunt, & tamen etiam impio huic hæresiarchæ tandem idem contigisse tradunt, quod Icaro illi apud Suetonium *Neron. c. 12.* accidit, qui in cœlum volaturus *primo statim conatu*

juxta cubiculum decidit, ipsumque (Imperatorem) *cruore respersit.* Sed aliis hæc non immerito ἀσύςατα videntur.

XVII. Cæterum tragicus ille, qui vulgo perhibetur, Simonis Magi exitus, non minus quam publicus ejus cultus suspectus est. Silent de tragico hoc casu Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, & Eusebius. Alii Scriptores, qui tragicum illum Simonis exitum commemorant, in circumstantiis non leviter dissentiunt. Arnobius *libr. 2. adv. gent. p. 50. Viderant*, inquit, *currum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem Diis falsis, & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo, cruribus jacuisse præfractis, post deinde perlatum Brundam cruciatibus & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio.* Philastrius *de hæres. c. 29.* ab Angelo percussum Simonem narrat. Ambrosius *in hexaemero libr. 4. c. 8.* Simonis casum his verbis delineat: *Petrus Simonem alta cœli magico volatu petentem dissoluta carminum potestate dejecit & stravit.* Cyrillus Hierosolymitanus *catechef. 6. illuminat. c. 9.* refert, Simone dæmoniorum vehiculo in aerem sublato, Petrum & Paulum in genua provolutos effecisse, ut Deus ille putatitius in terram dejiceretur ad inferos deprimendus. Severus Sulpitius Simonis Magi novissima his delineat verbis *libr. 2. histor. sacr. c. 41. Etenim tum illustris illa adversus Simonem Petri ac Pauli congressio fuit: qui cum magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmo-*

dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est. Clemens Romanus *constit. apostol. libr. 6. c. 9.* Simonem in hoc lapsu vehementi casu elisum coxam & extrema pedum fregisse narrat. Egesippus *libr. 3. de bello judaico c. 2.* fingit Simonem Magum ad preces Petri implicatis remigiis alarum, quas sumserat, corruisse, & fracto debilitatoque crure Aritiam concessisse, atque ibi mortuum fuisse. Juxta Nicetam Choniatem *in Thesauro libr. 4. c. 1.* Simon Magus in caput collapsus viam cerebro conspersit. Walafridus in carmine de Petro apud Canisium *libr. 6. antiq. lect. pag. 659.* canit:

Insuper & magicum falsi phantasma Simonis,
Funditus evacuans, tetras detrusit in umbras,
Romanum vulgus solvens errore vetusto,
Qui præcelsa rudis scandit fastigia turris,
Atque coronatus lauri de fronde volavit:
Sed mox ætherias dimittens furcifer auras,
Cernuus ad terras confractis ossibus ambro
Corruit, & Petro cessit victoria bello.

In Marcelli conflictu S. Petri & Simonis Magi, quem dedit Florentinius in Hieronymi Martyrologio *pag. 109. & 110.* hæc leguntur: *Paulus ait Petro: celerius fac, quod facturus es. Et aspiciens contra Simonem Petrus, dixit: Adjuro vos angeli Satanæ, qui eum in aera fertis ad decipienda hominum infidelium corda per Deum Creatorem omnium, & per Jesum Christum, ut eum ex hac hora jam non feratis, sed dimittatis; & continuo dimissus cecidit in locum, qui Sacra Via dicitur, & in quatuor partes fractus quatuor silices adunavit, qui sunt ad*

testimonium victoriæ Apostolorum usque in hodiernum diem. Abbo Monachus *in serm. de fundament. & increment. christianitat. apud Dacherium Tom. 9. Spicilegii* dicit, quod Simon Magus immundis spiritibus se vehentibus cœperit pervolare, Paulus orare, Petrus Satanæ imperare, & Magum volantem præcipitare. Unicum adhuc ex plurimis, quæ adduci possent, locum de horrendo Simonis interitu placet adducere ex Augustino. Sic ergo ille *serm. III. de Petro & Paulo Tom. X. fol. 1223. edit. Basileensis* inquit: *Cum Simon se Christum diceret, & tanquam filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subito magicis artibus volare cœpisset: tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam levitatem. Prior enim ascendit ad Dominum oratio quam volatus, & ante pervenit justa petitio, quam iniqua præsumptio. Ante, inquam, Petrus in terris positus obtinuit quod rogavit, quam Simon perveniret in cœlestia, quo tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens ejus crura confregit. Et hoc in opprobrio factum illius est, ut qui paulo ante volare tentaret, subito ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.* Patet autem ex his testimoniis, quantum Scriptores in describendo Simonis Magi interitu (quem Isidorus Pelusiota *libr. ep. 13.* θάνατον πολυθρύλλητον, seu mortem multorum sermonibus celebratam nominat) differant. Alii ipsum a solo Petro, alii a Petro & Paulo dejectum tradunt, alii eum alarum remigio, vel quadrigis igneis, vel ope dæmo-

monum subvectum & suffultum memorant, alii ipsum coxam vel crura fregisse, alii etiam plantas amisisse, alii disruptum, alii eliso capite enecatum, alii ab Angelo percussum referunt.

XVIII. Num vero forte in ipsa quoque Scriptura horrendus Simonis Magi interitus describitur, cum Paulus 2. Thess. II, 8. impium revelandum, & Spiritu oris Domini interficiendum prædicit? Ita sane Hugo Grotius statuit *in commentatione ad loca quadam N. T. de Antichristo agentia p. 29.* Cui tractatui cum Samuel Maresius opposuisset dissertationem de Antichristo, qua expenditur & refutatur nupera commentatio ad illustria ea de re N. T. loca, simulque Reformatarum ecclesiarum sententia de Antichristo Romano defenditur & confirmatur, hinc Hugoni Grotio data occasio scribendi appendicem ad interpretationem locorum N. T. quæ de Antichristo agunt, aut agere putantur, in qua, ut jactat, via sternitur ad Christianam concordiam. At Maresius hoc Grotii scriptum sine responso non dimisit. Edidit enim concordiam discordem & Antichristum revelatum, i. e. Hugonis Grotii apologiam pro Papa & papismo, quam sub prætextu concordiæ inter Christianos faciendæ exhibet illius appendix ad interpretationem locorum N. T. de Antichristo. Qui Maresii tractatus in duos tomos distributus est. Præter Maresium Grotio se opposuit Johannes quidam Simplicius in tractatu, quem inscripsit: *notæ in doctissimi cujusdam viri commentationem ad secundum caput posterioris epistolæ ad Thessalonicenses.* Et olim quidem, cum dissertationem de hæresiarchis

ævi apoſtolici ſcriberem, putabam ſub Johannis Simplicii nomine eundem, quem paulo ante nominavi, Mareſium latere. Sed poſtea comperi Johannem hunc Simplicium eſſe Jonam Slichthingium, cui etiam hic tractatus aſcribitur in Bibliotheca Anti-Trinitariorum Sandiana. Non minus Grotio ſe oppoſuit Hippolytus Fronto, ſeu qui ſub iſto nomine abſcondi voluit, Petrus Molinæus. Contra Grotio in plerisque conſenſit Henricus Hammondus, qui *in differt. proœmial. de jur. epiſcopal.* itidem Apoſtolum Paulum in loco allegato non de Papa Romano & magno Antichriſto agere ſtatuit, ſed per τὸν ἄνομον intelligit Simonem Magum & Gnoſticos, quos Deus juſtus vindex ſpiritu oris, hoc eſt potentia verbi ſui, tandemque adventu ſuo ad excidium Hieroſolymitanum oppreſſurus ſit, Petro primum Apoſtolo de Simone Mago ſolenniter triumphante. Verum quod Apoſtolus non de Simone Mago hic loquatur, ſed de Pontifice Romano Theologi noſtri in ſuis commentariis & locis theologicis abunde demonſtrarunt, quamobrem Grotio, Hammondo aliisque ſuas de Simone Mago ſpeculationes nunc relinquimus. Ea autem, quæ vulgo de miſerabili Simonis Magi exitu referuntur, an vera ſint, tanto magis dubito, quod jam Auguſtini ævo de hoc Simonis Petri & Magi certamine etiam in Romana eccleſia dubitatum fuerit. Scribit enim ad Caſulanum epiſtola 56. *eſt quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quod Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus propter ipſum magicæ tentationis periculum pridie cum ejusdem urbis eccleſia*

sita jejunaverit; nisi forte Augustinus tantum de jejunio, quo se Petrus ad illud certamen præparasse dicitur, a plerisque Romanis dubitatum dicere voluit.

XIX. Dignus autem omnino fuit homo nequissimus, quacunque morte perierit, tragico exitu, cujus de Deo blasphemias jam supra adduximus. Nunc alia quædam impia ejus dogmata addemus. Docuit ergo Deum esse originem peccati, omniumque scelerum & flagitiorum causam, & hominem creationis vitio nihil aliud velle & posse, quam peccare, quam Simoni Mago sententiam tribuit Vincentius Lirinensis *commonitor. c. 34.* Duplicem Deum, unum bonum, alterum malum a Simone traditum fuisse, non primus docet Nazianzenus *orat. in laud. Heron. p. 547.* ut Godofredo Arnoldo visum est, qui hoc dogma per mendacium Simoni Mago tribui putat; sed pridem ante Nazianzenum Irenæus, qui Cerdonem hoc dogma de duplici Deo a Simone Mago hausisse scribit *libr. I. c. 28.* Unde autem Simon Magus hauserit, videri poterit apud Thomasium *in schediasm. histor.* §. *34. p. 22.* & Huetium *not. ad Origen. p. 2.* Sabellianismo prælusisse Simonem Magum Wormius in tractatu de Sabellianismo probat c. 1. Zwickeri autem impietas non minus, quam ipsius Simonis Magi execranda est, dum sacrosanctam ecclesiæ de mysterio Trinitatis doctrinam ex blasphemis Simonis Magi deliriis derivare conatur *in irenic. p. 14. & nova ejus confirmatione 148.* Mundi creationem, legis promulgationem & Prophetarum inspirationem Simon Magus malignis potestatibus tribuit,

buit, ut Epiphanius *hæres. 21.* memoriæ prodidit, etsi Simon Magus apud Augustinum *de hæres. c. 1.* semetipsum in Patris persona legem Judæis in monte Sinai tradidisse jactaverit. Octo æones a Simonianis cultos referunt Elias Cretensis & Nicetas *in notis ad orationem 23. Nazianzeni.* Verum octo illos æones Simonianis affingi Matthæus Larroquanus *in observationibus ad Ignatianas Pearsonii vindicias p. 194. & seq.* judicat, quam litem nunc movere nolumus. Angelos & Archangelos se per Helenam suam tanquam primam suam ἐννοίας condidisse jactavit, angelos autem mundum fabricasse finxit, ut Theodoretus *libr. I. de hæret. fabul. c. 1.* refert, ubi etiam varias συζυγίας a Simone excogitatas recenset. Angelos a suis coli & placari voluit, ut testatur Tertullianus *de præscript. c. 33.* & Epiphanius *in panario hæres. 21. sect. 4.* quod invito Baronio concedit Petavius in notis ad Epiphanium, & Natalis Alexander *secul. I. c. 10.* Quod resurrectionem carnis negaverit, ex Augustini libello de hæresibus aliisque Scriptoribus constat. Mortis periculum, ut plures sibi discipulos faceret, a doctrina sua sustulit; idololatriam rem indifferentem esse dicens, ut Origenes *libr. 6. contra Celsum p. 282. edit. Spencer.* memoriæ prodidit. Illis qui in ipsum ejusque Helenam spem haberent, libertatem quicquid vellent agendi concessit, cum homines secundum ipsius gratiam non secundum justas operationes salvifierent, nec operationes natura justæ essent, sed ex accidente prout angeli, qui per ejusmodi præcepta homines in servitutem redegerunt, posuissent, ut apud Irenæum *libr. I. c. 20.* legitur. Quorsum facit

quod

quod Augustinus *c. 1. de hæresibus* Simonem scribit detestandam turpitudinem indifferenter fœminis utendi docuisse. Similia de Simone, quod nempe sectatoribus suis omnium scelerum & flagitiorum licentiam permiserit, tradunt Eusebius *libr. 2. histor. eccles. c. 13.* Georgius Syncellus *chronograph. p. 330.* Damascenus *de hæresib. c. 21.* Nicetas Choniates *thesaur. Orthod. fid. libr. 4. c. 1.* Mysteria dictu fœda, & spurcos Simonianorum conventus memorat Epiphanius *hær. 21. sect. 4.* Impudentissimum fuit mendacium, cum Simon Magus se matre sua adhuc virgine conceptum mentitus est, si vera de ipso retulit Clemens Romanus *libr. 2. recognit. p. 34.* Cum autem Simon Magus asseruit se putative in Filii persona apparuisse, apud Augustinum *de hæres. c. 1.* vel se in phantasmate Dei non passum, sed esse quasi passum apud Tertullianum *de præscript. c. 46.* hoc ipso Christi incarnationem & passionem non veram & realem, sed phantasticam & imaginariam docere voluit.

XX. Non solum autem dictis sed & scriptis Simonem impia sua dogmata disseminasse ex eo colligi potest, quod voluminum Simonis Magi mentionem faciat Hieronymus ad Matth. 24. Et in constitutionibus apostolicis *libr. 6. c. 16.* mentio fit librorum venenatorum, quos Simon Magus, & Cleobius, & qui illis adhæserunt, sub Christi & Apostolorum nomine composuerunt, & ad decipiendos Christianos circumtulerunt. Dionysius quoque Areopagita *de divinis nominibus c. 6.* memorat Σίμωνος ἀντιῤῥητικὰς λόγους, seu Simonis contradictorios sermones. Extant præterea fra-

gmenta aliqua Simonis Magi apud Mosen Bar Cepha *in commentariis de paradiso part. 3. c. 1.* Continent autem ista fragmenta aliquot Simonis Magi objectiones contra creationem, ad quas Mose Bar Cepha ibi respondet. Quale autem evangelium habuerint Simoniani, refert autor præfationis Arabicæ ad concilium Nicænum *Tom. 2. Concil. Labbei p. 386.* ubi ait, quod sibi effinxerint evangelium in quatuor tomos divisum, quod evangelium librum quatuor angulorum & cardinum mundi appellarunt.

XXI. Tonsuram a Simonis Petri tonsura diversam invenisse Simonem Magum autor est Beda *in historia ecclesiastica gentis Anglorum libr. 5. c. 21.* Autor anonymus, a Rigaltio in notis ad Cyprianum editus, de baptismo non iterando agens dicit, Simonianos baptismum perverse tractasse, & inter alia vel naturæ lusu, vel præstigiis suis effecisse, ut si quis in aquam descenderet, illico ignis super aquam appareret. Ipsius autem Simonis Magi varias quibus populum fascinavit præstigias, & prodigiosos miraculorum cum Petro conflictus prolixe describunt Clemens Romanus in recognitionibus apostolicis, Marcellus in tractatu de conflictu Simonis Petri & Magi, Abdias in historia certaminis apostolici, Johannes Antiochenus, Cedrenus, Glycas, Nicephorus aliique ejusmodi Scriptores, quorum fabulas repetere operæ pretium non videtur. Sufficiat *in appendice dissertat. de hæresiarch. p. 9. & seq.* specimen aliquod harum fabularum adduxisse.

XXII. Simonis alicujus Magi, cujus ministe-

rio Drusilla legitimo suo marito repudiato Felici Judææ Præsidi nupsit, meminit Josephus *libr. 20. judaic. antiquit. c. 5.* Nec desunt, qui illum Simonem Magum cum nostro Simone Mago eundem esse statuunt, cum non improbabile videatur, eum alienæ quoque libidinis adjutorem fuisse, qui sibi ipse publicum prostibulum adjunxit. Sed mittam illum Josephi Simonem Magum, quem ab hæresiarcha ævi apostolici cognomine diversum fuisse, mihi quidem salvis aliorum judiciis probabile videtur. Nostrum autem Simonem quantum attinet, non est, quod Godofredus Arnoldus ægre ferat, ejus asseclas Simonianorum nomen accepisse. Doch geben ihn (Simonem Magum) die meisten alte und neue Scribenten vor einen Anfang und Ursprung aller andern Ketzereyen an/ und halten diesen Nahmen recht für einen Greuel und Fluch/ so gar/ daß man auch hernach andern damit wehe zu thun gemeynet/ wenn man sie Simonianer geheissen/ ait *libr. I.* Kirchen- und Ketzer-Hist. *p. 42.* Et primi quidem Simoniani non adeo diu floruerunt, adeo ut Origenes *libr. 6. contr. Celsum* sua ætate scripserit: *nunc nusquam gentium extant Simoniani.* Non solum autem Simoniani dicti sunt, qui Simonis Magi doctrinam amplexi sunt, sed tantum Simonianæ hæreseos odium fuit apud christianos, ut pessimis quibusque hæreticis Simonianorum nomen tribui soleret, ut de Nestorianis ex Theodosii edicto constat. Pontificiis autem Lutheranos de Simoniana hæresi postulantibus respondit Gerhardus *LL. CC. de ecclesia §. 230.* & contra Pontificios partim ob crimen Simoniæ, partim ob alia Simonis

 Ma-

Magi vestigia hæreseos hujus reos ostendit; cum quo etiam conferri poterunt Simonis Magi hæreticorum omnium Patris pravitates antiquæ & recentiores ad Babylonis & Sophistarum in ea confusionem & ecclesiarum evangelicarum a viperarum morsu vindicationem duabus disquisitionibus propositæ a Michaele Siricio.

XXIII. Unicum adhuc de Simone Mago addere placet, nempe singularem Campegii Vitringæ de ipso opinionem, qui *lib. V. obs. c. 12. p. 159.* statuit, Simonem Magum in actis apostolicis memoratum diversum fuisse a Simone hæresiarcha Gnosticorum autore, quem suspicatur gente Judæum fuisse, sub Domitiano floruisse, & ob Pythagoricæ philosophiæ studium a simplicioris ingenii hominibus Magum cognominatum fuisse. Probabile enim ipsi non videtur, Simonem Magum a Petro in actis apostolicis gravi censura velut infamem redditum apud christianæ professionis homines tantum fidei invenire potuisse, ut sectam inter eos faceret. Verum nihil obstare video, quo minus Simon idem ille Magus, qui Petri censuram & anathema incurrit, sectam aliquam apud christianæ professionis homines sibi parare potuerit.

XXIV. MENANDRUM Simonis Magi discipulum & ipsum quoque Samaritanum fuisse, vico Capparetaja ortum refert Justinus Martyr *in apologia*, quæ vulgo secunda dicitur, *cap. 34.* ubi etiam Menandrum a dæmonibus agitatum fuisse, & Antiochiæ multos magica arte seduxisse, & sectatoribus suis, quod nunquam morituri sint, persuasisse narrat. Eundem in ejusdem apologiæ cap. 73. iterum cum Simone Ma-

go

go magiſtro ſuo conjungit, ubi dicit, Simonem & Menandrum Samaritanos magicis virtutibus editis multos ſeduxiſſe, & adhuc ſeductos tenere. Succeſſorem Simonis Magi eum vocat Irenæus *libr. I. c. 21.* juxta quem Menander docuit, primam virtutem incognitam eſſe omnibus, ſe autem miſſum eſſe ab inviſibilibus, ſeu ut Dodwellus *in diſſert. ad Irenæum p. 154.* legendum ſuſpicatur, ab inviſibili, Salvatorem pro ſalute hominum, mundum factum eſſe ab Angelis, per ſcientiam ſuam magicam vinci poſſe, qui mundum fecerunt, angelos, per id quod eſt in ipſum baptiſma diſcipulos ſuos reſurrectionem accipere, & ultra non poſſe mori, ſed perſeverare non ſeneſcentes & immortales. Hoc Menandri immunitatem a morte diſcipulis ſuis pollicentis delirium ſalſe pro merito exagitat Tertullianus *de anim. c. 50.* Idem Tertullianus, ſive potius autor appendicis ad Tertullianum *de præſcriptionibus c. 46.* de Menandro ſcribit, quod ſe eſſe dixerit, quicquid Simon Magus ſe eſſe dixerat, negans quenquam habere poſſe ſalutem niſi in ſuo nomine baptizatum. Juxta Philaſtrium *c. 30. de hæreſ.* Simonis impietatem in omnibus imitatus eſt, & juxta Hieronymum *in dialog. adverſus Luciferian.* æque ac Simon ſe Dei virtutem dixit. Damaſcenus autem *de hæreſ. c. 22.* ſcribit, quod Menandriani a Simonianis aliquantum diſcrepaverint. Et Epiphanium quidem ſi audiamus *hæreſ. 22.* Menander ſe Magiſtro ſuo majorem gloriatus eſt. Et videtur omnino eatenus ſe ſuper ſuum Magiſtrum extuliſſe, quia Simon temeraria jactantia immortalitatem ſibi ſoli arrogavit, Menander autem eandem etiam

ſuis diſcipulis promiſit. Theodoretus tamen *libr. I. hæret. fabul. c. 2.* aſſerere videtur, quod Menander Simone Mago ſe inferiorem agnoverit. Interim certum eſt, quod Menander poſt Simonem Magum alterum Diabolicæ operationis inſtrumentum fuerit, uti ab Euſebio *libr. 3. hiſt. eccleſ. cap. 26.* nominatur. Conferantur etiam de Menandro Auguſtinus *de hæreſ. cap. 2.* ubi Menandrum non a Deo, ſed ab Angelis mundum factum eſſe docuiſſe tradit; Autor Prædeſtinati a Sirmondo editus *hæreſ. 2.* qui Menandrianos a Lino ex Scriptura Veteris Teſtamenti confutatos & damnatos ſcribit; Honorius Auguſtodunenſis, qui *hæreſ. 20.* Menandrianos communia conjugia habuiſſe dicit, & alii.

XXV. CERINTHUS num etiam Merinthus appellatus fuerit, Epiphanius *hæreſ. 28.* Auguſtinus *hæreſ. 8.* & Damaſcenus *hæreſ. 28.* determinare non audent. Quamobrem & nos inter incerta id relinquimus. Veri tamen ſimilius eſt mea ſententia, Merinthianos a Cerinthianis diverſos non fuiſſe, ſed Cerinthianos etiam Merinthianos cognominatos fuiſſe ἀπὸ τοῦ μηρίνθου a laqueo, quod falſa ſua doctrina ſimplices illaquearent, cujusmodi alluſiones in hæreticorum nominibus non infrequentes ſunt.

XXVI. Inter Cerinthi errores ex præcipuis unus fuit, quod divinitatem Chriſti negavit. Unde Evangeliſta Johannes ab Aſiæ Epiſcopis rogatus contra hunc hæreſiarcham, & alios, qui illo tempore Chriſtum merum hominem eſſe dicebant, evangelium

ſuum

ſuum ſcripſit, ut refert Hieronymus *in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 9.* qui etiam in proœmio ſui in Matthæum commentarii memorat, Johannem, cum ab Epiſcopis Aſiæ & eccleſiarum legationibus cogeretur, ut de divinitate Salvatoris altius ſcriberet, id ſe facturum reſpondiſſe, ſi jejunio indicto in commune Deum deprecarentur, eoque expleto revelatione ſaturatum proœmium hoc e cœlo veniens intonaſſe: *in principio erat verbum.* Hanc Hieronymi traditionem, etſi vulgatam & omnium ore tritam, & in omnibus commentariis obviam, falſam tamen eſſe judicat Vitringa *obſervat. libr. V. c. 10.* & contra ſtatuit Johannem ſui evangelii prologum adverſus Gnoſticos inſtruxiſſe, qui in Aſiaticis eccleſiis circa Johannis tempora errores ſuos ex incruſtatis Platonicæ vel Pythagoricæ Philoſophiæ principiis hauſtos diſſeminabant. Concedit tamen Cerintho prologum evangelii Johannei oppoſitum fuiſſe, quatenus Cerinthus Gnoſticis illis annumeratur, quod ab Irenæo *libr. 3. c. 21.* factum eſſe notat. Verum etſi non plane certum ſit, quod Johannes Evangeliſta in proœmio ſui evangelii præciſe ad Cerinthum & Ebionem reſpexerit, id tamen extra dubitationis aleam poſitum eſt, quod Johannes initium ſui proœmii hoſtibus divinitatis Chriſti oppoſuerit, & quod inter hoſtes divinitatis Chriſti etiam Cerinthus numerari debeat, quippe qui juxta Tertullianum *de præſcript. c. 48.* Chriſtum hominem tantum ſine divinitate eſſe contendit, quicquid Vitringæ videatur, qui Cerinthum veram Chriſti θεότητα non negaſſe ex ipſo Irenæo fruſtra probare nititur. Quod autem

Alo-

Alogi, de quibus Epiphanius *hæreſ. 51.* legi poteſt, Johannis evangelium Cerintho tanquam autori tribuerint, plane ἄλογον eſt.

XXVII. Ratione humanitatis Cerinthus Chriſtum ex Virgine natum negavit. Impoſſibile enim ipſi viſum eſt, hominem ex Virgine naſci, ideoque Jeſum Joſephi & Mariæ filium eſſe ſtatuit, reliquorum hominum inſtar carnali generatione prognatum, etſi juſtitia, prudentia & ſapientia alios homines antecelluerit, ut Irenæus *libr. I. c. 25.* refert. Idem Irenæus addit Cerinthum docuiſſe, quod poſt baptiſmum Chriſtus in Jeſum deſcenderit ab ea principalitate, quæ eſt ſuper omnia figura columbæ, & tunc Jeſus annunciaverit incognitum Patrem & virtutes perfecerit, in fine autem avolaverit iterum Chriſtus a Jeſu, & Jeſus paſſus fuerit & reſurrexerit, Chriſtus autem ſpiritualiter exiſtens impaſſibilis perſeveraverit. Idem tradit Epiphanius *hæreſ. 28. c. 1.* qui tamen poſtea *c. 6.* etiam hoc dogma Cerintho tribuit, quod Chriſtus quidem paſſus & crucifixus fuerit, nondum autem a mortuis excitatus ſit tum demum, cum omnes mortui reſurgent excitandus, cujusmodi ſententiam de Chriſto nondum a mortuis excitato, ſed excitando Cerintho etiam tribuit Philaſtrius *hæreſ. 36.* & Auguſtinus *hæreſ. 8.*

XXVIII. Legem evangelio miſcuiſſe Cerinthum docet Hieronymus *epiſt. 89.* & Pſeudo-Hieronymus *in indicul. hæreſ. cap. 10.* teſtatur, quod circumciſionem non intermittendam, ſabbathum non diebus feſtis

ſtis judaico ritu celebrandum, aliasque Moſaicas cerimonias ſtricte obſervandas docuerit. Qua occaſione concilium Hieroſolymitanum, quod Act. c. 15. deſcribitur, celebratum eſſe cenſet Philaſtrius *hæreſ. 36.* additque Epiphanius etiam certamina, quæ Lucas Act. XI. contra Petrum, & Act. XXI. contra Paulum mota retulit, Cerintho ſuam originem debere, & ejus aſſeclas ab Apoſtolo in poſteriori ad Corinthios epiſtola pſeudo-Apoſtolos & doloſos operarios nominari. Conferatur etiam Auguſtinus *de hæreſ. c. 8.* ubi dicit, Cerinthum docuiſſe, carne circumcidi oportere, & alia hujusmodi legis præcepta ſervari; & autor Prædeſtinati *hæreſ. 8.* qui refert Paulum non ſolum in epiſtola ad Galatas Cerinthianorum errores refutaſſe, ſed etiam Cerinthianos in Galatia æterno anathemate percuſſiſſe.

XXIX. Mundum non a primo Deo factum, ſed a virtute quadam valde ſeparata, & diſtante ab ea principalitate, quæ eſt ſuper univerſa, & ignorante eum, qui eſt ſuper omnia, Deum Cerinthus docuit apud Irenætum *libr. 1. adv. hæreſ. c. 25.* quod brevius exponit Auguſtinus *c. 8. de hæreſ.* cum de Cerinthianis refert, quod mundum ab Angelis creatum dixerint. Idem Cerinthus, ſi autori appendicis ad Tertullianum de præſcriptionibus adverſus hæreticos *cap. 48.* credimus, legem ab Angelis datam perhibuit, & Judæorum Deum non Dominum ſed Angelum eſſe dixit. Unde Cerinthum Angelis nimium tribuiſſe agnoſcit Baronius, negat tamen quod Cerinthus, quem Cherinthum appellare ſolet, angelos etiam adorandos docuerit, *A. C. 60.*

p. 573. edit. Rom. Nullos enim plane hæreticos fuisse putat, qui Angelos colendos traderent. Unde Theodoretum non feliciter Apostoli Pauli mentem assecutum esse judicat, cum Coloss. II,18. ab iis cavendum monet, qui in θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων in ea, quæ non viderunt, gradum inferunt. Addit Theodoretum semel lapsum in alium graviorem impegisse errorem, ut canonem 35. concilii Laodiceni de illis hæreticis intelligendum diceret, qui Angelos colendos esse docerent, & in Asia oratoria S. Michaelis Archangeli erexissent, cum tamen illa non ab hæreticis, sed a catholicis antiquitus instituta fuerint. At Jesuita Garnerius *in auctario operum Theodoreti pag. 490.* Theodoretum adversus Baronium vindicare non veretur, & defensores illos Mosaicæ legis, qui juxta Theodoretum divinam benevolentiam per Angelos conciliari oportere dixerunt, Cerinthi asseclas fuisse non dubitat, qui Alexandriæ in Ægypto cum Judæis, Gentilibus & Magis conversatus postea in Asia ac imprimis Phrygia & Pisidia hæresin ex judaismo, idololatria & magia conflatam disseminavit, ac inter alia Angelos colendos docuit. Idem Garnerius oratoria illa S. Michaelis, quæ Theodoreti ætate adhuc in Phrygia & Pisidia perstiterunt, loca illa fuisse tradit, ubi Cerinthiani quondam suas synaxes habuerunt. Quæ omnia etsi Garnerio concedere possimus, probare tamen non possumus ineptam illam distinctionem, qua Pontificiorum angelolatriam a Cerinthiana distinguere conatur. Certe Apostolus in loco allegato religiosum Angelorum cultum, sive quis angelos ut mundi conditores & magicarum artium patronos, sive ut Dei media-

diatores & hominum custodes colat, simpliciter damnavit, quod Davenantius *in comment. epistol. ad Colossenses p. 238. seqv.* prolixius demonstravit.

XXX. Cum impia sua dogmata sacris evangeliis non conformia esse Cerinthus deprehenderet, solum Matthæi evangelium cæteris rejectis approbavit. Non minus acta apostolica & epistolas Paulinas repudiavit, quæ omnia Philastrius testatur. Quin etiam Epiphanio teste *hæres. 28. sect. 5.* Matthæi evangelium non integrum recepit. Idem Philastrius de Cerintho refert, quod Judam proditorem honore dignum censuerit, & sanctos martyres blasphemaverit.

XXXI. Nec illud silentio prætermittendum, quod Cerinthus post resurrectionem regnum Christi per mille annos in terris continuandum, ejusque cives Hierosolymis degentes in omni voluptatum genere victuros, teste Cajo apud Eusebium *libr. 3. histor. eccles. c. 28.* somniavit. Cæterum cum etiam Patres nonnulli ut Papias Hierapolitanus Episcopus, Irenæus & alii chiliasmum foverint, quæri solet, num eadem plane fuerit Cerinthi hæresiarchæ ac quorundam ecclesiæ doctorum de chiliasmo sententia? Negant Calixtus *de supremo judic. p. 163.* Gerhardus *LL. CC. de consummatione seculi* §. 67. Sagittarius *introduct. ad histor. eccles. p. 912.* Kortholtus *histor. eccles. p. 31.* Voetius *Tom. 2. Dispp. select. p. 1256.* & alii, chiliasmum Cerinthi juxta Cajum apud Eusebium, & Augustinum *de hæres. cap. 8.* in carnalibus, Patrum autem chiliasmum in spirituali-

 bus

bus deliciis consistere dicentes, quibus ego quoque olim *in dissertat. de hæresiarchis ævi apostolici* subscripsi. Celeberrimus autem Fechtius in Sylloge Controvers. *Disputat. 49. thes. XI.* & Collegio quodam Manuscripto inter chiliasmum, quem Cerinthus professus est, & illum quem Papias, Justinus Martyr, & alii quidam Patres amplexi sunt, vel nullam vel exiguam differentiam agnoscit. Certe Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus & Lactantius de suo chiliasmo ita disserunt, ut facile pateat, quod a judaicis fabulis non plane alieni fuerint, nec meras spirituales delicias in hoc regno agnoverint. Nec aliam mentem fuisse Papiæ, a quo reliqui Patres chiliasmum hauserunt, Apollinarii, Victorini & aliorum ex Eusebii & Hieronymi relatione constat. Et quæ ratio est, quod Irenæus Cerinthi errores recensens de ejus chiliasmo sileat? Dixi *in dissertatione de hæresiarchis p. 55.* hanc esse rationem, quod ipse quoque millenario regno addictus fuerit. Sed nunc objici mihi posse video, si Irenæi chiliasmus sanctus & spiritualis, Cerinthi autem crassus & carnalis fuit, quod Irenæus salva sua & aliorum Patrum sententia crassum Cerinthi chiliasmum inter ejus errores recensere potuisset. Vera igitur causa, quod Irenæus de Cerinthi chiliastico errore tacuit, non alia est, quam quod Irenæus cum Cerintho in chiliasmi dogmate consensit. Deprehendimus etiam Epiphanium & Damascenum, qui chiliasmo addicti non fuerunt, in recensendis Cerinthi erroribus chiliasmum omisisse, quod nulla alia ex causa factum videtur, quam quod scirent Patrum quorundam chiliasmum cum Cerinthiano vel

omni

omni vel magna ex parte convenire. Accedit, quod Hieronymus chiliasmum Patrum chiliasmo Judæorum parallelum facit, a quibus certe etiam Cerinthus chiliasmum suum hauserat. Equidem Augustinus aliquando chiliasmum in deliciis spiritualibus consistentem credidit, ut ipse profitetur *libr. 20. de civitate Dei c. 7.* ubi dicit, utcunque tolerabilem fore primæ resurrectionis & chiliasmi opinionem, si aliquæ deliciæ spirituales in illo sabbatho affuturæ sanctis per Domini præsentiam crederentur, additque: *nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Sed vulgo longe aliter ecclesiæ Doctores, qui chiliasmum foverunt, de regno hoc statuisse ibidem non dissimulat. Dicit enim, quod primam resurrectionem in apocalypsi memoratam non intellexerint, & insuper in quasdam ridiculas fabulas verterint, item quod eos, qui tunc resurrexerunt, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus sit cibus tantus & potus, ut non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant. Hæc Augustinus loco allegato non de Cerinthianis aliisque hæreticis profert, sed de illis, quos sub initium capitis nostros vocat. His ergo aliisque hujusmodi argumentis evinci potest, inter Cerinthi & Patrum chiliasmum talem differentiam non fuisse, ut unus ab altero tanquam carnalis a spirituali, tanquam terrenus a sancto distingui posit. Unde & Bernhardus Luzenburgius non minus Papiam quam Cerinthum suo hæreticorum catalogo inseruit.

XXXII. Equidem Petersenius in tractatu, qui inscribitur die Ausbreitung der Kirchen in der letzten

ten Zeit / wider Herrn Christoph Kochen p. 45. probare nititur, omnino Cerinthianum Chiliasmum a Patristico toto cœlo distare. Hoc ut probet adducit verba Caji apud Eusebium *libr. 3. histor. eccles. c. 28.* ex versione latina Rufini, qui verba Caji ita interpretatus est: *Cerinthus post resurrectionem terrenum dicit futurum esse regnum Christi in Jerusalem, & homines in carne iterum concupiscentiis & vitiis subjectam conversationem habituros. Contra fidem quoque Scripturarum quosdam mille annos designat, in quibus multa quidem & alia corruptionis opera & nuptiarum festivitates dicit futuras, ad eos, qui libidini sunt dediti, decipiendos.* Verum vitia, quæ Rufinus vocat, in authentico Eusebii textu ἡδοναὶ voluptates appellantur, quas de vitiis interpretari necesse non est, cum de honestis voluptatibus intelligi non incommode valeant. Et quamvis etiam Dionysius Alexandrinus apud eundem Eusebium eodem loco Cerinthum arguere videatur, quod voluptatibus corporis obnoxius carnique addictus in ventris, & earum quæ infra ventrem sunt partium, explenda libidine, hoc est, in cibo, potu ac nuptiis regnum Dei situm fore somniaverit, Cerinthus tamen hanc inculpationem agnovisse non videtur. Nam ipse Dionysius statim subjicit, quod Cerinthus voluptates illas honestiori vocabulo velaverit, & in festis sacrificiis & hostiarum mactationibus regnum illud celebrandum dixerit. Esto autem aliquos Patres Cerinthiano Chiliasmo peccaminosas voluptates tribuisse, cujusmodi sententiam etiam Augustinus *c. 8. de hæres.* Cerinthianis tribuere videtur, cum ait: *mille annos post re-*

sur-

surrectionem in terreno regno Christi secundum carnis, ventris & libidinis voluptates futuros fabulantur, alii tamen Cerinthi chiliasmum moderatius describunt, e quibus Theodoretus *libr. 2. hæret. fabul. c. 3. regnum Domini*, inquit, *terrenum fore dixit, esumque & potum somniavit, & voluptates sibi finxit, & nuptias, & sacrificia, & dies festos, qui Hierosolymis celebrentur, atque hac mille annorum spatio complenda. Tamdiu enim duraturum Domini regnum putabat.* Quid autem in hac Cerinthiani chiliasmi descriptione occurrit, quod non etiam in Patrum chiliasmo deprehendatur? Si autem Cerinthus chiliasmum peccaminosis voluptatibus constantem & spirituales animi delicias excludentem fovisset, dubio procul unanimi Patrum consensu hic error non minus damnatus fuisset, ac alii ejus errores damnati sunt. Quæ de Nepotis chiliasmo hic Peterſenius disserit, ad examen revocare jam non lubet. Ridiculus autem est, cum p. 50. scribit: Weil die / so das tausendjährige Reich Christi geglaubet / ihn beständig verworffen / und ihn als einen Ertzketzer beschreiben / so ist es auf keinerley Weise zu præsumiren / daß sie in ihrem Urtheil geirret / oder dem Cerintho zuviel gethan haben. Vult his verbis probare Cerinthum fuisse pessimum hæresiarcham, & in hoc judicio Patres, qui chiliasmum foverunt, non perinde ac reliquos errare potuisse. Quis vero negat Cerinthum pessimum hæresiarcham fuisse? Asserunt id Patres, qui chiliasmum fovent, asserunt idem Patres, qui a chiliasmo alieni sunt. Interim non video ullam rationem, cur Patres a chiliasmo alieni in hoc judicio facilius errare possint, quam reliqui.

qui. Peterſenius hanc rationem reddit: Weil dieſelbigen ſeine Feinde geweſen / die offt von ihrem Gegner etwas ſchrieben / das ſich nicht alſo verhielte. Annon vero etiam Patres, qui chiliaſmo faverunt, juxta Peterſenium in ipſa quoque chiliaſmi doctrina Cerinthi adverſarii fuerunt? Cur ergo non pari facilitate in judicio de Cerinthi hæreſi errare potuiſſent? Pergit Peterſenius nugando: Nun haben Irenæus und Tertullianus (ſo beyderſeits das Reich geglaubet / und ihn wohl würden angezogen haben / wenn er das Reich alſo / wie ſie / bezeuget hätte) das allerärgeſte von ihm gezeuget / was er für ein Ketzer geweſen. His verbis bonus Peterſenius propria vineta cædit. Si enim Irenæus & Tertullianus longe aliter quam Cerinthus de chiliaſmo teſtati ſunt, ex proprio ſuo principio agnoſcere cogitur, quod hi Patres non idonei ſint, ut de ſuo adverſario teſtentur. Et quam abſurda eſt conſequentia! Si Irenæus & Tertullianus eundem cum Cerintho chiliaſmum ſtatuiſſent, dubio procul ipſum allegaturi fuiſſent. Quis enim pro ſua ſententia peſſimum hæreſiarcham libenter allegare ſolet? Cur autem Irenæus Cerinthi ſententiam de chiliaſmo non allegaverit, jam ſupra indicavi, nempe quia in chiliaſmo cum ipſo conſenſit, quo tamen conſenſu non obſtante Irenæus pariter & Tertullianus Cerinthum peſſimum hæreticum agnoverunt, ejusque varios in fide errores graviter caſtigarunt. Illud adhuc ſcire vellem, unde Peterſenius verba Philaſtrii exſcripſerit, quæ p. 51. adducit: *cum venerit Chriſtus de cælo, mille anni* (ſecundum Cerinthum) *iterum nobis erunt carnaliter ad vivendum ge-*

ne-

nerandum & manducandum. Tales erant Cerinthiani. Hi enim mille annos post resurrectionem in voluptate carnis futuros prædicabant atque inde Chiliastæ græce, latine Milliastæ sunt appellati. Equidem priora verba sunt Philastrii *c.59. de hæres.* qui tamen ibi non de Cerintho loquitur, de quo c.36. egerat, sed in genere de Chilionetitis, quos vocat, seu Chiliastis, ipsos quoque, ut videtur, Patres quotquot tum chiliasmo addicti fuerant, includens. Verba autem posteriora: *tales erant Cerinthiani*, & quæ sequuntur, Philastrii non sunt. Unde patet, Patrum verba a Peterſenio fide non bona allegari, quicquid de magno bibliothecæ suæ Patristicæ apparatu p.41. & seq. glorietur.

XXXIII. Ut autem Cerinthus incautos a simplicitate fidei tanto facilius abduceret, angelicas revelationes jactavit, quas etiam scripto comprehendit. Refert enim Cajus apud Eusebium, quod Cerinthus per revelationes quasdam a se tanquam magno quodam Apostolo conscriptas portenta quædam quasi ab Angelo sibi ostensa commentus introduxerit. Sanctissimam autem Johannis apocalypsin etiam a Cerintho compositam & falso Johannis nomine inscriptam fuisse, quod nonnullos olim tradidisse Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *libr.3. histor. eccles. c.28.* & *libr.7. c. 25.* docet, putidum fuit mendacium, inde ortum, quod in vigesimo hujus apocalypseos capite Cerinthianus chiliasmus doceri crederetur, quæ loci illius apocalyptici interpretatio quam falsa sit passim ostenditur.

XXXIV. Epiphanius *hæres. 28. c. 6.* se a majoribus traditum accepisse narrat, si Cerinthiani quidam absque baptismo vita excessissent, tum eorum nomine & loco alios viventes baptismum suscepisse, ne cum ad vitam revocarentur neglecti baptismi pœnas luerent, ejusque rei gratia usurpata fuisse verba Pauli: *si mortui non resurgent, quid ergo pro iis baptizantur?* 1. Cor. XV, 29. Verum neque ista de hoc Cerinthianorum ritu traditio certa est, neque si certa esset, credibile foret, ab isto hæreticorum ritu Apostolum argumentum resurrectionis depromere voluisse. Locum autem Apostoli allegatum ipse Epiphanius potius de baptismo clinicorum, quam de vicario viventium pro defunctis baptismo, intelligendum existimat. Aliorum sententias de loco hoc apostolico plurimas multumque inter se diversas recensui *in dissertat. de hæresiarch. sect. 1. c. 3. th. 8.* quas nunc repetere omitto. Addo tantum, quod D. Sebastianus Schmidius sententiam suam, quam in disputatione sua de baptismo super mortuis asseruit, adversus Henrici Mulleri exercitationem peculiarem vindicaverit sub initium dissertationis de Sabbatho deuteroproto, quæ est *in fasciculo disputationum numero 8.* Conferri etiam poterunt de baptismo ὑπὲρ νεκρῶν præter autores, quos in prædicta dissertatione allegavi, Colomesius *observat. sacr. pag. 33.* Bochartus *in epistola ad Tapinum pag. 1026.* Le Moyne *not. ad var. sacr. p. 710.* Raynaudus *Tom. 15. oper. p. 422.* Major de oratione pro defunctis *cap. 2. thes. 95. sequ.* Hoornbeck *de baptismo veterum lib. 1. miscellan. p. 479.* Geierus *de precibus pro defunctis thes. 16.* & imprimis

etiam

etiam Fridericus Spanhemius *in diatriba de veterum propter mortuos baptismo Lugduni Batavorum Anno 1673.* in qua plures Autorum & veterum & recentiorum de hoc Paulino loco opiniones & conjecturas collegit, tandemque subjicit ex recensitis tot interpretationibus duas sibi imprimis placuisse, nempe sententiam de baptismo crucis propter mortuos, h. e. propter causam mortuorum, & doctrinam de horum resurrectione, & sententiam de baptismo legali seu Mosaico propter mortuos, quorum ex contactu pollutio fuerat contracta. Quandoquidem tamen utramque hanc sententiam non exiguis scrupulis infestari agnoscit, duas alias sibi in mentem venisse dicit, quarum prior est, quod Apostolus sub voce νεκρῶν per enallagen numeri intellexerit mortuum Christum, cui per baptismum insiti fiduciam suæ resurrectionis habere potuerunt. Sed quia hæc numeri enallage duriuscula videtur, & baptismus propter Christum susceptus omnibus fidelibus communis est, cum tamen Apostolus de singulari quorundam hominum genere, qui ὑπὲρ νεκρῶν baptizantur, loqui videatur, ideo posterior sententia Spanhemio adhuc magis arridet in eo consistens, quod Apostolus sub mortuorum nomine Martyres aliosque Sanctos intellexerit, qui in spem beatæ resurrectionis mortem sive violentam ex persecutione, sive naturalem ex morbo hilari & constanti animo exceperunt, quam animi fortitudinem, qui oculis corporis & animi observarunt, ad Christi fidem & baptismi desiderium animati sint. Quid vero de his Spanhemii & aliis aliorum hac de re meditationibus judicari debeat, ut in præsentia-

rum discutiamus, instituti nostri ratio minus patitur.

XXXV. Tantum autem fuit Johannis Evangelistæ in Cerinthum odium, ut communi balneo cum eo uti detrectaverit, veritus ne balneum rueret, quod impius hæresiarcha ingressus fuisset, ut ex Polycarpi ore refert Irenæus *libr. 3. adv. hæres. c. 3.* & post Irenæum Eusebius *libr. 3. histor. eccles. c. 28.* ubi narrat, Johannem cum lavandi causa balneum introivisset, & Cerinthum intus esse cognovisset, statim ex illo loco aufugisse, cum ne quidem tectum idem cum Cerintho subire sustineret, hortatumque esse suos comites, ut idem facerent, fugiamus, ajendo, ne balneum corruat, in quo Cerinthus est veritatis hostis. Eadem narratio legitur apud Theodoretum *libr. 2. hæretic. fabul. c. 3.* ubi memorat, quod tum Johannes infirmæ valetudinis causa balneo uti voluerit, sed Cerinthum conspicatus dixerit: *fugiamus hinc, ne si balneum Cerinthi causa ruat, eadem & nos ruina opprimamur.* Nullus autem veterum addit, quod post Apostoli digressum Cerinthus balnei ruina oppressus fuerit. De suo ergo addit Prateolus *elencho hæres. libr. 3. p. m. 458. illico vero, cum egressus esset* (Johannes) *collapsa domus Cerinthum cum sua cohorte extinxit*; & simili errore Victorinus Strigelius id, quod Apostolus se timere dixerat, factum esse interpretatus est, cum *in scholiis ad Proverbia c. 22.* tanquam ex Irenæo sequentia profert: *egresso Johanne domus statim collapsa Cerinthum cum reliqua turba oppressit*, cujus rei causa Strigelio strigilis Reinesiana sufferenda fuit in epistolis ad Rupertum & Hoffman-

mannum *epistol. 57.* Nec desunt inter viros doctos, qui errorem errore cumulant, dum non solum Cerinthum balnei ruina oppressum contra veterum fidem referunt, sed etiam tragicum hunc Cerinthi interitum ab Hieronymo in dialogo contra Luciferianos memorari fingunt. Primus erroris hujus dux, quod sciam, est Jesuita Franciscus Feuardentius *in notis ad Irenæi lib. 3. c. 3.* quem deinde multi ex eruditorum numero secuti sunt, non dubitantes, quin Hieronymus in dialogo contra Luciferianos Cerinthum balnei, quo egressus Johannes fuerat, repentina ruina oppressum tradiderit, cum tamen neque in Hieronymi dialogo, neque in universis Hieronymi operibus de tragico illo Cerinthi interitu ne minimum quidem verbulum legatur. Cum D. Sagittarius *in introductione sua ad historiam ecclesiasticam p. 929.* Irenæi de Cerintho relationem adduxisset, statim subjicit, quod Hieronymus in dialogo adversus Luciferianos addiderit, Cerinthum ruina balnei oppressum fuisse, sed Hieronymum illa scribentem memoria fefellerit. At dupliciter fallitur Vir clarissimus, semel cum putat, Hieronymum in dialogo contra Luciferianos addere, quod Cerinthus balnei ruina oppressus fuerit, & iterum, cum Hieronymum hac in re memoria lapsum asserit. Quomodo enim ista in re memoria labi potuit Hieronymus, quam ne uno quidem verbulo attigit? Dicere igitur debuerat Sagittarius, Feuardentium quidem dicere, quod Hieronymus in dialogo contra Luciferianos tragicum Cerinthi interitum memoret, sed Feuardentium ea in re memoria lapsum fuisse.

XXXVI. Non Cerinthum ſed Ebionem balnei ruina extinctum memoriæ prodit Epiphanius *hæreſ. 30. c. 24.* Narrat enim, quod Johannes nunquam alias lavare ſolitus aliquando ſingulari Spiritus S. impulſu balneum adiverit, eumque qui lavantium veſtimenta ſervabat, quæſiverit, quis intus eſſet? ſtatimque, ubi Ebionem intus eſſe comperit, conturbatus cum gemitu dixerit: *abeamus hinc ne balneæ concidant, & cum Ebione, qui intus eſt, ob ejus impietatem obruamur.* Quam Epiphanii de Ebione relationem repetens Jeſuita Raynaudus in S. Johanne Atavo chriſtianitatis Lugdunenſis *Tom. 8. operum p. 198.* de ſuo addit, Johanne digreſſo ſtatim corruiſſe balneum, & oppreſſiſſe lavantem intus hæreticum. Ne autem id ſine antiquitatis fide dixiſſe videatur, exemplo alterius Jeſuitæ Feuardentii ſupra a nobis memorati, Hieronymum in dialogo adverſus Luciferianos hunc Ebionis caſum literis conſignaſſe ſtrenue mentitur, cum in illo Hieronymi dialogo, ut de Cerinthi ita & de Ebionis oppreſſione per balnei ruinam, ne unica quidem ſyllaba legatur. Cæterum cum, quæ Irenæus de Cerintho refert, eadem Epiphanius de Ebione narret, *nonnulli* utrumque ita conciliant, ut Cerinthum & Ebionem ſimul lavaſſe ſtatuant. Alii Epiphanium ex memoriæ lapſu Ebionem pro Cerintho nominaſſe judicant. Basnagius vero *in exercitat. crit. ad Baron. pag. 365. ſeqv.* Epiphanio potius quam Irenæo fidem adhiberi cupit, cum Cerinthum ſerius vixiſſe opinetur, quam ut cum Johanne Evangeliſta uni balneo intereſſe potuerit, Irenæus autem illo tempore admodum juvenis fuerit,

cum

cum factum hoc ex Polycarpi ſenis ore audivit, in qua ætate vel Polycarpi ſenis, vel Irenæi juvenis memoriam non difficulter labi potuiſſe arbitratur. Verum etſi antiqui nonnulli Scriptores, qui catalogos hæreticorum contexuerunt, Cerinthum Carpocrati poſtponant, Cerinthum tamen omnino Johanni Evangeliſtæ coævum fuiſſe ex iis, quæ dicta ſunt, dubitare non licet, nec ulla alia nos cogit ratio, ut Polycarpi & Irenæi fidem dubiam reddamus.

XXXVII. EBIONI hæreſiarchæ hoc nomen non ſine omine a parentibus inditum, ſed eo ſignificatum fuiſſe, quod pauper & miſer futurus eſſet, notat Epiphanius *hæreſ. 30. c. 17.* Vox enim ebion apud Hebræos pauperem ſignificat. Et revera Ebion mente & ſpe ſua pauper fuit, quia Chriſtum merum hominem eſſe exiſtimavit, & ἐν πτωχείᾳ πίστεως, ſeu cum quadam fidei mendicitate ſpem in ipſo collocavit, ut nomen hoc ab Epiphanio ibidem explicatur. Equidem non pauci ſunt, qui hæreſiarcham aliquem nomine Ebionem in rerum natura unquam fuiſſe negant, ut Socinus, Oſtorodus, Curcellæus, Clericus, Jurius, Vitringa, Phil. Jacobus Hartmannus, Godofredus Arnoldus, & alii, e quibus Simonius *Tom. I. Critic. N. T. c. 8. p. 89.* Epiphanium, Ebionitas ab Ebione quodam deducentem, confert cum Illeſca Scriptore Hiſpano, qui Hugonottas in Gallia ab Hugone quodam hæreſiarcha Sacramentario, qui nunquam in rerum natura fuerit, deduxit. Verum etſi vox Ebion pauperem, egenum & mendicum denotet, & Ebionæi ob qualitatem doctrinæ ſuæ hujus cognomenti ſcommate notati fuerint, ut

ut hac allusione indicaretur, hæreticis illis nomen Magistri sui Ebionis a paupertate dicti optime quadrare, partim quia abjecte de Christo negata ejus divinitate sentiebant, partim quia legalibus cerimoniis, quas Apostolus πτωχὰ στοιχεῖα, seu egena elementa appellat, adhærebant: ex eo tamen non sequitur, nullum hæreticum nomine Ebionis unquam insignitum fuisse. Vox nabal apud Hebræos stultum significat, & erat tamen Davidis tempore stultus quidam, qui proprio suo nomine Nabal dicebatur. Nec primus Epiphanius, quæ Godofredi Arnoldi fabula est, Ebionis hæretici meminit. Annon enim Tertullianus, qui Epiphanium duobus seculis antecedit, *in tractatu de carne Christi c. 14.* & *in libro de præscriptionibus adv. heret. c. 33.* Ebionis hæretici mentionem fecit, etsi Johannes Clericus *in bibliotheca universal. Tom. XX. pag. 128.* memoria lapsus Tertullianum de Ebione siluisse dicat? Annon antiquus autor, qui Tertulliani libro de præscriptionibus catalogum aliquot hæresium adjecit, hæreticum aliquem nomine Ebionem fuisse agnoscit? quibus nonnulli Epiphanio coævi & suppares Scriptores adjici possunt, Hieronymus *in commentario epistolæ ad Galatas, in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum, in dialogo adversus Luciferianos* & alias, Philastrius *de heresibus c. 37.* Rufinus *in expositione symboli*, Marius Mercator *Tom. II. operum p. 128 edit. Garner.* Theodoretus *de hereticis fabulis libr. 2. c. 1.* ut interpolatorem Ignatii in epistola ad Philadelphienses, & alios taceamus. Cum ergo tot Scriptores ecclesiastici Ebionem quendam cum aliis Hæresiarcharum individuis conjungant, non-

nonnulli etiam Ebionis patrem, discipulos, aliaque ad vitæ ejus curriculum spectantia enarrent, causa non est, ut hæreticum quendam nomine Ebionem Apostolorum ævo extitisse dubitemus. Irenæus & alii, qui nusquam Ebionem, sed ubique Ebionitas nominant, etiam Ebionitas ab Ebione quodam ortum suum habere nusquam negant. Etsi igitur olim *in appendice ad dissertationem de hæresiarchis thes. 24.* scripserim, me hac de re cum nemine magnopere litigaturum, cum Epiphanii autoritatem minime irrefragabilem agnoscam, postea tamen re melius expensa in fasciculo observationum miscellanearum, quem supplemento Clementis Alexandrini adjunxi observ. 9. sententiam hanc mutavi, cum Epiphanius nec primus nec solus fuerit, qui hæresiarcham nomine Ebionem asseruit.

XXXVIII. Duplicis generis Ebionitas fuisse testatur Origenes *contra Celsum libr. 5.* unum eorum, qui Jesum e Virgine natum agnoverunt, alterum eorum, qui eum more reliquorum hominum natum asseruerunt. Equidem videri possit, quod Origenes etiam tertium Ebionitarum genus agnoverit, quia *libr. 2. contra Celsum* statim sub initium scribit, Ebionitas dictos fuisse, qui e Judæis Jesum pro Christo receperunt. Veruntamen per hos non alios intelligere videtur, quam qui Jesum Spiritus S. virtute conceptum, & ex Virgine natum crediderunt. Etsi vero hoc Ebionæorum genus a reliquis dissentiret, qui Christum instar vulgaris hominis ex Josepho & Maria procreatum, & tantum virtutis profectu justum factum statuebant, in eo tamen

men cum reliquis conveniebat, quod veram Christi divinitatem negaret, eumque merum hominem profiteretur, ut docet Eusebius *lib. 3. histor. eccles. cap. 27.* Unde Virum quendam illustrem, qui alterum Ebionitarum genus de Christi divinitate recte sensisse existimavit, corrigendum monet Huetius *in not. ad Origenem. pag. 74.* licet eodem loco & ipse Huetius erraverit, cum illos Ebionitas, qui Christum ex Josepho & Maria natum statuerunt, a Nicephoro Majores appellari scribit. Nicephorus enim *libr. 3. histor. eccles. c. 13.* non dicit, Ebionitas quosdam majores appellari, sed hos hæreticos a majoribus Ebionæos appellatos esse, quem Huetii errorem ex latina versione male intellecta profectum notavit tacito tamen Huetii nomine Cotelerius *Tom. III. monum. eccles. græc. p. 765.*

XXXIX. Ebionæi ergo perinde ut Cerinthiani Christum pro mero homine habuerunt, quod confirmant Tertullianus, Pamphilus in apologia pro Origene, Philastrius, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Hilarius, Hieronymus, & plures alii. Equidem Irenæus *libr. I. adversus hæres. c. 26.* Ebionæos de Christo non similiter ut Cerinthianos sensisse scribit. Hinc nata quæstio, quænam illa in Ebionitarum & Cerinthianorum doctrina circa articulum de Christo differentia fuerit? Et Siricius quidem, qui Ebionis historiam ex instituto pertractavit *thes. 10.* in generalioribus Irenæi verbis acquiescendum potius, quam specialem Ebionis & Cerinthi dissensum operose inquirendum censet. Mihi vero valde arridet conjectura eorum

rum

rum, qui cum Dannhauero *in christeid. p. 521.* particulam negativam in adductis Irenæi verbis expungendam ſuſpicantur, aut pro verbis *non ſimiliter* legendum: *conſimiliter*, quæ conjectura eſt Pearſonii *in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 2. p. 25.*

XL. Eandem ob cauſam, quia nempe Chriſtum pro mero homine habuerunt, Ebionitæ a Prudentio Homuncionitæ appellantur, ut Victor Giſelinus *in notis ad Prudentii apotheoſin pag. 467.* ſuſpicatur, etſi Chamillardus, qui Prudentii opera in uſum Delphini edidit, non ad Ebionem, ſed ad Paulum Samoſatenum reſpici arbitretur. Quæ ſententia forte cum priori non male conjungi poterit, cum nihil obſtet, quo minus omnes hæreticos Chriſti divinitatem impugnantes hoc cognomine notatos dicere poſſimus, quemadmodum etiam iſti hæretici a Cypriano *epiſtola ad Jubajanum*, & Lactantio *libr. 4. inſtitut. c. ult. Anthropiani* cognominantur, niſi Lactantius, quæ Sparckii conjectura eſt, ſub Anthropianorum nomine Anthropomorphitas potius intellexerit; quanquam ipſos quoque Ebionitas Anthropomorphitas fuiſſe colligi poſſit ex homiliis Clementinis, quarum autorem fuiſſe aliquem Ebionitam creditur. Unde Petavium in deſignando origine Arthropomorphitarum, quam ad quartum ſeculum retulit, erraſſe notat Clericus *not. ad Petavii dogmata Theologica Tom. I. p. 88.*

XLI. Eo ſolo quod ſecundum Matthæum eſt evangelio uſos fuiſſe Ebionitas, refert Irenæus *libr. I.*

adv. haret. c. 26. Eusebius autem pro evangelio secundum Matthæum nominat evangelium secundum Hebræos, quod ab evangelio secundum Matthæum diversum fuisse probat Dupinius in nova bibliotheca, cujus sententiam approbat Grabius *in spicilegio Patrum & Hæreticorum I. II. & III. seculi Tom. I. pag. 21. seqv.* Ubi insuper notamus, quod Epiphanius Ebionæos evangelium secundum Matthæum non integrum recepisse, sed genealogiam Christi resecuisse memorat. Quam relationem cum Baronius Epiphanii autoritate veram esse judicet, mirum est, quod parum sui memor dicat, Ebionæos ex genealogia Christi apud Matthæum humanitatem Christi ita didicisse, ut ejus divinitatem impugnaverint, quod Baronii parorama castigavit Basnagius *in exercitat. critic. ad Baronium p. 398.* Cæterum Marius Mercator Scriptor Augustino coævus in appendice ad contradictionem duodecimi anathematismi Nestoriani tradit, Ebionem, quem Stoicum Philosophum fuisse dicit, asseruisse, se in doctrina sua, qua Christum ex Iosepho & Maria natum merum hominem fuisse, & vitæ tantum merito omne hominum genus præivisse, ideoque in Dei Filium adoptatum fuisse, docuit Matthæi, Marci & Lucæ Evangelistarum autoritatem secutum fuisse. Præter evangelium Matthæi, seu potius secundum Hebræos, etiam pentateuchum Mosaicum sed non integrum recepisse, Prophetas autem plane respuisse Ebionem Epiphanius autor est *hæres. 30. sect. 15.* Non minus epistolas Pauli, quem tanquam Apostolum apostatam calumniati sunt, ejus asseclæ repudiarunt, ut Irenæus & Eusebius *l. c.* nec

non

non Origenes *libr. 5. contra Celsum*, & Theodoretus *libr. 2. haret. fabul. c. 1.* testantur. Non minus acta apostolica respuerunt, quorum loco Petri circuitus aliosque hujusmodi libros sub Jacobi aliorumque Apostolorum nomine confictos circumtulerunt, qua de re Epiphanius videri poterit.

XLII. Optatus Milevitanus *libr. 4. de schismate Donatistarum* Ebioni tribuit, quod non Filium sed Patrem passum esse dixerit. Unde id Optatus hauserit nescio. Interim mihi prorsus improbabile videtur, quod Ebion Patripassianus fuerit; siquidem Christum merum hominem & a Patris Persona plane alienum credidit. Docuisse autem Ebionem, quod Christus tantum propter carnales Judæos in mundum venerit & passus fuerit, memoriæ prodidit Origenes *libr. 4. de principiis*, & *Philocalia libr. I. p. 45.* Quem Origenis locum adducens Lupus *in notis ad Tertullianum de præscript.* suspicatur, ad hunc ipsum Ebionis errorem mentis suæ oculos intendisse Johannem cum in prima epistola cap. II. v. 1. Christum propitiationem esse dicit non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis.

XLIII. Quantum Judaismo adhæserit Ebion, ex eo colligi potest, quod circumcisionem & legis observantiam ad salutem necessariam duxerit, ut testatur Irenæus *libr. I. c. 26.* Tertullianus *de præscriptionibus c. 33.* & autor appendicis *c. 48.* Rufinus *in expositione symboli*, Hieronymus ad Esa. I. ubi Ebionem simul bove & asino arasse ait, quia evangelium ita recepit, ut ju-

judaicarum superstitionum cerimonias non reliquerit. Ad judaicas illas & plusquam judaicas Ebionitarum superstitiones pertinet, quod Hierosolymam adoraverunt Irenæo teste; item quod juxta Eusebium *libr. 3. histor. eccles. c. 27.* & Theodoretum *libr. 2. haeretic. fabul. c. 1.* tam diem Dominicam cum christianis, quam sabbathum cum Judæis celebrarunt; item quod juxta Damascenum *haeres. 30.* continuo se aqua abluerunt; ad quas Ebionitarum lotiones respexisse D. Johannem, cum in prima epistola cap. I. v. 8. sanguinem Jesu Christi Filii Dei nos ab omni peccato emundare pronunciat, suspicatur Estius *in commentar. ad h. l.* Neque hic silentio prætermittendus judaicus Ebionis chiliasmus, cui ipsum non minus quam Cerinthum addictum fuisse testatur Hieronymus ad Esa. 66. *Judaei, inquit, & judaici erroris haeredes Ebionitae, qui pro humilitate sensus nomen pauperum susceperunt, omnesque mille annorum delicias praestolantes, equos & quadrigas sic intelligunt, uti scripta sunt.* Nec minus judaismum olent panes azymi, quos Ebionitas cum aqua & mysteriis suis annuis usurpasse Epiphanius autor est.

XLIV. Varias contra Christum blasphemias evomuisse Ebionitas narrat Epiphanius, & varia erronea dogmata illis tribuit, quibus enumerandis supersedemus, cum pleraque Helcesaitarum potius, qui se Ebionitis conjunxerunt, vel Sampsæorum & Ossenorum, quam Ebionitarum fuerint. Quando autem Epiphanius extremum Johannis Evangelistæ in Ebionem odium refert, communi cum ipso balneo uti detrectan-

ctantis, & balnei ruinam metuentis, quam etiam aliqui factam addiderunt, male Arnoldus ita judicat Ketzer-Hist. *part. I. libr. I. c. 4. pag. 47.* mit dieser Erzehlung haben sich die unzeitigen Eiferer und Ketzermacher wohl zu behelffen gewust/ indem sie alle ihre ungerechte und lieblose Händel damit zudecken wollen. Deswegen sie auch dem Liebes-vollen Johanni hiebey einen solchen Grimm und verbitterten Sinn zuschreiben. An non vero tanto majus est in Sanctis odium adversus hæreticos, quanto major est in iis Dei caritas? Certe David, qui Deum toto corde diligebat, etiam impios toto corde oderat, ut ipse in psalmo 119. & 139. testatur, Quid ergo mirum Evangelistam Johannem, qui ferventissimo Dei & Christi amore flagrabat, ferventissimo quoque odio hostes Dei & Christi prosecutum fuisse? qua de re Maxime Reverendi Dn. D. Schelguigii disputatio de Ebionitis Arnoldo imprimis opposita videri poterit.

XLV. NAZARÆOS, quos Epiphanius medio Cerinthianos inter & Ebionitas loco *hæres. 29.* posuit, H. Grotius *in prolegom. ad Matthæum*, & G. J. Vossius *in dissertat. de genealog. Christi c. 2. p. 18.* eosdem esse putant cum illo Ebionæorum genere, qui Christum Spiritus S. virtute conceptum confessi sunt, Verum cum neutrum Ebionitarum genus divinitatem Christi agnoverit, ut in præcedenti thesi XXXVII. dictum est, Nazaræi autem divinitatem Christi non inficiati videantur, Huetius *not. ad Origen: p. 74.* Nazaræos ab utroque Ebionæorum genere diversos fuisse judicat. Sane Epiphanius ipse se certo illud affirmare

non

non posse profitetur, utrum Nazaræi Cerinthi impietate decepti Christum simplicem hominem asseverent, an per Spiritum S. de Maria virgine genitum fateantur, interim tamen in eo Nazaræos ab Ebionitis differre dicit, quod in Christum credant, quos etiam unum Deum & Filium ejus Jesum Christum prædicare asserit. Et quamvis Theodoretus *libr. 2. hæret. fabul. c. 2.* tanquam certum affirmet, Nazaræos Judæos esse Christum honorantes tanquam hominem justum, Philastrius tamen *hæres. 8.* inter errores Nazaræorum hunc non posuit, quod Christum pro mero homine agnoverint, contra vero Augustinus *cap. 9. de hæresibus* Nazaræos Dei Filium Christum esse profiteri asserit, quæ etiam Damasceni *de hæres. c. 29.* de Nazaræis est sententia.

XLVI. Potissimus igitur Nazaræorum error in eo fuit positus, quod judaicæ legis observationem tanquam necessariam urserunt, ut præter Epiphanium aliosque autores testatur Augustinus *libr. 7. de baptismo c. 1.* & Hieronymus *epist. 29.* ubi Nazaræos in Christum credere affirmat, sed quia & Christiani & Judæi esse velint, nec Judæos nec Christianos esse judicat, item *in commentario ad Ezechielem c. 16.* ubi eos veteris legis observantiam evangelicæ gratiæ aptantes novum vinum in veteres utres mittere pronunciat. Neque tamen Nazaræi per hunc cum Judæis consensum Judæorum gratiam conciliare potuerunt. Tanto enim, teste Epiphanio *hæres. 29. c. 9.* Judæi Nazarænos odio prosecuti sunt, ut eos ter de die nimirum mane, & circa meridiem, & vesperi diris devoverint, quamvis Hie-

Hieronymus *ad c. 12. Esaiæ* in omnes christianos sub Nazaræorum nomine ter singulis diebus maledicta a Judæis congesta affirmet. Quæ sententia etiam Baronio placet *A. C. XLIII. 16.* cui contradicit Basnagius *in exercitat. crit. contra Baronium p. 428.*

XLVII. Nazaræos ab Ebionitis in eo discrepasse statuit Simonius *histor. critic. N. T. cap. 7.* quod Nazaræi integrum veteris testamenti canonem cum Judæis retinuerint, Ebionitæ autem solum Pentateuchum usurpaverint. Deinde in eo quoque aliquam inter Nazaræos & Ebionitas differentiam constituit, quod Nazaræi hebraicum Matthæi evangelium incorruptum servaverint, Ebionitæ autem illud evangelium corruperint & adulteraverint, quod post Trajani tempora factum esse statuit Dodvvellus *differt. I. ad Irenæum p. 72.* Etsi vero Simonius minime dubitet, quin Matthæus evangelium suum in gratiam Judæorum Hierosolymis commorantium ea hebraicæ linguæ dialecto, quæ tunc temporis usitata fuit, scripserit, quod postea ab aliis in gratiam Gentilium christianam fidem amplexorum græce conversum fuerit, nec sane nova sit illa de hebraico Matthæi evangelio traditio, sed multorum Patrum testimoniis confirmata, unde etiam nostratium aliqui Matthæi evangelium hebraice ab ipso scriptum inficiari nolunt, dummodo asseratur, græcum quo hodie gaudemus textum omni tempore authenticum habitum fuisse, fuisset licet non primitivus, sed per versionem Jacobi derivativus, uti Dannhauerus *in christeide sua p. 110.* loquitur, quam ob causam etiam

Glaſſius *in philologia S. libr. I. tract. 4. p. 231.* liberam in hac controverſia optionem cuilibet relinquit, ſive affirmativam ſive negativam ſententiam eligendi, dummodo græco textui ſua autoritas relinquatur: traditio tamen illa de hebraico Matthæi evangelio ſolide probari non poteſt, nec tantus eſt, quantus a Simonio aliisque jactatur, Patrum conſenſus. Unde etiam opus non eſt, ut multis in græcum hujus evangelii interpretem inquiratur, quem Jacobum fuiſſe Athanaſius *in ſynopſi Scripturæ*, Johannem Theophylactus *in proœmio ad Matthæum*, Lucam & Paulum Anaſtaſius Sinaita *libr. 8. anagogicarum contemplationum in hexaemeron*, Barnabam Nicephorus aſſerit *libr. 12. c. 37.* ſi credimus B. Walthero in officina biblica, quem tamen ne memoria fefellerit valde vereor, Marcum Euſebius & Hieronymus a B. Gerhardo *in exegeſi loci de Scriptura §. 243.* & *in prolegomenis ad Matthæum* allegati, græcum hujus evangelii interpretem faciunt, etſi etiam in hoc celeberrimo Theologo, quoad hanc Euſebii & Hieronymi allegationem memoriæ lapſum metuam. Verum cum de hebraico Matthæi evangelio *in diſſertat. de hæreſiarch. ævi apoſtol. ſect. I. c. 7. a pag. 70. usque ad 84.* & *in appendice a pag. 19. usque ad 24.* prolixe egerim, denuo hanc controverſiam hic repetere non lubet.

XLVIII. NICOLAITARUM mentio fit Apoc. II, 6. 15. ubi Coccejus ſtatuit, ſub Nicolaitarum nomine tanquam ſub ænigmate quodam Papiſtas intelligi, quos alluſione ad derivationem nominis facta Nicolaitas, h. e. victores populorum, dici arbitratur,

cum

cum nomen Nicolaus, ſi ejus originem ſpectemus, idem ſit ac νικῶν λαὸν vincens populum. Simile myſterium in nomine Nicolaitarum quærit Matthæus Hoffmannus, *in chronotaxi Apocalyptica p. 135.* qui tamen Romanos gentiles tot populis dominantes ſub Nicolaitarum nomine intelligi arbitratur. Ligtfootus autem ad 1. Cor. VI, 12. ubi ad Nicolaitas reſpicere Apoſtolum ſuſpicatur, a Chaldaica voce ניכילה *comedamus*, Nicolaitas derivat, quia nequiſſimi illi homines ſibi & aliis ita acclamaverint, cum ſub prætextu libertatis chriſtianæ ad comedenda idolothyta diſcubuerunt. At veriſimilius mihi videtur, Nicolaitas illos, quos Evangeliſta Johannes in ſua apocalypſi idolothytis & fornicationi addictos fuiſſe memorat, a Nicolao quodam hoc cognomentum accepiſſe.

XLIX. Quis autem Nicolaus ille fuerit ſi quæramus, reſpondet Irenæus *l. I. adverſus hæreſ. c. 27.* Nicolaitarum indiſcrete viventium Magiſtrum Nicolaum unum ex ſeptem primis eccleſiæ Diaconis fuiſſe. Videtur autem Irenæus indicare voluiſſe, quod hic Nicolaus, qui una cum cæteris Collegis Act. VI, 3. a bona fama commendatur, ſucceſſu temporis in peſſimum impietatis magiſtrum degeneraſſe, quod confirmant autor appendicis ad Tertullianum *de præſcriptionibus c. 46.* Hilarius *canone 25. in Matthæum*, ubi Nicolaum hunc falſum Prophetam appellat, Epiphanius *in panario hæreſ. 25. c. 1.* Philaſtrius *de hæreſ. c. 33.* Hieronymus, qui paſſim Nicolaum tanquam immunditiarum repertorem choros fœmineos ducentem, & obſcœnos

auditque erubescendos concubitus somniantem introducit, Damascenus *hæres. 25.* Timotheus Presbyter *de receptione hæreticorum p. 381.* Dorotheus *de vitis 72. discipulorum*, aliique. Sed putaverim proselyto huic Antiocheno, qui ob singularia Spiritus S. charismata ab Apostolis inter septem primos Diaconos cooptatus est, injuriam ab illis fieri, qui ipsum turpissimæ hæreseos autorem faciunt. Certe quod Epiphanius de ipso refert, nempe quod aliquandiu ab uxore sua formosa se continuerit, postea vero voto continentiæ rupto ad ejus usum reversus, varias excusationes finxerit, tandemque eo usque insaniæ processerit, ut doceret, eum qui non singulis diebus Venerem exerceret, æternæ vitæ participem fieri non posse, ab omni veritatis specie abhorret. Quis enim credat ævo apostolico continentiæ votum usque adeo viguisse, ut etiam uxorati tali voto se obstrinxerint, & ad uxorum consvetudinem reversi varias excusationes fingendi necessitatem habuerint.

L. Alii igitur Nicolaitas hunc Nicolaum falso pro sectæ suæ autore venditasse statuunt, ut interpolator epistolæ Ignatianæ ad Trallianos & *Philadelphienses*, qui Nicolaitas ψευδωνύμους appellat, item Clemens Romanus *libr. 9. constit. apostol. c. 8.* ubi Nicolaitas Nicolai nomen usurpantes falsitatis arguit, nec non Clemens Alexandrinus *libr. 2. stromat.* ubi sententiam aliquam Nicolai in pravum sensum detortam memorat, & *libr. 3. stromat.* ubi factum aliquod Nicolai, qui de Zelotypia accusatus uxorem suam in medium adduxit, a Nicolaitis ita acceptum refert, quasi promiscuos con-

concubitus approbasset. Quam narrationem Clementis Alexandrini etiam Eusebius *libr. 3. hist. eccles. c. 29.* & Theodoretus *libr. 3. de hæret. fabul. c. 1.* repetunt. Sic ergo Nicolaus & defensores habuit suos & accusatores. Utrosque ex parte nominat Gobarus apud Photium *in bibliotheca cod. 232. fol. 477. edit. Hoeschelianæ.* Inter accusatores nominat Hippolytum & Epiphanium, quibus Cotelerius *ad libr. 6. constit. cap. 8.* addi posse observat Irenæum, Tertullianum, Hilarium, Pacianum, Gregorium Nyssenum, Philastrium, Hieronymum, Gelasium, Gildam, Anastasium, Pseudo-Dorotheum, Agobardum, Rabanum, Autorem Prædestinati, Humbertum Sylvæ candidæ, & alios plerosque. Inter Patronos Nicolai Gobarus nominat Ignatium, Clementem Alexandrinum, Eusebium & Theodoretum, quibus Cotelerius addi posse observat Victorinum Petabionensem, Haymonem Halberstadiensem, & quosdam illos, quos Cassianus *collat. 18. c. 16.* memorat.

LI. Fortasse autem Nicolaitæ non ab illo proselyto Antiocheno, qui Act. VI, 5. inter septem primos Diaconos numeratur, sed ab alio quodam Nicolao, cujus memoria in obscuro latet, cognomentum suum acceperunt. Cæterum quod glossator corporis canonici *caus. 2. quæst. 7. cap. non omnes Episcopi*, ubi hæc Hieronymi verba allegantur: *Stephanum suscipis, sed Nicolaum respice* in extremo margine notavit Nicolaum istum fuisse Mahometem, quem colunt pagani, non minus risu dignum est, quam quod Benvenutus Imolensis Mahometem S. Romanæ ecclesiæ Cardinalem

fuiſſe aſſeruit, aut quod Ambroſius Ansbertus *commentar. ad Apocalypſin Tom. III. BB. PP. edit. Lugdun. p. 433.* omnes hæreticos Nicolaitarum nomine comprehendi ſcribit, cum Nicolai nomen ſtultum populum denotet, & talem populum hæretici repræſentent. Alias ſequiore ævo Nicolaitæ dicti fuerunt Clerici, qui conjugii uſu non abſtinuerunt, ut ex can. 19. concilii Turonenſis 2. conſtat, ſicut & Petrus Damiani Nicolai hæreſin in eo verſatam fuiſſe conſtituit, quod Clericos cujuslibet ordinis nuptialibus fœderandos conjugiis ſtatuerit. A qua ſententia non alienus fuiſſe videtur Autor Prædeſtinati, quippe qui *hæreſ. 4.* inter alia dicit, quod Chriſtus nulli diſcipulorum ſuorum commixtione etiam legitimi conjugii uti permiſerit, quod quam falſum ſit, nemini qui S. Scripturam legerit, obſcurum eſſe poteſt. Rectius ergo Rupertus Tuitienſis *in comment. ad apocalypſin* eos potius Nicolaitarum nomine dignos æſtimat, qui a conjugio legitimo abſtinent, & vagas libidines ſectantur.

LII. Nicolaitæ enim in apocalypſi Johannea imprimis ob ſcortationem reprehenduntur, ut & ob ſcortationem ſpiritualem in comedendis idolothytis. Ad quæ duo capita etiam Irenæus *libr. I. cap. 27.* Nicolaitarum errores revocat. Alibi tamen etiam Nicolaitas de Deo & Chriſto male ſenſiſſe inſinuat. Nam *libr. 3. cap. 11.* inter hæreticos, quibus Johannes initium ſui evangelii oppoſuit, etiam Nicolaitas nominat. Sane Auguſtinus in libello de hæreſibus autor eſt, Nicolaitas non Deo, ſed Poteſtatibus quibusdam, quas mira-

mirabili vanitate vel finxerunt vel crediderunt, creationem mundi tribuisse. Plura Nicolaiticorum dogmatum portenta barbaris vocibus involuta, variisque visionibus & somniis innixa a Philastrio & Epiphanio recensentur, indigna quae repetamus.

LIII. De VARISUO, CLEOBIO vel CLEOBULO, THEODADE, THEBUTE seu THEOBUTO, GORTHÆO, MASBOTHÆO, ENTYCHITIS, CANISTIS, & ADRIANISTIS egi in dissertatione de hæresiarchis seculi apostolici & apostolico proximi sect. I. cap. 3. De HERMOGENE, PHYGELLO, DEMA, HYMENÆO, PHILETO, ALEXANDRO & DIOTREPHE cap. 8. Addidi etiam nonnulla de Varisuo, Hymenæo, & Phileto in appendice hujus dissertationis, sed hac vice amplius aliquid addere non lubet.

CAPUT VI.

De

Persecutionibus & Martyribus.

I.

NOn solum autem varias hæreses, sed graves etiam persecutionum procellas adversus ecclesiam, ut felices ejus progressus impediret, Satanas excitavit.

vit. Nam primum Judæi, ut evangelii cursum sufflaminarent, nuncios suos & epistolas calumniis in christianam religionem ipsumque Christum refertas quaquaversum miserunt, ut testatur Justinus Martyr *in dialogo cum Tryphone*, & Eusebius *in commentario ad Esajam*, quem in nova Patrum collectione ante biennium græce & latine edidit Bernhardus de Montfaucon, *cap. XVIII, 1.* ubi dicit, omnes ubique Judæos pariter & uno consensu christianæ doctrinæ contra dixisse. Inter alia dicit, in veterum scriptis reperiri, Hierosolymitanos judaicæ gentis Sacerdotes & Seniores literas in omnes gentes misisse ad omnes ubique Judæos, quo Christi doctrinam traducerent, ut novam ac Deo inimicam sectam, ac epistolis monuisse, ne illam reciperent. Quem Eusebii locum etiam ex Manuscripto Eusebiani hujus commentarii codice exhibet Heinsius *exercit. sacr. libr. 7. c 9.* Exemplum autem talis epistolæ, quasi a Judæis Hierosolymitanis statim post Christi passionem ad Judæos Ulmenses scriptæ, exhibet Martinus Crusius *in annalibus Suevicis libr. 5. c. 2.* ubi refert, A. C. 1348. cum Judæis omnibus Ulmæ combustis bona eorum annotarentur, repertas fuisse inter ea literas quasdam tempore Christi ex urbe Hierosolyma Ulmam missas habitantibus videlicet ibi etiam tum Judæis, in hanc sententiam:

Fratribus in regionibus transmarinis Judæis Ulmæ in Suevia salutem optant fratres, qui sunt Hierosolymæ & in Judæa sive terra Canaan. Magna tribulatione liberati merito Deo gratias agimus magnopere. Significamus vobis, impium seductorem Je-

Jesum Nazarenum Josephi filium sublatum e vivis esse. Cum enim non amplius blasphemias ejus ferre possemus, eum apud Prætorem Romanum accusavimus, qui nostra accusatione audita misericordia nostri affectus bene flagellatum crucifigendum curavit pro meritis ejus, discipulis ejus ejectis & dispersis. Valete.
Addit Crusius etiam aliis in locis captos Judæos confessos fuisse, literas his de rebus Hierosolymæ scriptas tempore Christi fuisse. Eandem Judæorum ad Ulmenses epistolam ex germanico Sebastiani Franckii chronico germanice exhibet Wagenseilius in der Belehrung der Jüdisch-deutschen Red-und Schreib-Art A. 4. præfat. ubi etiam ex Cœlestini Mausoleo refert, quod Judæi A. 1519. Ratisbona expulsi secum abstulerint epistolam, quam Judæi Hierosolymitani anno, quo Christus crucifixus est, ad Judæos Ratisbonenses scripserunt, & in qua de Christo e vivis sublato exultarunt. Fides sit penes Autorem. Non solum autem per ejusmodi epistolas Judæi christianæ religioni detrimentum aliquod accersere satagebant, sed etiam magno furore adversus Christi discipulos grassabantur, unde nata Stephani lapidatio, cujus corpus cum per diem & noctem insepultum jacuisset, vehiculo Gamalielis in locum 20. milliaribus ab Hierosolyma distantem portatum, septuaginta dierum planctu honoratum magnaque cum pompa terræ mandatum refert Baronius, quem refutat Pearsonius *in lect. 7. ad acta thes. 8. & 9.* De anno martyrii Stephani agit Spanhemius *in quaternione dissertationum pag. 197.*

II. Stephani lapidationem excepit magna Diſcipulorum diſperſio, Apoſtolis tamen adhuc in urbe Hieroſolyma manentibus, e quibus poſtea in Judæorum gratiam Jacobus major Herodis gladio truncatus eſt. Herodes autem ille, cujus juſſu Jacobus truncatus eſt, non fuit Antipas, qui Johannem Baptiſtam carnificis gladio tradiderat, & Chriſto illuſerat, ut Eraſmo *in paraphraſi Actorum*, & Roberto Bailio *in opere hiſtorico & chronologico libr. 2. cap. 1.* viſum eſt, ſed Herodes Agrippa, ut recte contra illos monuit Baſnagius *exercitat. ad Baronium p. 443.* Et iſtæ Judæorum perſecutiones etiam e terra viventium ſuſtulerunt Jacobum juſtum fratrem Domini, cujus lapidationem juſſu Anani Summi Pontificis factam omnibus bonis & juſtitiam amantibus in urbe Hieroſolyma diſplicuiſſe narrat Joſephus *libr. 20. antiquit. c. 8.* cujus narrationem cum Hegeſippo, qui apud Euſebium *libr. 2. c. 23. hiſtor. eccleſiaſt.* ejusdem Jacobi martyrium deſcribit, conciliare nititur Ruinartus *in actis Martyrum ſinceris p. 3. & 4.*

III. Non ſolum autem Judæi, ſed gentiles etiam chriſtianum nomen perſecuti ſunt. Et primus quidem inter Imperatores gladium adverſus Chriſtianos ſtrinxit Nero, ut Tertullianus *cap. 5. ſui apologetici* teſtatur. Quam perſecutionem extenuat Dodvvellus *in diſſ. II. Cyprianica theſ. 13.* inter alia urgens, quod etſi ingens multitudo Chriſtianorum per iſtam perſecutionis procellam abrepta fuerit, vix alios tamen Chriſtianos ea perſecutio attigiſſe poſſit, quam qui Romæ verſati fuiſſent, cum illis, qui Roma abfuerunt, incendium urbis, cu-

cujus prætextu persecutio hæc excitata est, intentari non potuerit, neque idoneo testimonio probari possit, aliam adversus Christianos tum temporis excitatam fuisse, quam eam, quæ apud Tacitum ex conflagratione urbis Romanæ nata legitur. Verum ipse Tacitus multitudinem illam ingentem Romæ haud perinde incendii crimine, quam odio humani generis convictam tradit. Et orta semel persecutionis tempestate proclive fuit etiam Christianis extra Romam degentibus, sive clandestina quarumvis urbium perdendarum consilia, sive alia flagitia morte digna impingere. Certe ad ipsos usque Hispanos pertigisse hanc Neronianam persecutionem, fidem facit inscriptio Neroni in Hispania ob purgatam a Christianis provinciam, seu ut verba inscriptionis habent, *ob provinciam latronibus & his, qui novam generi humano superstitionem inculcarunt, purgatam* posita, & a Grutero in thesauro inscriptionum aliisque memorata, inter quos Josephus Scaliger *libr. 5. de emendat. tempor. pag. 471.* se dubitare dicit, num inscriptio hæc genuina sit, præter quem non desunt etiam alii Viri eruditi, qui religionem Christianam sub Neronis ævo in Hispania adeo floruisse dubitant, ut de ea extincta Neroni trophæum poni potuerit. Quicquid autem sit de illa inscriptione, certum est non levem fuisse, quæ adversus ecclesiam sub Nerone grassata est, persecutionem. Sane edictum Imperatoris non solum ad Christianos, qui Romæ agerent, vexandos, sed ad universam sectam per imperium Romanum abolendam emissum fuisse testatur Lactantius *de mortibus persecutorum c. 2.* Unde etiam

Suetonius *in Nerone c. 16.* hanc persecutionem ad urbem Romam non restringit, sed Christianos suppliciis affectos scribit, genus hominum superstitionis novæ & maleficæ. Conferantur quæ Ruinartus *in præfatione ad acta Martyrum sincera*, & Pagi *ad A. C. 64. pag. 51.* contra Dodvvellum disserunt, cujus lemma de paucitate Martyrum, quod dissertationi suæ Cyprianicæ undecimæ præfixit, homine utcunque christiano nedum autore literato indignissimum esse judicat Nicolaus Toinardus *in notis ad Lactantii librum de mortibus persecutorum pag. 23.*

IV. E gentilibus Scriptoribus de hac persecutione Neronis agit Tacitus *annal. libr. 15. c. 44.* qui inter alia refert, *pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interierint, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Brevius hanc persecutionem descripsit Suetonius *in Nerone cap. 16.* qui etiam sub Claudio Neronis antecessore persecutionem adversus Christianos excitatam innuere videtur, cum *in vita Claudii c. 25.* Judæos Chresto quodam duce tumultuantes Roma expulsos memorat. *Etsi* enim Jacobus Usserius *in annalibus A. C. 54.* per *Chrestum* h. l. Christum intelligi persuadere sibi non possit, cujus sententiæ præter alios etiam doctissimus Hilscherus in dissertatione, quod Suetonii Chrestus non sit Christus, subscribit, nec negari possit, quod apud Ciceronem & in variis inscriptionibus Chresti nomen aliis quam Christo tributum reperiatur, constat tamen ex Tertulliani *apologetico c. 3.* & Lactantii *libr. 4. cap. 7.* quod gen-

gentiles Christum nostrum Chrestum, & Christianos Chrestianos appellare consueverint, ut Torrentius *ad Suetonium p. 1483.* notavit, idque ex errore potius quam contumeliæ causa factum suspicatur Cuperus *in notis ad Lactantium de mortibus persecutorum pag. 126.* ubi statuit tumultum a Suetonio descriptum forte inde natum esse, quod Judæi conversi Christum Messiam esse dicerent, & cæteri adhuc infideles his contradicerent, unde non improbabile videtur, inter Judæos, quos Claudius urbe expulit, multos etiam Christianos fuisse, cum præsertim haud raro Judæi & Christiani apud gentiles eodem loco habiti fuerint, ut a Pithœo *in adversariis libr. 2. c. 3.* observatum est. Levia tamen fuerunt, quæ sub Claudio passi sunt Christiani, si cum persecutione Neronis conferantur.

V. Prætextus hujus persecutionis Neronianæ fuit magnum urbis Romæ incendium, cujus culpa, etsi ab ipso Nerone excitatum fuerat, in Christianos delata est. Tantoque commodior hujus calumniæ occasio videbatur, quia Christiani futuram aliquando mundi conflagrationem profitebantur. Accedebant & aliæ adversus Christianos calumniæ, per quas eorum religio tanquam exitialis, malefica, & odio humani generis digna delineabatur, ut ex Tacito & Suetonio constat, præter quos ethnicos Scriptores de hac persecutione legi possunt ex Christianis Lactantius *de mortibus persecutorum cap. 2.* Eusebius *libr. 2. histor. eccles. cap. 25.* Orosius *libr. 7. histor. cap. 7.* Sulpitius Severus *libr. 2. c. 41. histor. sacr.* Nicephorus *libr. 2. hist. eccles.*

 c. 36.

cap. 36. 37. Baronius *ad A. C. 66. & seqv.* Kortholt *de persecut. eccles. cap. 1.*

VI. Passi perhibentur sub Nerone Barnabas, Marcus, Apollinaris, Evodius, Aristarchus, Archippus, Philemon, Epaphras aliique. Præcipui autem hujus persecutionis Martyres fuerunt Apostoli Petrus & Paulus. Et Petrum quidem, cum fugam pararet, Christi visione revocatum referunt Ambrosius *in sermone adversus Auxentium de basilicis tradendis*, Egesippus *lib. 3. de excidio Hierosolymit. c. 2.* & Gregorius Magnus *in psalmum quartum pœnitentialem*, quibus addi possunt acta Lini *de passione Petri*, acta martyrum Processi & Martiniani apud Surium d. 2. Julii, ut alia hujusmodi monumenta taceamus. Verum Bebelius in programmate quodam quadragesimali, quod in Sebastiani Schmidii *mysterio gratiæ divinæ pag. 340.* legitur, hanc visionem, qua Petrus ex urbe fugiens Christum sibi apparentem rogavit: *Domine quo venis?* & responsum tulit: *venio iterum crucifigi*, fabulæ quam historiæ propiorem judicat, etsi eo in loco, ubi Christus Petro apparuisse dicitur, sacellum aliquod Romæ erectum perhibeatur. Videtur ipsi hæc narratio similis illis, quas Papias exigui judicii vir, cui quælibet a quolibet persuaderi poterant, somniavit. Imo historiolam hanc Montani scholam redolere arbitratur, qui in persecutione fugiendum non esse statuebat. Testes, quibus hæc visio confirmari solet, plerosque suppositos & dubiæ fidei esse notat. Nullius enim fidei & autoritatis esse docet Lini acta de passione Petri & Pauli, ut & acta Processi & Martiniani. Quam credulus fuerit

Gregorius M. vel ex solis ejus dialogis satis constare animadvertit. Autorem qui sub Hegesippi nomine libros de excidio Hierosolym. composuit, vero Hegesippo longe juniorem esse observat. Ambrosii orationem de basilicis reddendis cum Ambrosii stylo minus convenire judicat, & ipsum quoque Ambrosium falsa sæpe pro veris arripuisse ex eo probat, quod Simonem Magum per Petri preces ex aëre dejectum narrat, quam relationem merum figmentum esse ex Dannhauero *in Christeide pag. 1028.* & tomo I. homiliarum probat. E quibus patet, visionem illam, quæ Petro fugam meditanti mortem intimavit, nullo firmæ & solidæ probationis fundamento niti. Non tamen putem, a Montano ejusve asseclis hanc narrationem fictam esse, sed Christianum quendam pia, ut dici solet, fraude tale quid fingendi occasionem ex Petri verbis depromsisse, qui sibi instantem mortem a Christo revelatam scribit 2. Pet. I, 14.

VII. Inter causas, quæ Neronis sævitiem adversus Petrum & Paulum excitarunt, referri solet solennis illorum de Simone Mago victoria, multorumque gentilium a pristina idololatria ad christianam fidem conversio. In specie contra Paulum irritatus perhibetur Nero, quod ejus pincernam & concubinam quandam christiana religione imbuisset, cujus rei Chrysostomus alicubi mentionem fecit. Et pincernam quidem illum Glycas *in annalibus suis p. 236.* Eperastum videtur nominare. Verum Labbeus in notis ad illum Glycæ locum observat, vocem ἐπεράστα ibi non pro-

pri-

prium esse nomen, ut Leunclavius & alii putarunt, sed adjectivum, & dilectum significare. Quamobrem alii S. Torpetem, cujus memoria d. 17. Maj. colitur, pincernam illum fuisse suspicantur, in qua sententia est Lupus *in notis ad Tertullianum de præscriptionibus pag. 582.* qui etiam concubinam Imperatoris a Paulo conversam conjicit fuisse Poppæam Sabinam, cujus apud Tacitum aliosque Scriptores frequens mentio occurrit, & quam Lupus hanc ipsam ob causam a Nerone calcibus occisam opinatur, quod jam Christiana facta ejus libidinem aversaretur.

VIII. Petrum capite deorsum verso cruci affixum refert Origenes apud Eusebium *histor. eccles. l. 3. cap. 1.* & ipsum Petrum id postulasse memorat Prudentius, quia indignum se putaverit eo crucifixionis modo, quo ipse Dominus e terra viventium sublatus fuerat. Paulum vero gladio truncatum Tertullianus aliique referunt. Addunt nonnulli ex Pauli recisa cervice lac loco sanguinis profluxisse, & resectum caput triplici saltu totidem fontes aperuisse, quæ traditio in hunc usque diem perduravit, siquidem *locus ille trium* fontium nomine designatus a peregrinantibus magno concursu invisi solet, ut Cornelius a Lapide *in prolegomenis ad epistolas Pauli p. 10.* aliique referunt. Num verò uno eodemque die non minus quam uno eodemque anno Petrus & Paulus martyres facti fuerint, quod Nicephoro visum est, an uno quidem die, sed non eodem anno, quod Prudentius tradidit, aliis disputandum relinquimus. Nec de loco, ubi martyrii palmam ade-

adepti sunt, disputabimus. Sunt enim, qui Petrum non Romæ, sed in urbe Hierosolymitana passum opinantur, ut Balæus *Centur. Scriptor. Britannic. p. 16.* ubi scribit Hieronymum & Lyranum ad illa Christi verba: *ecce ego mitto ad vos Prophetas & sapientes* Matth. XXIII, 34. seq. asseruisse, Petrum fuisse a Judæis Hierosolymæ crucifixum, idque verbis illis aptissime respondere. Nec Petrum solum sed Paulum etiam Hierosolymæ vitæ & officii sui curriculum per martyrii palmam consummasse censet Velenus eodem argumento usus in tractatu, quo Petrum Romam nunquam venisse demonstravit pag. 40. Non solum autem Petrum sed etiam Petri uxorem hac persecutione e vivis sublatam fuisse testatur Clemens Alexandrinus, qui *libr. 7. stromat. p. 529.* refert, quod Petrus, cum uxorem suam ad mortem duci videret, eam his verbis compellaverit: *memento Domini.* Sed quæ de Petronilla Petri filia memorari solent, omni antiquitatis fundameto destituuntur, unde H. Grotius *in dissertatione de administratione S. Cœnæ, ubi Pastores non sunt*, perperam ex facto Petronillæ, quod in Martyrologio consignatum legitur, probare voluit, etiam fœminas eucharistiam celebrasse, quod argumentum prolixius excutit Henricus Dodwellus *in dissertatione de jure laicorum sacerdotali c. ult.*

IX. Labente jam seculo primo nova persecutio Christianorum exorta sub imperio Domitiani, quæ quo anno exorta sit, disquirit Toinardus *in notis ad Lactantium de mortibus persecutorum p. 21.* Et in hac persecutione Johannem Apostolum dolio ferventis olei

immersum ac postea cum illæsus emersisset in insulam Pathmum relegatum fuisse autor est Tertullianus *de præscript. cap. 36.* & hunc secutus Hieronymus *libr. I. contra Jovin. cap. 14.* & *in Matthæum cap. 20.* Nec de hujus facti veritate dubitandum censet Raynaudus *Tom. VIII. oper. p. 198.* cum dolium illud adhuc Romæ servari credat, qua de re etiam Ciampinus *in synopsi historica de sacris ædificiis a Constantino M. exstructis pag. 13.* videri potest. Et Dodvvellus quidem *differt. XI. Cyprianica* suspicatur fortasse Domitianum hoc miraculo Johannis ex oleo liberati deterritum, ne amplius in innocentes pro suo ingenio sæviret. Verum Spanhemius *in introductione pag. 171.* hanc traditionem inter incerta refert. Et Combefisius in notis ad Nicetæ orationem panegyricam in laudem Johannis observat, neque Nicetam neque græca Menæa ejus rei meminisse. Meminit tamen ejus rei etiam Polycarpus in capitulis responsionum a Feuardentio, Halloixio & Usserio editis *fragmento 2.* Quantum autem ad Johannis exilium attinet, de eo videri poterunt Eusebius *libr. 3. histor. eccles. cap. 18.* Hieronymus *de Scriptoribus eccles. in Johanne*, pluresque alii, quorum plerique exilium Johannis ad Domitiani tempora referunt, quorum sententia verior omnino est, quam qui cum Dorotheo ad Trajani, vel cum Areta Cæsariensi ad Neronis, vel cum Epiphanio ad Claudii imperium Johannis exilium retulerunt. Ejusdem Johannis damnationem ad metalla asseruit Victorinus, quem eo nomine erroris arguit Barthius *adverf. libr. 43. cap. 12.* Quod vero Johannes etiam venenum illæsus biberit, unde cum po-

cu-

culo ex quo serpens prominet depingi solet, ex Augustino & Isidoro Gretserus aliique probare nituntur, refutati a Thomasio *in dissert. de poculo Johannis p. 23.*

X. Sub eodem Domitiano Flavium Clementem Consulem occisum refert Suetonius *in vita Domitiani c. 15.* ubi Clementem virum contemptissimæ inertiæ appellat. Eundem Dio *in epitome Xiphilini p. 335.* ob atheismum interfectum scribit. Cum autem a gentilibus Christiani inertiæ & atheismi argui solerent, non incredibile est, Clementem ob Christianæ religionis confessionem interemptum fuisse. Idem dicendum de Glabrione & aliis, quos ob judaismum occisos Dio tradit, qui etiam Domitillam Flavii Clementis uxorem in insulam Pandateriam relegatam memorat; a cujus relatione Eusebius *libr. 3. c. 18. histor. eccles.* nonnihil discrepat, cum hanc Domitillam Flavii ex sorore neptem appellat, & in insulam Pontiam relegatam scribit. Verum quomodo hæc diversitas conciliari possit, quæ in Dionis ab una, & Eusebii vel Brutii apud Eusebium verbis ab altera parte occurrit, ostendit Dodvvellus *de jure laicorum sacerdotali c. 5.* ubi etiam Virginis Domitillæ historiam, quæ a Clemente Romano Pontifice solenniter velata perhibetur, fabulosam esse probat.

XI. Idem Dodvvellus *in dissertatione de paucitate Martyrum* asserit, Domitianum in hac persecutione ad cædes usque grassatum non fuisse. Verum huic Dodwelli assertioni, ut alia taceamus, adversatur Theodoretus *in tractatu de curandis Græcorum affecti-*

bus serm. 9. p. 126. ubi multos a Domitiano ſublatos affirmat. In quorum numero etiam Dionyſium Areopagitam fuiſſe nonnulli ſtatuunt, quorum ſane opinio, ut Sirmondus *in diſſertatione de duobus Dionyſiis cap. 8.* & Launojus *in obſerv. ad vitam Dionyſii Areopag. p. 403.* obſervarunt, antiquior eſt, quam eorum, qui Dionyſii martyrium ad Trajani vel Hadriani imperium retulerunt, quod ab illis maxime fieri ſolet, qui ſcripta Dionyſii genuina eſſe contendunt, cum hac ratione nonnullas difficultates Dionyſii operibus objectas ſuperare poſſint.

XII. In eadem Domitiani perſecutione bovi æneo incluſus & crematus dicitur Antipas, qui Apoc. II, 13. fidelis Chriſti teſtis dicitur. Ejus martyrium ex Manuſcripto græco a Franciſco Zino latine redditum, exhibetur in actis Sanctorum *Tom. II. Aprilis p. 4.* Plura ſed ſuperſtitionem recentioris ævi redolentia de Antipa addit Papebrochius, qui ſynaxarium illud, ex quo putida iſta mendacia hauſit, neſcio cur egregium appellat. Conferantur præterea de Domitiani perſecutione Tertullianus *apologet. c. 5.* Lactantius *de mortibus perſecut. c. 3.* Oroſius *libr. 7. c. 10.* Sulpicius Severus *libr. 2. cap. 45.* Eutychius *in annal. tom. I. pag. 344.* Suidas *in lexico ſub voce Domitiani*, & imprimis etiam Euſebius *in Chronico* & *hiſtor. eccleſ. libr. 3. cap. 17. & ſeq.* ubi inter alia refert Judæ Fratris Domini poſteros a Domitiano poſt inquiſitionem iterum dimiſſos, quam relationem adverſus Scaligeri objectiones defendunt Valeſius *in notis ad Euſebium* & Halloixius *in notis ad vitam Egeſippi p. 728.* Quod autem Domitianus ſuam con-

contra Christianos persecutionem in argenteo nummo expresserit, falsum esse notavit Obrechtus in epistola de nummo Domitiani Isiaco, & ex eo Pagi *ad A. C. 95.*

CAPUT VII.

De
Variis Personis & gestis primi seculi memorabilibus.

SECTIO I.
DE CHRISTO,
ubi etiam Josephi de Christo testimonium expenditur.

I.

REstat, ut de aliis Personis & gestis primi seculi memoratu dignis aliquid dicamus, cujus recensionis auspicium a CHRISTO, qui nativitate sua nova secula condidit, non immerito facimus. Et variæ quidem sunt Chronologorum aliorumque eruditorum de anno ejus natali sententiæ. Plerique tamen in eo consentiunt, quod verus annus nativitatis Christi annum vulgaris æræ vel uno, vel paucis quibusdam annis antecedat, nisi quod Harduinus *de nummis Herodiadum p. 34. seq.* aliquando sese probaturum con-

ſidit, quod ea, quæ vulgo nunc recepta eſt, æra una ſit omnium veriſſima, in anteceſſum monens Joſephum in anno obitus Herodis hallucinatum fuiſſe.

II. Id ex Scriptura certum eſt, natum eſſe Chriſtum in diebus Herodis Magni, & iis quidem ad finem declinantibus, cum Chriſtus, moriente Herode, tenerrimam adhuc ætatem egerit. Certum quoque eſt, annum nativitatis Chriſti incidere in tempus, quo Imperator Auguſtus edictum promulgavit, ut per univerſum orbem Romanum cenſus ageretur, quæ ἀπογραφὴ fuiſſe dicitur *πρώτη ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου*, Luc. II, 2. quæ verba nonnulli ita interpretantur, quaſi Lucas dicere voluerit, hanc deſcriptionem univerſo orbi Romano indictam fuiſſe prius, quam Cyrenius Syriæ præficeretur. Quæ explicatio ſi admittatur, non difficulter cum Luca conciliari poterit Tertullianus, qui *libr. 4. contra Marcionem* ait: *cenſus conſtat actos ſub Auguſto tunc* (nempe cum Chriſtus in carne mortali naſceretur) *in Judæa per Sentium Saturninum, apud quem genus ejus inquirere potuiſſent.* Et negari non poteſt nomen πρῶτος ſæpius idem ſignificare quod πρότερος, cujus ſignificationis probandæ cauſa Johannes Georgius Hervartus in opere chronologico plurima exempla collegit, poſt quem præter Keplerum & alios hanc interpretationem amplectuntur Henſchenius & Papebrochius *in diatriba præliminari ad acta Sanctorum Aprilis exerc. 2.* Alii vero ſtatuunt, illo ipſo tempore, quo Sentius Saturninus Syriæ Præſes fuit, Cyrenium vel P. Sulpitium Quirinium ſeu Quiri-

num

num ad censum peragendum cum imperio extraordinario in Syriam missum fuisse, & Tertullianum quidem ordinarium Magistratum nominasse, nempe Sentium Saturninum, eum tamen hac in re exequenda Quirinio, qui post victoriam contra Homonadenses cum extraordinario imperio in Judæam missus fuerat, subjectum fuisse, & hunc Quirinium seu Cyrenium a Luca nominari, & tanquam ἡγεμονεύοντα describi, non quod ordinarius tum in Syria Magistratus esset, sed quod extraordinariam in Syria potestatem tum accepisset. Qua de re prolixe egit Henricus de Noris *in Cenotaphiis Pisanis dissert. 2. c. 16.* ubi Præsides Syriæ ab anno urbis conditæ 707. usque ad annum 822. recenset, variosque Baronii, Casauboni, Montacutii & aliorum in hac Præsidum historia errores emendare satagit.

III. Utramvis ex his duabus explicationem aliquis eligat, parum refert. Id autem ferendum non est, quod nonnulli, quorum Baronius *in apparatu num. 81.* meminit, affirmant, verba de descriptione facta a præside Cyrenio non esse Lucæ, sed ex margine in textum irrepsisse, a qua sententia non alienus est Lydovicus Capellus in compendio historiæ judaicæ, ubi hanc parenthesin de Cyrenio tanquam a Lucæ textu alienam & aliunde intrusam expungendam arbitratur, secutus, ut videtur, Theodorum Bezam, qui in prioribus suis ad N. T. adnotationibus iisdem conjecturis adhæsit. Uterque tamen hanc parenthesin in Evangelistæ textu retineri posse statuit, dummodo nomen Κυρηνίυ in nomen Κυινλλίυ mutetur; qua ratione etiam Hue-

Huetius *in demonstratione evangelica propos. 9. c. 10. p. 463.* omnem difficultatem, quæ ex verbis Lucæ nasci posset, tolli posse existimat, & sic etiam Tertulliani verba sibi constare cum Saturninus census quidem agere cœperit, sed Magistratu abire jussus Quintilio Varo opus absolvendum reliquerit. Sed reclamante conscientia Huetius hæc scripsit, cum *p. 464.* sibi ipsi objiciat, quod aliquis temeritatis & audaciæ ipsum accusare possit, quod receptam in evangelio Lucæ lectionem solicitet, & sacros apices ad lubitum refingat, & divina oracula ad suum lubitum revocet. Num huic objectioni, quam ipse sibi format, declinandæ sufficiat ea, quam subjicit, responsio, aliorum esto judicium. Nunc notamus etiam Henricum Valesium *in notis ad Euseb. H. E. l. I. c. 5.* sacros apices ad lubitum refingere, dum sibi videri ait, quod in Lucæ textu mendum occurrat, & pro Cyrenio seu Quirinio poni debeat Saturninus, cum jam Tertulliani ævo nonnulli in Lucæ evangelio pro Cyrenio Saturninum legerint. At si Valesius hunc Lucæ textum ex Patrum scriptis dijudicandum existimavit, cogitare debuit, Justinum Martyrem Tertulliano antiquiorem tam *in dialogo cum Tryphone* quam *in apologia ad Imperatorem Antoninum cap. 44.* eo tempore Christum Bethlehemi natum asserere, quo Cyrenius seu Quirinus census in Judæa egit. Nequaquam igitur asserendum est, Evangelistæ Lucæ textum in mendo cubare, neque tanti est Tertullianus, ut ejus causa, si cum Evangelistæ conciliari non possit, sacros apices, ut Huetii verba repetam, refingamus, quanquam hoc loco talis inter Lucam & Tertullianum contradictio non occur-

rat,

rat, ut nulla inter eos concordia iniri possit, quod ex ante dictis jam constare puto. Cæterum etsi ex Scriptura manifestum sit, Christum regnante in Judæa Herode Magno, & imperante Cæsare Augusto natum esse, variæ tamen difficultates obstant, quo minus exacte dicere possimus, quo præcise anno magna hæc lux Bethlehemi orta fuerit, ut Spanhemius *in dubiis evangelicis part. 2. dub. I. & seq.* prolixius ostendit.

IV. Ut vero de anno, ita neque de mense & die Christi natali certi aliquid statui potest, qua de re Spanhemius *part. 2. dub. evangel. dub. 12.* & Gerhardus Johannes Vossius *in dissertatione de tempore nativit. Christi part. 2.* videri possunt. Celebrat quidem hodie ecclesia Christi nativitatem d. 25. Decembris, at ista consvetudo neque universalis fuit nec perpetua, sed olim multæ ecclesiæ aliis mensibus & diebus memoriam salutiferæ hujus nativitatis celebrarunt. Inanem certe ludunt operam, qui Christum d. 25. Decembris natum probare contendunt vel ex Propheta Haggæo cap. II, 19. 20. etsi Rupertus Tuitiensis in dicto illo prophetico hunc mensem & diem Christo natalem se invenisse putet; vel ex scriptis chronographi Josephi, quæ Titus direpta Hierosolyma Romam abduxisse perhibetur, quæ putida est Johannis Nicæni fabula *in tractatu de nativitate Domini apud Combefisium auctar. novo BB. PP. tom. 2. p. 297*; vel ex Evodii epistola apud Nicephorum *libr. 2. histor. eccles. c. 3*; vel ex fragmento vetusti Romani Calendarii, cujus mentionem facit Franciscus Maria Florentinius *in suo Martyrologio*

p. 205. ubi hoc Calendarium sub Tiberio (Liberium forte scribere voluit) concinnatum credi asserit ; vel ex tabulis censoriis, & publicis Romani imperii codicibus, quibus hunc Christi natalem inscriptum fuisse credit Willhelmus Langius *de annis Christi libr. 2. cap. 2. p. 357* ; vel ex visione Saviniani, quam refert Andreas du Saussay, *de mysticis Galliæ Scriptoribus p. 285* ; vel ex falsa illa hypothesi, quod Zacharias Johannis Baptistæ parens supremus Pontifex fuerit, & Johannis nativitas illi ab Angelo intimata fuerit, cum in festo expiationis tanquam summus Pontifex sanctum sanctorum ingressus fuisset, quæ falsa hypothesis multas falsas conclusiones peperit, nempe quod Johannes Baptista circa festum expiationis conceptus, & d. 24. Junii natus, Christus vero, quem sexto post Johannem mense conceptum esse constat, d. 25. Martii conceptus, & d. 25. Decembris natus fuerit. Id advertentes Viri quidam docti ex Zachariæ ephemeria sacerdotali, quam Lucas I, 5. memorat, alium Christi natalem indagare annisi sunt, e quibus Scaliger Christum sub finem Septembris, vel initium Octobris, Bochartus mense Martio, & Wagenseilius vel circa finem Augusti, vel circa medium Februarii natum esse conjecit. Verum istæ quoque computationes nihil certi habent. Quin etiam qua parte diei Christus natus sit, non satis certum est. Equidem pastores Bethlehemiticos, quibus Christi nativitas annunciata est, noctu apud gregem suum excubasse expressis verbis Lucas asserit Luc. II, 8. quod nescio qua ἀβλεψίᾳ Vossius non attendit, cum in modo laudata dissertatione nullam noctis mentionem fieri pronunciat.

ciat. At Christum etiam nocturnis horis natum esse Evangelista non dicit, etsi probabile sit, eadem hora, qua Christus natus est, ejus nativitatem pastoribus ab Angelo nunciatam, & a choris angelicis in æthere celebratam fuisse.

V. Christum in spelunca quadam extra oppidum Bethlehemum natum Justinus Martyr, & alii quidam Patres crediderunt, quorum autoritate nixi idem asseruerunt Baronius *ad A. C. I.* Montacutius *in originibus ecclesiast. Tom. I. p. 23.* Spencerus *in notis ad Origenis libros contra Celsum p. 31.* Nec alienus est ab hac sententia e nostratibus Franzius *de interpret. Script. S. oracul. 126. p. 713.* Verum sententiæ illi repugnant Casaubonus *exercit. 2. in Baron. sect. 1.* Calovius *Tom. 7. System. p. 198.* Dorscheus *in septenario admirandorum Christi differt. 2. de admirandis præsepis Bethlehemitici*, Christianus Becmannus *in exercitatione singulari de hac controversia*, & Hoornbeckius *in miscellaneis p. 72. & 73.* ubi inter alia Dorscheum suam de præsepi Bethlehemitico dissertationem ex Casaubono descripsisse arguit, quod ex Hoornbeckio repetit Henricus a Sypestein in epistola de plagiariis ad Almelovium, quæ cum Almelovenii amœnitatibus prodiit. Verum celeberrimum hunc Theologum in Patrum scriptis non minus quam omni doctrinarum genere ita versatum fuisse constat, ut ipsi Casauboni vitula arare opus non fuerit. Unde Hoornbeckium manifesti mendacii arguit D. Joh. Albertus Faber *in decade decadum c. 48.* Cujus judicium approbat celeberrimus Dorschei præco Dn. D. Fechtius *in præfatione ad Dorschei commentar. ad Evangeli-*

stas lit. g. 4. b. Et ipsa Dorscheanæ orationis cum Casauboni exercitationibus collatio Dorscheum a plagio absolvit.

VI. Christum cum natus esset a matre sua in præsepio positum Evangelista memorat. Et Scultetus quidem *in medulla Patrum part. 4. p. 201.* per φάτνῃ seu præsepium intelligi existimat locum aliquem suburbanum præsepis nomine insignitum, in quo Josephum & Mariam diversorium suum habuisse putat. Si enim hoc loco vox præsepii partem illam stabuli notaret, in qua jumentis pabulum porrigitur, pastoribus Bethlehemiticis omnia per totum oppidum stabula perreptanda fuisse putat antequam puerum ab Angelo designatum invenirent. Præterea si Maria in ipsa urbe divertisset, pastores ex ejus sententia noctu urbem ingredi non potuissent. Atque hinc etiam verba Lucæ a Luthero minus recte reddita arbitratur, cum vertit: in eine Krippe / item: sie hatten sonst keinen Raum in der Herberge. Censet enim vertendum esse, in die Krippe / in locum suburbanum a præsepio denominatum in dem Gasthof zur Krippe / & particulam sonst / quæ in græco non extat, omittendam esse. Similia profert Scultetus *in exercitationibus evangelicis cap. 50.* item *in deliciis evangelicis c. 18.* Verum Evangelista non dicit, quod Maria cum Josepho in Præsepio diversata fuerit, sed quod infantem natum fasciis involverit, & in præsepio reclinaverit. Si præsepium hoc loco est diversorium aliquod suburbanum, dicendum erit, quod Maria infantem suum extra diversorium pepererit & fasciis involverit, & tunc demum cum infan-

fante diverſorium ingreſſa fuerit, & infantem in illo repoſuerit. Nec cogitandum eſt, ſi Chriſtus in præſepio ſtabuli alicujus Bethlehemitici reclinatus fuit, paſtoribus omnia oppidi ſtabula pueri quærendi cauſa perreptanda fuiſſe. Divina enim Providentia, quæ duce ſtella Magis domum, in qua Immanuelem invenire poterant, indicavit, etiam paſtores vel Angelo comite, vel arcano nutu dirigere potuit, ut infantem ab Angelo ipſis commendatum non difficulter invenirent, nec grave illis futurum fuiſſet, ſi vel maxime infantis hujus cauſa unum alterumve ſtabulum perreptandum fuiſſet. Quod autem oppidum noctu clauſum fuerit, nec paſtoribus ingreſſum permiſerit, Sculteto dicere facilius eſt quam probare.

VII. Salomon van Til, qui Chriſtum anno Juliano 42. die 21. Octobris fer. 1. natum cenſet, in diſſertatione ſua *de anno, menſe & die nati Chriſti* circa prima Chriſti infantis tempora admodum feſtinanter, niſi fallor, progreditur. Nam primo ſtatim die, illo nempe ipſo quo Chriſtus natus eſt, Magos ex Oriente Hieroſolymam veniſſe ſtatuit, & ubi Regem Judæorum recens natum adorare poſſent inquiſiviſſe, eodemque die hac occaſione Synedrium convocatum Herodi de loco ubi Chriſtus naſci debuit reſponſum dediſſe; altero die Magos Bethlehemum ſe contuliſſe, & Chriſtum duce ſtella inventum adoraſſe; tertio die Magos Bethlehemo iterum abiiſſe, nec tamen ad Herodis nutum Hieroſolymam rediiſſe, ſed nocturno oraculo monitos per aliam viam ad lares ſuos contendiſſe; eodemque die etiam Joſephum per viſionem Angeli in nocte an-

tegressa de instante periculo edoctum cum Maria & Christo festinanter versus Ægyptum iter promovisse, & intra quatriduum eo usque in Ægyptum penetrasse, ut censeri potuerit divino mandato eos satisfecisse; die octavo Christum in Synagoga quadam judaica circumcisum fuisse, cum Judæi per universum fere Ægyptum dispersi plures ibi Synagogas habuerint, quam circumcisionem Christi non incommode Ostracenæ fieri potuisse pronunciat. Utrum deinde in Ægypto huc illuc oberraverint, an fixum alicubi domicilium elegerint, incertum esse ait, certum autem, quod exilii mora diuturna non fuerit, siquidem ex ipsius sententia dies nati Christi 36. ultimus exilii fuit, quem diem etiam Herodi Magno emortualem fuisse censet. Die igitur a nato Christo trigesima septima Josephum cum Maria & infante reditum ex Egypto in Palæstinam maturasse opinatur, & Hierosolymam versus tendisse, cui itineri cum iterum quatriduum impensum fuisset, Christum die ætatis suæ primo & quadragesimo in templo inter sacra purificationis oblatum & præsentatum fuisse, hisque sacris peractis Josephum cum Maria & Christo in urbem Nazareth, unde census acti tempore cum Maria exierat, se iterum contulisse scribit. Rationes, quibus hanc infantis Christi chronologiam stabilire nititur, recensere & cum aliorum calculis conferre, instituti nostri ratio non permittit, quamobrem quemlibet suo sensu abundare patimur.

VIII. Nobis probabile videtur Christum non Ostracenæ, vel Rhinocoruræ, vel in alia quadam Aegy-

gypti urbe, ſed in oppido ſuo natali Bethlehemo octavo ætatis ſuæ die circumciſum eſſe, quo tempore etiam auguſtiſſimum nomen Jeſu Salvatori noſtro impoſitum novimus. Et Antverpienſes quidem quinque ferme retro ſeculis Chriſti præputium apud ſe aſſervatum jactaſſe, donec A. 1566. templis & ſacrariis Calviniſtarum furore direptis ingens hic theſaurus deperderetur, refert Bollandus *in actis Sanctorum Calend. Januarii pag. 3. & ſeqv.* Addit tamen, quod & aliæ ecclesiæ hoc cimelium apud ſe exiſtere glorientur. Refert enim ex Innocentii III. *libr. 4. de miſſæ myſterio cap. 30.* quod Carolus M. præputium Chriſti ab Angelo acceptum Aquisgranum detulerit, ſed poſtea Carolus Calvus in eccleſiam Salvatoris apud Caroſium illud tranſtulerit. Addit ex Jacobo de Voragine ejusque legenda aurea, & Petro de Natalibus, quod nunc dicatur eſſe Romæ in eccleſia, quæ dicitur Sancta Sanctorum. Refert item ex Symphoriano Campegio Anicii in Arvernia, quod oppidum nunc de Puteo dicitur, præputium Domini una cum Aaronis mitra ſeu infula ſolicite ſervari, magnaque in veneratione haberi. Refert ulterius, quid in Brigittæ revelationibus, quid apud Salmeronem *Tom. III. tract. 36. p. 320.* quid apud Joannem Baptiſtam Signium *in Reliquiario cap. 1.* apud M. Attilium Serranum *de ſeptem Urbis eccleſiis*, apud Franciſcum Toletum *in cap. 2. Lucæ* aliosque de variis locis, ubi Chriſti præputium ſervatum dicitur, & nonnullis miraculis per illud patratis memoretur. Sed quia Bollandus iſtas relationes lectoris judicio relinquit, vitio nobis verti non poterit, ſi eas meris fabulis

lis constare judicemus, nec dubitamus plerosque Pontificios, si animi sui sententiam proferendi libertatem haberent, nobis assensuros.

IX. Quo præcise tempore Magi Christum adoraverint, dici non potest. Videntur tamen ante solennia purificationis Hierosolymam advenisse, quo tempore altum erat in urbe de Christo nato silentium, quale post solennia purificationis non amplius ibi esse poterat, cum Simeon & Hanna Christum in templo publice celebrassent. Unde fabula illa nata sit, quod Magi illi tres Reges fuerint, quorum unus Caspar, alter Balthasar, tertius Melchior audiit, ex Maresio repetit Hottingerus *in topograph. p. 127.* Absurdior autem est sententia illius fanatici, qui in tractatu A. 1638. sub titulo Epiphaniæ vulgato, Henochum, Eliam & Melchisedecum Magos illos fuisse nugatur. Quod fanatici somnium Petavius *libr. I. de opificio sex dierum c. 4. p. 242.* non immerito insulsam & anilem fabulam appellat. Fuerunt potius hi Magi, de quorum numero & nomine nihil certi constat, viri sapientia *illustres* & imprimis Astrologiæ aliarumque hujus*modi artium* periti, qui, cum ex Herodis ore urbem Christi natalem comperissent, Hierosolyma Bethlehem abierunt, Regique recens nato cum humillimo adorationis cultu thus, aurum & myrrham obtulerunt. Quæ munera indicant, non fuisse Magos tenuioris fortunæ homines, quod Petro Simonis *tract. 4. de Epiphan.* visum est, qui Magorum paupertatem ex eo colligit, quod pedites ex Oriente Hierosolymam usque profecti fuerint. Verum

unde

unde constat Simoni, quod Magi pedites Hierosolymam venerint? Neminem dubitare putat Petrus de Marca *in dissertatione de adventu Magorum ad Christum p. 50.* quin Magos Hierosolyma iterum egressos & Bethlehemum versus iter facientes, non pauci ex Hierosolymitanis civibus comitati fuerint. At ego de isto comitatu valde dubito. Herodes enim clam cum Magis egerat, neque latebat cives, quantum Herodes nuncio novi regis turbatus fuisset, & ipsi quoque cives hoc nuncio turbati fuerant, ex Rege novo nato novum bellum nasciturum metuentes, quamobrem periculosæ plenum opus aleæ videbatur peregrinos homines novum Judæorum Regem quærentes comitari. Et Herodes quidem remotis arbitris cum Magis stipulatus est, ut invento novo Rege Hierosolymam redirent, ipsique omnia fideliter referrent, simulans, se quoque novum hunc Regem, simul ac certiora de ejus adventu cognovisset, humillime adoraturum esse. Verum Magi divinitus moniti aliam sui in patriam reditus viam elegerunt, & sic spem tyranni, qui falsa promissione ipsis illuserat, vicissim eluserunt.

X. Dum Magi post homagium Christo infanti præstitum ad patrios suos lares tenderent, purificationis tempus instabat, quamobrem Virgo puerpera cum filiolo suo, qui sponte nostri causa legi se subjecit, comite Josepho Hierosolymam profecta est, ubi præscripta in lege puerperis sacrificia in templo obtulit, & filium suum primogenitum quinque siclis redemptum Domino præsentavit. Quo ipso tempore tem-

plum etiam ingressus est a Spiritu S. actus Simeon, qui Christum statim agnitum brachiis suis excepit, & cum publica Dei glorificatione ut promissum mundi Salvatorem deprædicavit. Variæ extant de hoc Simeone traditiones ecclesiasticæ. Nicephorus *libr. I. histor. eccles. c. 12.* refert, Simeonem cum oraculum Esaianum de partu Virginis legeret, & fidem huic mysterio adhibere nollet, oraculo divino certiorem factum fuisse, quod vivis non ante esset excessurus, quam dicti Isaiani fidem certam esse comperiret. Idem tradit Cedrenus *in compendio histor. p. 187.* hac circumstantia, quæ omnem fidem superat, addita, quod hic ipse Simeon unus e Septuaginta Interpretibus fuerit, etsi ab hac Cedreni assertione alii etiam Græci recentiores non abhorruerint, ex quorum calculo hic Simeon trecentos circiter annos habuit, quo tempore Christum excepit, quod Græculi illi nemini persvadebunt, qui ne hoc quidem probare possunt, quod hic Simeon de veritate oraculi Isaiani, vel futuro Virginis partu, dubitaverit. Nam promissioni seu responso, quod ipsi a Spiritu S. datum est, occasionem dedit non *incredulitas* ejus, sed ex fide profectum desiderium *Messiam videndi*, cujus adventum instare ex divinis oraculis nosse poterat. Inter Cypriani opera edi solet Celsi ad Vigilium de incredulitate Judæorum epistola, seu in altercationem Jasonis & Papisci præfatio, in qua memoratur Simeonem hunc cæcum fuisse, & in ipso Christi adventu visum recuperasse. Narrant etiam nonnulli, Simeonem cum templum ingressus multas matres cum suis infantibus vidisset, infantem Christum ex divino,

quod

quod ipſum ejusque matrem circumfudit lumine, agnoviſſe. Verum internum Simeonis lumen ad hoc ſufficiebat, ut Immanuelem, etſi in profundo exinanitionis ſuæ ſtatu ab aliis, qui forte præſentes erant, pueris nil differre videretur, pro Dei filio & totius humani generis Redemptore agnoſceret, & celebraret. Dum vero Simeon oracula ſua funderet, ſuperveniebat alterum velut chorum conſtituens Hanna Prophetiſſa, quæ templo ceu teſtudo ſuæ ædiculæ adhærere ſolebat, continuisque orationibus & jejuniis Deo ſerviebat. Hæc inquam Hanna, quam a Cyrillo Hieroſolymitano Monialem appellari Baronius græco textu non inſpecto perperam pronunciat, ipſa quoque hunc, quem brachiis ſuis Simeon amplexus fuerat infantem, promiſſum Meſſiam eſſe confirmabat, & ob ejus adventum Deum collaudabat.

XI. Purificatione ſecundum legem peracta Angelus a Deo miſſus Joſepho noctu per ſomnium mandavit, ut ſanguinolentas Herodis machinationes a capite infantis Jeſu celeri in Ægyptum fuga declinaret. Cui mandato Joſephus obtemperans incunctanter ſe itineri accinxit, & cum Jeſu ejusque matre fugam in Ægyptum maturavit. Nonnulli ſequioris ævi Scriptores referunt, exulem Jeſum in hoc itinere a latronibus captum, ſed latronum illorum ducem divina infantis forma viciſſim captum fuiſſe, ejusque miſericordiam ſuppliciter imploraſſe, & reſponſum tuliſſe, quod aliquando ipſum in regnum ſuum recepturus esſet, & hunc latronem illum ipſum fuiſſe, cui poſtea

Christus ad latus suum pendenti in cruce dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Verum hæc relatio fabulæ quam historiæ propior videtur. Antiquior est traditio de idolis Ægyptiacis ad Christi pueri adventum subito collapsis, quæ apud Origenem *homil. 3. de diversis*, & Athanasium *de incarnatione* legitur: item traditio de procera quadam arbore prope Hermopolin Ægypti urbem, quæ se Christo ad urbem hanc accedenti usque ad terram inclinavit, eumque adoravit, & virtutem ægrotos sanandi ab eo accepit, qua de re Sozomenus *libr. 5. hist. eccles. cap. 21.* disserit. Verum hæc etiam narratio, quia statui exinanitionis Christi minus convenit, non immerito in dubium vocatur.

XII. Interim Herodes, cum Magos ad se non redituros animadverteret, ira commotus omnes infantes Bethlehemiticos, quotquot vel bimuli, vel infra bimatum essent, a militibus suis occidi jussit, non dubitans hac ratione etiam recens natum Judæorum Regem e medio sublatum iri, quæ præsumtio ut ipsum falleret, divina providentia, per quam Mariæ filius mature in Ægyptum missus, & Bethlehemiticæ lanienæ subductus fuerat, effecit. Hujus infanticidii Bethlehemitici dum Eusebius *libr. I. c. 8. histor. eccles.* meminit, statim tragicam Tyranni mortem ex Josepho subjicit, verba sua ita formans, quasi Josephus Herodi θεήλατον hunc morbum ob insidias Christo paratas, & Bethlehemiticorum infantum cædem immissum fuisse literis consignasset. Unde Tanaquil Faber in epistola ad Chabrolium *part. I. ep. 44.* Eusebium piæ fraudis ar-

arguit. Veruntamen Eusebii verba ita intelligi possunt, ut tantum θεήλατον, quo Herodes percussus est, flagellum ex Josepho describere voluerit, causam vero hujus divini judicii ex historia evangelica ipse notaverit. Interim certum est, quod Josephus, etsi alias Herodis gesta diligentissime persequatur, infandi cidii Bethlehemitici ne unico quidem verbulo mentionem faciat. Neque tamen convenit, ut ex Josephi silentio Matthæi narrationem suspectam faciamus, quod a Josepho Scaligero factum est, qui in Scaligerianis, quæ Fratres Puteani ex ejus ore excerpserunt *p. 177.* historiam infanticidii Bethlehemitici a Christianis ad Evangelium Matthæi additam, nec ab ipso Matthæo scriptam judicat. Quæ opinio christiano homine indigna est, & nunquam a Scaligero probari poterit. Conferantur quæ pro veritate hujus historiæ, etsi ab uno tantum Evangelista narratæ, & in nullis gentilium scriptis, si Macrobii Saturnalia excipimus, obviæ, disserit Spanhemius *Dubior. evangel. part. 2. dub. 76.*

XIII. Post mortem Herodis Josephus divino oraculo monitus cum Maria ejusque filio in Galilæam ad pristinos suos lares, quos in urbe Nazareth habuit, rediit, ubi puer Jesus non ætate modo, sed & sapientia ita crevit, ut singularis Dei gratia in omnibus ejus sermonibus, gestibus & actionibus supra ætatem effulgeret. Irenæus *libr. I. adv. hæres. c. 17.* refert, veteres Gnosticos ex suis apocryphis tradidisse, quod Jesus, cum puer esset, & literas disceret, Præceptori suo mandanti ut primam alphabeti literam A. diceret, dixerit

rit A. mandanti vero, ut etiam ſecundam alphabeti literam B. diceret, reſponderit: *tu prius mihi dic, quid ſit A. & tunc ego tibi dicam quid ſit B.* Plura huic Gnoſticorum fabulæ adjiciuntur in apocrypho Thomæ evangelio, cujus initium ex Manuſcripto Regiæ bibliothecæ exhibet Cotelerius *in notis ad Conſtit. apoſtol. libr. 6. c. 16.* Sed adhuc copioſius illam fabulam recenſet evangelium de infantia Chriſti, quod Sikius arabice & latine edidit *pag. 143. & ſeq.* ubi inter alia refertur, quod Zachæus (hoc enim Chriſti præceptoris nomen fuiſſe fingitur) cum Chriſtus ipſi reſpondiſſet: *dic tu mihi prius ſignificationem literæ Aleph, tum Beth pronunciabo*, verbera ipſi intentaverit, puer a. Jeſus ſignificationem literarum Aleph & Beth præceptori ſuo expoſuerit, totumque alphabetum recitaverit, & varia literarum myſteria elucidaverit, quæ Magiſter ejus nunquam audiverat, nec in ullo libro legerat, tum vero Zachæus ad Joſephum dixerit: *adduxiſti ad me puerum erudiendum Magiſtris omnibus doctiorem;* & ad Mariam: *filio huic tuo nulla doctrina opus eſt.* Additur, quod deinde Joſephus & Maria puerum Jeſum ad alium Magiſtrum doctiorem deduxerint, qui cum ſublata manu puerum verberaret, manus ejus confeſtim exaruit, quo facto Joſephus ad Mariam dixit: *ab hoc tempore non ſinemus puerum exire, quoniam quisquis ipſi adverſatur, morte plectitur.* Refertur etiam in hoc evangelio Chriſtum puerum ex luto paſſeres formaſſe, qui, cum Jeſus manus ſuas ſuper eos comploſiſſet, pipientes avolarunt, ut alia ejusmodi miracula in hoc evangelio relata taceamus, e quibus illa imprimis Chriſto injuria ſunt,

ſunt, quæ ipſum tam iracundum & vindictæ cupidum exhibent, ut nonnullis perſonis vel ob levem offenſam repentinam mortem immiſerit. Scriptura enim ſingularem Chriſti manſvetudinem celebrat, eumque homines non occidiſſe, ſed a mortuis reſuſcitaſſe refert.

XIV. Duodecimo ætatis anno Chriſtus cum Joſepho & Maria paſchatis celebrandi cauſa Hieroſolymas profectus eſt, ibique, cum finitis paſchalibus ſacris parentes ejus domum remearent, ipſis inſciis in templo remanſit, & egregium ſapientiæ ſuæ ſpecimen exhibuit. Cum enim Joſephus & Maria in via puerum Jeſum negligentia ſua amiſſum animadverterent, eumque hinc inde anxie quærerent, tertio tandem die cum templum repeterent, ipſum in medio Doctorum invenerunt, ita ſe gerentem, ut omnes audientes in ſui admirationem raperet. Quæ colloquii materia inter Chriſtum & Doctores fuerit, Evangeliſta tacet. At in evangelio infantiæ Chriſti memoratur, quod Doctores de Meſſia, cujus filius ſit? quæſiverit, illisque reſpondentibus: Davidis, ulterius illis objecerit, quomodo Meſſias, ſi Davidis filius fuit, Dominum ipſum appellare potuerit in verbis: *dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis?* Sed hanc quæſtionem alio longe tempore a Chriſto Phariſæis propoſitam fuiſſe Evangeliſtæ teſtantur. Addit apocryphum hoc evangelium, quod Chriſtus a Principe quodam Magiſtrorum ex lege & Prophetis, a Philoſopho quodam ex aſtronomia, a Medico quodam ex medicina & phyſica examinatus fuerit, & ſingulis ſuam in omni ſcientiarum genere eru-

ruditionem ita probaverit, ut in stuporem omnes dati fuerint, & unus examinatorum ipsum adoraverit, ipsique dixerit: *Domine ab hoc tempore ero discipulus tuus & servus.* Quæ Christus cum Josepho & Maria domum reversus usque ad 30. ætatis annum fecerit, Evangelistæ non consignarunt, nisi quod Lucas Jesum parentibus suis subjectum fuisse, & sapientia ac gratia apud Deum & homines crevisse scribit. Justinus autem Martyr in Dialogo cum Tryphone Jesum in jugis & aratris fabricandis occupatum fuisse scribit. Nec improbabile est, Jesum Josepho in opificio, quod exercuit, adjutrices operas præstitisse, cum ex Scriptura constet, quod non tantum multi pro fabri lignarii filio ipsum habuerint, sed ipse quoque a nonnullis faber appellatus fuerit, Marc. VI, 3.

XV. De forma Christi epistola extat *sub nomine* Lentuli, quæ in monumentis orthodoxographis Senatui populoque Romano, sed apud Magdeburgenses *centur. I. libr. I. pag. 345.* & Neandrum *in apocryphis pag. 410.* Tiberio inscribitur, & ex Eutropii annalibus deprompta dicitur. Verum hanc epistolam Lentulo esse suppositam post alios prolixe probat *Reiskius in exercitat. de imaginibus Christi p. 149. & seqv.* ubi inter alia miratur, Chiffletium eo audaciæ processisse, ut in crisi historica de linteis sepulcralibus c. 30. Eutropii annales pro hac epistola citaverit. Nec majoris fidei sunt, quæ Nicephorus *libr. I. hist. eccles. c. 40.* de forma Christi prodidit. Inter Patres Clemens Alexandrinus & Tertullianus Christum indecora & deformi facie præditum fuisse asseruerunt, quorum sententiam con-

contrariâ, quæ miram Christo pulchritudinem tribuit, probabiliorem existimat Rigaltius in dissertatione de pulchritudine Christi, quæ ejus annotationibus ad Cyprianum p. 236. seqv. adjuncta est. Eadem de Christi deformitate sententia fuit Salmasii, quem refutat Bartholinus in præfatione hypomnematum de cruce Christi. Mediam sententiam amplectitur Franciscus Vavassor in singulari tractatu de forma Christi, quem Josua Arndtius denuo edidit, & tam præfatione de facie Dei, quam mantissa observationum auxit. Nam in hoc tractatu Vavassor Christum, dum in terris versaretur, neque ullo modo deformem, neque tamen longe præ cæteris mortalibus formosum fuisse judicat. Verum istam Vavassoris opinionem improbat Summe Reverendus D. Fechtius *in disputatione posteriori ad Esaiae c. 53. sub Dn. D. Sebastiani Schmidii præsidio habita pag. 107.* & copiosius in peculiari exercitatione Vavassori opposita *de forma faciei Christi, dum in his terris viveret, qua noctibus ejus christianis inserta est a pag. 359. usque ad p. 887.* ubi pro insigni Christi pulchritudine egregie militat.

XVI. Circa trigesimum ætatis suæ annum Christus in baptismo suo per vocem Patris ex apertis cœlis emissam, & Spiritus S. visibilem in columbæ specie descensum ad ministerium suum solenniter inauguratus est. Hunc baptismum Christi orientales quædam ecclesiæ singulis annis die Epiphaniorum ita renovant, ut statuam Christi pueri ter in aquam immittant, quæ aqua incorrupta servari perhibetur. Eodem Græcorum ritu Josephus Giorgerinus Sami Archiepi-

 scopus

ſcopus A. C. 1676. Epiphaniorum die in eccleſia Aquenſi baptizati Chriſti memoriam renovavit, aquam vero hoc ritu conſecratam, cum in phiala aliqua ſervaretur, per multos annos incorruptam manſiſſe, & forte diutius permanſuram fuiſſe, niſi phialam frangi contigiſſet, memorat Pagi *ad A. C. 29. n. 7.* ubi etiam ex Scaligeri libro 7. de emendatione temporum refert, Chriſtianos Coptos quotannis die Epiphaniorum in piſcinam ſe immergere, & hoc facto memoriam baptiſmi Chriſti inſtaurare.

XVII. Baptiſmum Chriſti ejus in deſerto tentatio excepit, de qua prolixe agit Spanhemius in dubiis evangelicis a dubio 50. usque ad dubium 69. ubi inter alia probat, ea quæ Evangeliſtæ de tentatione Chriſti per Diabolum referunt, non in viſione ſed revera contigiſſe. Quod argumentum etiam erudite tractat Bochartus in epiſtola ad Heraultium pag. 941. Vir quidam doctus in ephemeridibus philologicis diſſ. I. per pinnaculum templi, in quod Chriſtus a Diabolo ductus eſt, conclave Gaſith, in quo fuit magnus Synedrii conſeſſus, intelligit, ibique Diabolum coram Synedrio Chriſtum de arrogato ſibi Regis nomine accuſaſſe, tandemque eum illico ſe proripere & deſcendere juſiſſe putat, unde verba Diaboli ad Chriſtum: *ſi es filius Dei, βάλε σεαυτὸν κάτω*, ita interpretatur, quaſi Diabolus dicere voluiſſet: *num tu ſis filius Dei? Tune ſis Meſſias Rex Iſraelis? apage, deſcende, aut:* gehe / packe dich / oder es ſollen dir Füſſe gemacht werden; *niſi te illico ſubduxeris, præceps datus ſenties quam egregie ſcilicet in te impleatur dictum Davidis*, wo du

nicht

nicht gehest / so wird sich bald finden / wann du über Halß über Kopff hinunter must / wie schön du wirst fahren. Verum hæc interpretatio talis est, ut Vir doctissimus ludere potius, quam serio rem agere voluisse mihi videatur.

XVIII. Ministerio Christi unicum tantum annum tribuit Clemens Alexandrinus *libr. I. stromat.* acceptabilem illum annum, cujus Esa. LXI, 2. & Luc. IV, 19. mentio fit, male interpretatus. Eandem sententiam in Gnosticis refutat Irenæus *libr. 2. adv. hæres. cap. 38.* Ad alterum extremum prolapsi sunt, qui locum Joh. II, 20. ad templum corporis Christi applicantes Christum ætatis annum 46. attigisse statuerunt, refutati ab Augustino *libr. 2. de doctrina christiana c. 28.* Et ipse quoque Irenæus in definienda Christi ætate modum excessit, cum ex traditione Seniorum, quos ab Apostolis id accepisse scribit, Christum passionis tempore ad senium declinasse arbitratus est. Quem errorem ut excuset nulli operæ parcit Dodwellus *dissert. I. ad Irenæum th. 44. seq.* ubi statuit, Christum ex austeritate vitæ vultum senilem contraxisse, indeque Apostolos aliosque, qui eum viderunt, collegisse, quod quadragenario major fuerit, & ad senium declinaverit, cujus rei gratia allegat locum Joh. VIII, 57. ab ipso quoque Irenæo allegatum, & in hac sententia Seniores illos, quos Irenæus sequitur, a vero non multum aberrasse censet, cum verisimile ipsi videatur, Christum passionis suæ tempore saltem ætatis annum 38. attigisse.

XIX. Insignis de Christi ministerio, passione, morte & resurrectione locus extat apud Josephum *libr. 18. antiquit. judaic. cap. 4.* Quem Josephi locum genuinum esse post alios haud ita pridem probandum in se suscepit Vir Magnificus & Excellentissimus Dn. D. Georgius Wolfgangus Wedelius, Serenissimorum Ducum Saxonicorum Consiliarius & Archiater celeberrimus, in eruditis exercitationibus Medico-Philologicis *centur. 2. decad. 2. exercit. I.* Prolixius & peculiari tractatu hunc locum Flavio Josepho vindicavit Carolus Daubuz Presbyter & A. M. cujus tractatus pro testimonio Flavii Josephi de Christo Londini 1706. cum præfatione Joh. Ernesti Grabii editus in duos libros divisus est, quorum priore varia de Josephi testimonio judicia recenset. Ac primum quidem nubem testium pro testimonio Josephi adducit, Eusebium, *Hieronymum*, Rufinum, Autorem librorum de excidio judaico, quem aliqui Egesippum, alii Ambrosium nominant, Isidorum Pelusiotam, Hermiam Sozomenum, Aurelium Cassiodorum, Johannem Malalam, Nicephorum Callistum, Cedrenum, Zonaram, Glycam, Suidam, Freculphum Lexoviensem, Johannem Sarisburiensem, Vincentium Bellovacensem, Petrum Comestorem, Baptistam Platinam, Johannem Picum, Petrum Galatinum, Centuriatores Magdeburgenses, Sebastianum Munsterum, Sixtum Senensem, Cæsarem Baronium, Joh. Gabrielem Bisciolam, Henricum Spondanum, quem ex memoriæ lapsu Johannem nominat, Antonium Possevinum, Vincentium Lupanum, Franciscum Feuardentium, Isaacum Casaubonum, Josephum

Sca-

Scaligerum, Guilielmum Schickardum, Georgium Calixtum, Conradum Hornejum, Gregorium Gregorii, Theodorum Hackſpanium, Paganinum Gaudentium, Georgium Hornium, Johannem Conradum Dannhauerum, Johannem Micrælium, Jacobum Uſſerium, Antonium Hulſium, Johannem Hoornbeckium, Jacobum Altingium, Johannem Tobiam Majorem, Gerardum Johannem Voſſium, Johannem Coccejum, Virdungum, Hadrianum Junium, Uchtmannum, Cæleſtinum Capucinum, Martinum Alphonſum Vivaldum, Joſephum Voyſin, D. de Juigne, Autorem ephemeridum Gallicarum, Severinum Waltherum Sluterum, Sebaſtianum Lepuſculum, Robertum Bellarminum, Aubertum Miræum, Michaelem Waltherum, Johannem Mullerum, Chriſtophorum Adamum Rupertum, Thomam Reineſium, Abrahamum Whelocum, Thomam Lanſium, Joh. Chriſtophorum Wagenſeilium, Thomam Bangium, Gulielmum Spencerum, Henricum Valeſium, Franciſcum Regium ſeu de Roy, Sutlandum Anglum, Joh. Andream Boſium, Fridericum Spanhemium, Natalem Alexandrum, Iſaacum Voſſium, Petrum Danielem Huetium, Samuelem Parkerum, Tillemontium & Antonium Pagi.

XX. De his teſtibus, a quibus Daubuzius Joſephi locum approbatum & defenſum aſſerit, hoc tantum animadverto, Wagenſeilium in Synopſi hiſtoriæ ſuæ univerſalis *parte altera ſeu Peræ loculamento tertio pag. 189.* agnoſcere quidem, quod Joſephus aliquid de Chriſto ſcripſerit, addit tamen propria, quibus Joſephus uſus eſt, verba definiri non poſſe. Nam quod

Josephus Jesum pro Christo agnoverit & scriptis suis profiteri voluerit, neminem sibi persvasurum ait. Ex quibus patet, Wagenseilium inter eos referri non debere, qui locum Josephi de Christo, qualis hodie extat, nulli plane interpolationi obnoxium fuisse pronunciant. Fridericus autem Spanhemius, etsi pro Josephi testimonio tanquam genuino militet, non dissimulat tamen fortasse locum hunc in voculis una & altera interpolatum esse *Tom. I. oper. pag. 533.* Nescio etiam an Bosius iis, qui Josephi locum de Christo tanquam genuinum defendunt, certo annumerari debeat. Sententiam enim suam de periocha Josephi in exercitatione sua priori de hoc argumento scripta non indicavit, posterior autem quod sciam, lucem publicam hactenus nondum aspexit. Interim ex Conringii epistola ad Bosium patet, quod Bosius Josephum ne *quidem* semichristianum fuisse statuerit. Unde Josephi testimonium non potuit non pro adulterino habere. Cæterum testibus a Daubuzio adductis addi possent Johannes Trithemius, Joh. Henricus Hottingerus, Christophorus Heidmannus, Caspar Hedio, Sigismundus Gelenius, Johannes Pearsonius, Henricus Dodwellus, Samuel Petitus, Abrahamus Hinckelmannus, Johannes Frickius, aliique.

XXI. Cum vero inter eos, qui testimonium Josephi tanquam genuinum recipiunt, & inter eos, qui illud tanquam suppositicium damnant, aliqui velut medii incedant, & Flavianam hanc de Christo pericopen neque plane genuinam, neque plane suppositam agnoscant, eos quoque Daubuzius enumerat, & in hac clas-

classe ponit Richardum Montacutium, Joh. Henricum Ursinum, Johannem Henricum Bœclerum, Johannem Hispanicum, Stephanum le Moyne seu Monachium, (unus enim est Stephanus Le Moyne & Stephanus Monachius, etsi eum nonnulli in duas diversas personas distrahant) & Thomam denique Ittigium, quem tamen paulo post in alia classe reponendum censet.

XXII. Tandem eorum, qui huic testimonio omnino adversi sunt, tria facit genera Daubuzius. Ad primum genus eos refert, qui tacendo testimonium hoc parvi pendere, & νοθείας arguere videntur, ut Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Theodoretus, & Photius, quorum tamen silentium nil obesse judicat, quo minus testimonium Flavianum de Christo firmo talo stare possit. Ad secundum genus refert Judæos testimonium hoc improbantes, ad tertium vero Christianos, partim de fide hujus loci dubitantes, partim fidem ejus impugnantes, & suppositum esse probantes. Et ad tertium hoc genus nominatim refert Hubertum Giphanium, Lucam Osiandrum, Jacobum Salianum, Augustinum Mascardum, Jacobum & Ludovicum Capellum, Cloppenburgium, Danielem Heinsium, Boxhornium, Claudium Salmasium, Joh. Fridericum Gronovium, Gulielmum Henricum Vorstium, Johannem Freinshemium, Theodorum Graswinckelium, Johannem Dallæum, Christophornm Noldium, Davidem Blondellum, Tanaquilum Fabrum, Scriptorem quendam Hispanum, a quo latine duas dissertationes alteram de nomine Jesu

ſu, alteram de Joſephi loco ſcriptas memorat, & Ellies du Pin, quibus præter Doctorem aliquem Sorbonicum tandem etiam Thomam Ittigium addit, quem antea in alia claſſe collocaverat.

XXIII. Etſi vero mentem meam in prolegomenis meis ad Colonienſem ſeu potius Lipſienſem Joſephi editionem abunde patefecerim, eandem tamen hoc loco repetere non gravabor, ut illi quoque, qui alias Joſephi editiones poſſident, nec mea in Joſephum prolegomena legerunt, perſpicere valeant, in qua claſſe ego locari debeam, & quæ mea tum fuerit de hoc Joſephi loco ſententia, a qua ut ingenue fatear, Daubuzii tractatus, etſi integrum perlegerim, nondum me dimovere potuit, cum nullam alicujus momenti rationem ab illo adductam viderim, quæ hanc Flavianam pericopam omni ex parte genuinam mihi perſvadere potuerit. Neque tamen opus erit diſſertatiunculam illam de loco Joſephi ex meis in Joſephi opera prolegomenis verbotenus excerpere. Sufficiet illius ſummam paucis recenſuiſſe.

XXIV. Primum igitur obſervavi Joſephi nomen in nonnullis Patrum catenis cum *Græcis Patribus* conjungi, imo etiam eundem autorem ab Hieronymo in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum inter Scriptores eccleſiaſticos referri, non ſolum quia in ſuis antiquitatibus ejusmodi argumentum tractavit, quod ipſi apud Chriſtianos gratiam aliquam conciliare potuit, ſed etiam quia in iisdem ejus antiquitatibus honorificum aliquod de Chriſto teſtimonium legitur, de quo variorum eruditorum epiſtolas & judicia Noribergæ

A.

A. C. 1661. in teſtimonio ſuo Flaviano collegit Chriſtophorus Arnoldus. Recenſui deinde Scriptores aliquos partim recentiores, qui vel ſatis prolixe de hoc Joſephi teſtimonio egerunt, vel peculiares de eo diſſertationes ediderunt, partim antiquiores Græcos & Latinos. Et Græcis quidem etiam Euthymium addere potuiſſem, cum in ejus panoplia pag. 91. ubi de reſurrectione agitur, etiam Joſephi teſtimonium adducatur, & quidem ut titulus capitis habet, ex libro qui inſcribitur de cognitione Dei, & cujus autor Gregorius Nyſſenus perhibetur, quem locum a Daubuzio prætermiſſum miror.

XXV. His præmiſſis exiſtimavi Joſephi locum de Chriſto ex eo non parum νοθείας ſuſpectum reddi, quod antiqui eccleſiæ Doctores, qui ex inſtituto Judæos impugnarunt, hoc telo contra Judæos uſi non fuerint. Juſtinus enim Martyr, cui Joſephi antiquitates incognitas non fuiſſe ex ejus paræneſi ad Græcos conſtat, dubio procul Judæo Tryphoni hunc Joſephi de Chriſto locum oppoſiturus fuiſſet, ſi talis, qualis nunc extat, ejus ævo in Joſephi antiquitatibus lectus fuiſſet. Idem de Tertulliano præſumendum, cui ſi hoc Joſephi de Chriſto teſtimonium cognitum fuiſſet, fieri vix potuiſſet, ut hoc de Chriſto teſtimonium in peculiari, quem contra Judæos ſcripſit, tractatu omitteret. Chryſoſtomus in orationibus adverſus Judæos Joſephum μάρτυρα μάλα ἀξιόπιστον appellat. Cur ergo teſtis hujus fidei digniſſimi inſigne de Chriſto teſtimonium contra Judæos non allegavit? Nihil certe aliud ex ejus ſilentio inferri poteſt, quam quod illi hoc Jo-

ſephi teſtimonium de Chriſto vel plane incognitum fuerit, vel de interpolatione ſuſpectum? Photius Patriarcha in μυριοβίβλῳ ſuo duabus vicibus Joſephi antiquitates recenſet, ſemel codice 76. & iterum codice 238. ſed neutrubi ἀξιομνημόνευτον hoc Joſephi teſtimonium de Chriſto allegat, de quo etiam in tota ejus bibliotheca altum eſt ſilentium; ſive hæc decantatiſſima de Chriſto periocha in Photiano Joſephi exemplari plane defuerit, ſive illam adulterinam eſſe agnoverit, & recenſione ſua indignam judicaverit. Notavi hac occaſione in meis prolegomenis lapſum Miræi, qui in notis ad Hieronymi catalogum Scriptorum eccleſiaſticorum Joſephi de Chriſto periocham in Photii bibliotheca memorari ſcribit, quod quam falſum ſit, ipſa Photiani operis inſpectio abunde docet. Oſtendi inſuper quanto conatu quantas nugas egerit Lambecius, qui contra manifeſtam veritatem probandum ſuſcepit, omnino Photium in ſua bibliotheca hanc Joſephi de Chriſto periocham non plane intactam reliquiſſe. Photio adjunxi etiam Origenem, Photio aliquot ſeculis antiquiorem, qui *libro I. contra Celſum, & in Matthæum p. 223.* clare teſtatur, quod Joſephus Jeſum pro Chriſto non agnoverit. Quæ Origenis loca clare indicant, quod Joſephi de Chriſto teſtimonium, quale hodie in ejus antiquitatibus legitur, ignoraverit, cum in illo de Jeſu expreſſe dicatur: χριστὸς οὗτος ἦν, Chriſtus hic erat.

XXVI. Cæterum non invitus conceſſi, Joſephum de Chriſto non plane ſiluiſſe, quin & hoc conceſſi, Joſephum de Chriſto verba facientem a laudibus ejus

ejus non abstimuisse. Quamvis enim demonstrari non possit, Josephum in aula Vespasiani ex conversatione cum T. Flavio Clemente, qui postea sub Domitiani imperio ob christianam fidem interfectus est, & cum Flavia Domitilla ob eandem causam in exilium missa, bonam de Christo opinionem imbibisse, quæ Ruperti in epistola ad Snellium conjectura fuit; quemadmodum etiam demonstrari non potest bonam Josephi de Christo opinionem inde ortum suum duxisse, quod Banus Essenorum sectæ addictus Josephi Præceptor Johannis Baptistæ sectator fuerit, ideoque de Christo male sentire non potuerit, ut Vossius *de LXX. Interpretibus cap. 17. pag. 168.* arbitratur, qui præterea ipsum quoque Johannem Baptistam Essenum fuisse ex cibi & vestium simplicitate, baptismo, & reliquarum sectarum odio colligit: ex iis tamen, quæ Josephus de Johanne Baptista, & Jacobo Domini fratre retulit, non obscurum est, quod de ipso quoque Christo, cujus præcursor Johannes Baptista, & cujus discipulus Jacobus fuit, honorifice senserit. Unde non dubito, eorum conjecturam falsam esse, qui Josephum in suis antiquitatibus contumeliose de Christo locutum, Christianum vero quendam cum istas Josephi blasphemias legisset, eas expunxisse, & illarum vice insigne quod nunc apud Josephum habetur elogium substituisse suspicantur. Etsi enim Josephus ex Pharisæorum secta fuerit, quæ inveterato adversus Christum odio flagrabat, non ita tamen Josephus Pharisæorum placitis addictus fuit, ut non subinde eorum mores & facta perstrinxerit, ut taceam inventos quoque fu-

isse nonnunquam in Pharisæorum secta a capitali Christi odio alienos.

XXVII. Ex his intuli, nihil obstare, quo minus Josephus honorificum aliquod Christi elogium in suis antiquitatibus consignatum posteritati relinquere potuerit, volueritque. Dubio tamen procul elogium illud tale fuit, quale hominem Judæum, & a fide christiana alienum decuit. At quæ hodie apud Josephum de Christo verba leguntur, ita comparata sunt, ut a Christiano homine vel scripta vel saltem interpolata facile agnoscantur. Difficultatem hanc animadvertens Lambecius *tom. 8. bibliotb. Vindobon. p. 22.* ne hunc Josephi locum adulteratum vel suppositititium esse profiteri cogatur, omnia hujus elogii verba in sinistram partem interpretatur, quasi non ad Christi elogium, sed potius ad ejusdem vituperium & contemptum omnia spectarent, etsi a Josepho ambiguis phrasibus concepta fuerint, & Josephus ea methodo solerter utatur, ut nihil suis verbis de Christo scribat, sed tantum propriam Christianorum traditionem ex trium Evangelistarum scriptis, (cum Johannes suum evangelium nondum edidisset,) & Actis Apostolicis haustam referat, ita tamen ut loquendi formulæ, quas adhibet, ad irrisionem christianæ fidei torqueri possint. Quando ergo Josephus dicit, fuisse eo tempore Jesum σοφὸν ἄνδρα, *virum sapientem*, Lambecius existimat, quod Josephus vocem sapientis in malam partem usurpaverit. Cum Josephus addit: εἴγε ἄνδρα αὐτὸν λέγειν χρὴ, *si modo eum virum appellare decet*, hunc Lambecius verborum Josephi sensum fuis-

fuisse arbitratur, quasi Jesus spectrum potius aliquod & phantasma, quam homo fuerit, & Josepho, cum ista scriberet, in mentem venerit, Christum nonnunquam ab ipsis discipulis pro spectro habitum fuisse. Sequentia verba: ἦν γὰρ παραδόξων ἔργων ποιητὴς, *erat enim mirabilium operum patrator*, Lambecius ita explicat, quasi Josephus per opera mirabilia ἔργα ἄπιστα, seu opera incredibilia, & fide indigna intellexisset. Cum porro Josephus Christum fuisse dicit διδάσκαλον ἀνθρώπων τῶν σὺν ἡδονῇ τ' ἀληθῆ δεχομένων, *Doctorem hominum cum voluptate vera suscipientium*, Lambecius Christum a Josepho perstringi censet ut Magistrum piscatorum, publicanorum, mulierculararum aliorumque rudium hominum quævis dogmata simplici credulitate suscipientium, quasi vero idem sit, libenter vera suscipere, quod Christi discipulis Josephus tribuit, ac quævis absurda cum voluptate amplecti, quæ absurda est Lambecii explicatio. Verba Χριστὸς οὗτος ἦν, *Christus hic erat*, interprete Lambecio hunc sensum habent, quod hic Jesus ad aliorum, qui tum temporis eodem nomine gaudebant, differentiam Christus vulgo cognominatus fuerit, quoniam a discipulis & sectatoribus suis promissus Messias esse credebatur. Quando ulterius Josephus tradit, *Christum quidem a primoribus populi accusatum & cruci a Pilato addictum, nihilominus tamen non cessasse ab ejus dilectione, qui ab initio eum audiverunt*, ex Lambecii sententia crucifixioni Christi insultavit, quasi ea titulo & personæ Messiæ, qui collapsum Israelis regnum restituere debuisset, minime convenerit, & simul discipulos Christi tacite deriserit, quod,

 licet

licet Christum a Pilato crucifixum viderint, nihilominus tamen post mortem tam ignominiosam ipsum ut Messiam venerari nondum cessaverint. Cum Josephus pergit: *apparuit enim iis tertia die iterum vivus, prout divini Prophetæ & hæc & alia multa de ipso miranda prædixerant*, verba hæc Lambecius non ita accipienda esse statuit, quasi Josephus vel Christi resurrectionem veram esse, vel oracula Prophetarum ad ipsum pertinuisse crediderit, cum potius hæc tantum ex Christianorum sententia retulerit, iisque traditionis suæ probandæ onus reliquerit, lectoribus autem suis judicandi libertatem concesserit. Quam interpretationem Lambecius ex eo confirmat, quod Josephus non simpliciter dicat, Christum iterum vivum apparuisse, sed: ἐφάνη αὐτοῖς, *apparuit ipsis* quasi diceret, ejus discipuli vivum sibi apparuisse dicunt, fides sit penes autores. Cum tandem Josephus & hoc addit, quod *nunc etiam Christianorum ab hoc denominatorum non deficiat genus*, ex Lambecii mente non solum Christianorum numero se eximit, sed etiam miratur, ullum adhuc Christianum eo tempore, quo hæc scripsit, superfuisse. Verum has Lambecii glossas nimis longe petitas & tam coactas esse in prolegomenis meis censui, ut multo satius sit, locum hunc Josephi ut spurium rejicere, vel interpolatum fateri, quam modo tam violento ut genuinum defendere.

XXVIII. Imprimis autem adulterina videntur verba: Χριστὸς οὗτος ἦν. Nam Origenes testatur, quod Josephus Jesum pro Christo non agnoverit, quod etiam Photius non obscure innuit, cum librum, qui in-

scri-

ſcribitur περὶ παιδὸς Joſephi eſſe negat, quia in illo Jeſus noſter Chriſtus appellatur *cod. 48.* Et quomodo Joſephus Jeſum pro Chriſto agnoſcere potuiſſet, qui τὸ χριστιανικὸν κήρυγμα Theodoreto teſte *tom. 2. oper. pag. 697.* amplexus non fuit? Prophetarum de Meſſia oracula non in Jeſu Nazareno, ſed in Veſpaſiano Imperatore impleta Joſephus credidit, ut ipſe in ſcriptis ſuis profitetur. Quamobrem in prolegomenis meis cum Montacutio ſtatui, verba illa Χριστὸς οὗτος ἦν, gloſſema eſſe alicujus Chriſtiani margini aſcriptum prius, & poſtea a librariis textui inſertum, aut, ſi Joſephus Chriſti mentionem fecit, eum forte his verbis uſum conjeci: ὁ Χριστὸς οὗτος εἶναι ἐπιστεύετο, Chriſtus hic eſſe credebatur, quam conjecturam Hieronymi verſio confirmat: *credebatur eſſe Chriſtus.* Unde etiam Jacobum non fratrem Chriſti, ſed fratrem Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ *libr. 20. antiq. cap. 8.* appellat, qua ratione etiam Pilatus ad Judæos dicebat: Τίνα θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν; Βαραββᾶν ἢ Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν; Matth. XXVII, 17. Statui præterea in prolegomenis meis, quod verba, quæ de reſurrectione Chriſti agunt, eamque non ſolum factam, ſed etiam in Prophetarum oraculis prædictam aſſerunt, vel Joſepho affICta, vel interpolata fuerint. Ita enim verba illa concepta ſunt, ut Joſephus non ex aliena, ſed ex ſua ipſius ſententia loquatur. Quis autem credat, Joſephum Chriſti reſurrectionem credidiſſe, aut eam a Prophetis prænunciatam ſtatuiſſe? Quamobrem Wheloci judicio ſubſcribere non potui, dicentis: *tollatur e medio potius, atque penitus e mundo Flavius Joſephus, quam ut illam*

a christiana ecclesia gemmam, illam intelligo περιοχὴν tolli patiamur. Mihi, fateor, alia sedet animo sententia. Non enim video, quid lucri ex hac adulterina gemma ecclesiæ nostræ accedat, qua nec religio nostra firmiter probari, nec perfidia judaica cum successu debellari potest?

XXIX, Hæc igitur fere sunt, quæ in meis ad Josephum prolegomenis de hoc Josephi loco dicenda judicavi. Ea vero cum jam typis impressa essent, incidi in Hermanni Witsii miscellanea, qui *libr. I. cap. 21. pag. 303. seqq.* de hoc Josephi loco agens primum argumentum refert, quibus hoc Josephi testimonium a nonnullis γνήσιον & genuinum, ab aliis vero spurium esse probari solet, ac deinde hanc epicrisin subjungit, ad rem christianam perinde quidem esse, quid Josephus de Christo crediderit & tradiderit, ideoque non exagitandos esse, qui argumento hoc non utuntur, ne plumbeis armis pugnare videantur, ubi decretoria non desunt, interim tamen non probandam esse hypercriticam illam criticam, quæ arma hæc ex Josephi loco deprompta fideliûm manibus extorquere, eosque diuturna possessione deturbare conatur. Hanc doctissimi Viri epicrisin si admittamus, reprehendendus erit Dn. Daubuzius, quod eos non mediocriter exagitaverit, qui Josephi de Christo locum non magni pendunt. Ego vero juxta eandem epicrisin hypercriticæ alicujus criticæ reus peragar, si me Dn. Daubuzii argumentis opponam. Nihilominus tamen cum veritas religionis Christianæ, si eam mendaciis stabilire, & plumbeis, quæ Witsius vocat, argumentis tueri satagamus, adversa-

verſariorum proſtitutioni objiciatur, religioni mihi non duco, priſtinam meam de hoc Joſephi loco ſententiam tueri.

XXX. Et Grabius quidem in præfatione ad Daubuzii tractatum veretur, ne, qui Joſephi de Chriſto teſtimonium non admittunt, etiam inſcriptionem crucis Dominicæ a Pilato factam, & egregiam de Chriſto confeſſionem Centurionis, qui crucifixioni ejus interfuit, & ipſorum Dæmonum de Chriſto elogium negaturos eſſe, niſi hæc teſtimonia in ſacra Scriptura extarent. Recte! Joſephi enim de Chriſto teſtimonium, quod in canonem nunquam relatum eſt, non eſt ejusdem fidei & autoritatis cum illis confeſſionibus de Chriſto, quas Scriptores θεόπνευστοι in literas retulerunt. Ipſe autem Daubuzius primum ad Doctorum eccleſiæ conſenſum provocat, neque tamen ullum, qui tribus prioribus ſeculis hoc teſtimonium agnoverit, allegare potuit. Primus ergo quem allegat, eſt Euſebius, teſtis quidem probatæ alias fidei, non tamen omni exceptione major. Certe fidem non meretur, cum Therapeutas a Philone memoratos Chriſtianis annumerat. Neque Joſephi narrationes ubique fideliter exprimit. Cum enim Joſephus in narratione mortis Regis Agrippæ bubonem ſupra caput ejus aſtitiſſe refert, Euſebius *libr. 2. hiſt. eccleſiaſt. c. 10.* bubonem Joſephi in Angelum mutavit, & ſic Joſephi textum, ut Valeſius ad illum locum annotavit, malo more interpolavit. Ideo autem Euſebius juxta Valeſium Joſephi bubonem in Angelum mutavit, ut Joſephi narrationem cum Luca, qui in Actis apoſtolicis c. XII. v. 23. Agrippam ab An-

gelo Domini percussum memorat, eo melius conciliare posset. Quidni igitur fieri potuerit, ut Eusebius etiam in Josephi de Christo testimonio verba quædam interpolaverit? De reliquis Scriptoribus ecclesiasticis, hoc Josephi testimonium adducentibus, nihil addimus, cum illi Eusebium secuti fuerint. Id tamen observandum, non iisdem plane verbis omnes hunc Josephi locum allegasse, unde patet, quod hujus loci lectio non omni tempore tam constans fuerit, quin subinde in uno alteroque verbo aliqua mutata fuerint.

XXXI. Cur vero Scriptores ecclesiastici Eusebio antiquiores locum hunc Josephi silentio prætermiserint, varia Daubuzius excogitat. Verum leviora illa sunt, quam ut argumentum νοθείας ex illo veterum Patrum silentio desumtum enervari possit. Quando enim e. g. ait, fortasse in deperditis Justini Martyris, & Clementis Alexandrini scriptis hunc Josephi locum legi, pari facilitate contrarium fortasse opponi poterit. Cum vero asserit, veteres Patres Josephi locum contra Iudæos propterea non allegasse, quod viderint, *nihil ponderis hoc testimonium adversus Judæos habiturum*, hoc ipso prodit, non esse tantam hujus testimonii autoritatem, nec tantum usum, quantum postea parte 2. libri I. probare conatur, ut alia taceamus.

XXXII. Tertia primi sui libri parte Daubuzius de consilio Flavii Josephi in testimonio hoc scribendo prolixe agit. Singula autem excutere instituti nostri ratio non permittit. Paucis dico, in hoc consilio

filio Josephi investigando multa ipsum supponere, quæ ulteriori probatione egent. Inter alia contendit, Epaphroditum illum, cujus hortatu Josephus Archæologiam suam scripsit, & cui Josephus librum de vita sua dedicavit, eundem esse cum Epaphrodito, quem Paulus in sua ad Philippenses epistola commendat cap. II. 25. seq. IV, 18. item in epistola ad Colossenses, ubi Epaphras dicitur, C. I, 7. & C. IV. 12. 13. nec non in epistola ad Philemonem v. 23. ubi iterum Epaphras nominatur, etsi nonnulli Epaphram ab Epaphrodito diversum statuant, qua de re cum nemine litigabo. Hunc ergo Epaphroditum a Paulo Apostolo toties commendatum Daubuzius eundem fuisse statuit, cum Epaphrodito, cujus hortatu Josephus Archæologiam suam scripsit, & cui librum de vita sua dedicavit. Fuit autem Epaphroditus ille Neronis Imperatoris servus & deinde libertus, eidemque, ut & postea Imperatori Domitiano a libellis, qui tandem ipsum ob sinistras quasdam de eo suspiciones capite truncari jussit. Rationes, quibus adductus Daubuzius hunc Neronis libertum, Tacito, Svetonio, Dioni aliisque profanis Scriptoribus non incognitum, cum Epaphrodito Paulino, quem decurtato nomine etiam Epaphram dictum fuisse cum Grotio statuit, eundem fuisse censeat, non commemorabo. Sufficit, quod ipse Daubuzius hanc opinionem suam suspicionem appellat. Et quamvis in ea per Abrahamum Berckelium in præfatione ad Epicteti enchiridion in hac suspicione ita confirmatus fuerit, ut quod antea suspicionem appellaverat, paulo post pro re certissima venditaverit, mihi tamen hæc sententia non magis

certa videtur, quam illa altera Berckelii, qua ſtatuit, Epictetum Epaphroditi ſervum vel ex Epaphrodito, vel ex ipſo Paulo, eorumque de fide chriſtiana colloquiis, fortaſſe etiam commentariis, ſua omnia hauſiſſe, quæ Chriſtianam doctrinam redolent.

XXXIII. Multo autem minus probari poteſt, quòd falſæ ſuæ hypotheſi Daubuzius ſuperſtruit, nempe Joſephum Archæologiæ ſuæ honorificum de Chriſto teſtimonium inſerere voluiſſe, ut Epaphrodito, cujus hortatu Archæologiæ opus ſuſceperat, & quem Chriſtianum fuiſſe præſumit, ex more & ingenio aulicorum abblandiretur. Id enim aulicorum ingenium eſſe dicit, ut multa, imprimis ubi neceſſitas aliqua illos premit, præter animi ſui ſententiam ad aliorum mentem dicant & ſcribant. Huic igitur aulicorum arti etiam Joſephum indulſiſſe Daubuzius ſuſpicatur, *cum non ſatis ipſi fuerit*, ipſius Domitiani gratiam captare, niſi etiam Epaphrodito, qui Imperatori a libellis erat, & in aula plurimum poterat, honorifica Chriſti mentione adularetur. Non ſolum autem Epaphrodito, ſed etiam Flaviæ Domitillæ, quæ poſtea ob chriſtianam fidem in inſulam Pontiam relegata fuit, & *Tito Flavio* Clementi Conſuli itidem chriſtianæ religioni addicto, multaque apud Imperatorem gratia pollenti antequam Domitianea perſecutione graſſante ob chriſtianam fidem interficeretur, Joſephum hoc Chriſto elogio adulari voluiſſe ſtatuit. Verum hac ratione Daubuzius Joſephi de Chriſto teſtimonium non mediocriter depretiat. Quis enim ejusmodi confeſſioni pretium aliquod ponat, quod non veritatis amor, ſed pudenda

adu-

adulatio expreſſit? Honeſtius de hoc Joſephi teſtimonio ſentit Daubuzii commendator Grabius in præfatione ad lectorem, ubi vim veritatis Joſepho amplum hoc Servatoris noſtri elogium extorſiſſe aſſerit, etſi fatear facilius hoc dici, quam probari poſſe, cum Joſephus non raro in ſuis hiſtoriis humanæ potius gratiæ aucupium, quam veritatis ſtudium ſectatus fuerit.

XXXIV. Sub finem libri ſui primi Daubuzius demonſtrare nititur, impoſſibile fuiſſe, ut quis totam de Chriſto periocham interpolaret. At quî impoſſibile id fuerit. Nonne enim ſatis conſtat, pluribus Scriptoribus alienas hujusmodi lacinias aſſutas fuisſe? Cur ergo hujusmodi impoſtura non etiam in Joſephi ſcriptis locum habere potuiſſet? Ita ſane verba de Chriſto apud Joſephum concepta ſunt, ut, ſi non tota periocha, ſaltem una ac altera ejus pars interpolata fuiſſe ſatis agnoſcatur. Nec ejusmodi interpolationem impoſſibilem fuiſſe cogitandum eſt. Si enim poſſibile fuit, verba Joſephi tragicam Regis Agrippæ mortem referentis ab Euſebio interpolari, & loco bubonis Angelum poni, ut ſupra dictum eſt, poſſibile etiam fuit in teſtimonio de Chriſto unam alteramve particulam, ſive ab Euſebio, ſive ab alio quodam Chriſtiano interpolari. Etſi ergo Daubuzius nemini ſine nota ſtultitiæ libertatem hanc permiſſurus videatur, ut teſtimonium de Chriſto Flavianum interpolatum ſtatuat, dum in hæc verba erumpit: *concoquant hanc fabam adverſarii, & quibus tanta eſt ingluvies: mihi longe ſatius eſt, nunquam iſtam in me admittere ſtultitiam*, tantum tamen abeſt, ut ſtultitiæ aliquid huic opinioni

 in-

ineſſe probari poſſit, ut potius in his Joſephi verbis interpolationem ſtatuere ſumma neceſſitas requirat, niſi vel Joſephum Chriſtianis annumerare, vel quod Judæi Jeſum pro Meſſia agnoſcant, & ejus reſurrectionem a mortuis credant, aſſerere velimus, cujus fabæ concoctio longe majorem ingluviem poſtulat.

XXXV. Imprimis ſuſpecta ſunt illa verba: χριστὸς οὗτος ἦν. Origenis n. ætate verba hæc in Joſepho nondum legebantur, quod ex eo patet, quia ſemel iterumque Origenes negat, Jeſum a Joſepho pro Chriſto agnitum fuiſſe, quemadmodum etiam in hiſtoria Johannis Baptiſtæ Origeniani Joſephi codices ab hodiernis diſcreparunt. Nam Origenes *libr. I. contra Celſum pag. 35. edit. Spencer.* ſcribit, quod Joſephus in libro 18. ſuarum antiquitatum referat, Johannem Baptiſtam baptizatis expiationem peccatorum pollicitum fuiſſe. At in hodiernis Joſephi codicibus *libr. 18. Archæol. c. 7.* non dicitur de Johanne, quod in remiſſionem peccatorum baptizaverit, ſed quod Judæos excitaverit ad virtutum ſtudia, & imprimis pietatis & juſtitiæ, ſimulque ad baptiſmi lavacrum, quod ita demum Deo gratum fore prædicavit, ſi non tantum ab uno alterove peccato abſtinerent, ſed animis per juſtitiam mundatis puritatem corporis adderent. Etſi vero Daubuzius exiſtimet, hodiernos Joſephi codices integriores eſſe, quam quibus Origenes uſus eſt, neſcio tamen, unde id probari poſſit. Mihi enim credibilius videtur, eo integriores fuiſſe Joſephi codices, quo ejus ætati propiores. Conſtat præterea, Joſephum in libris ſuis de bello Judaico oracula de Meſſiæ regno ad

Im-

Imperatorem Veſpaſianum applicuiſſe. Quomodo ergo Jeſum pro Chriſto habere potuiſſet? Quamobrem verba illa χριστὸς οὗτος ἦν, vel ſpuria vel ſaltem interpolata eſſe ſuperius monui. Excipit Daubuzius, Joſephum quidem, cum de bello Judaico ſcriberet, Veſpaſiano ubique adulatum, neque tamen tam fatuum fuiſſe, ut Veſpaſianum Meſſiam eſſe crediderit, aut, ſi forte tum ita ſenſit, poſtea mutatis temporibus hanc ſententiam mutaſſe. At pari facilitate hæc a nobis negari poſſunt, qua a Daubuzio affirmantur. Excipit etiam Daubuzius, Joſephum, etſi Judæus fuerit, ſcripſiſſe tamen quod Jeſus Chriſtus fuerit, quatenus non tam ſuam quam Chriſtianorum ſententiam protulit. Verum ſi his verbis: χριστὸς οὗτος ἦν, nihil aliud continetur, quam quod Jeſus a ſuis ſectatoribus pro Chriſto agnitus fuerit, quid opus erit hujus teſtimonii cauſa tantum pulveris excitare? Quilibet enim ſive Judæus, ſive paganus hoc de Jeſu teſtari potuit, quod a Chriſtianis pro Meſſia agnitus fuerit.

XXXVI. Suſpecta quoque ſunt, quæ in Joſephi teſtimonio de Chriſti reſurrectione memorantur. Quis enim ſibi perſvadeat, Joſephum religioni judaicæ addictum Chriſti reſurrectionem credidiſſe, & profiteri voluiſſe? Equidem Joſephum ſaltem ſemichriſtianum fuiſſe alicubi aſſerit Daubuzius. Verum non deſunt viri docti, qui Joſephum potius ſemipaganum, quam ſemichriſtianum fuiſſe obſervarunt, qua de re inter alios Antonius van Dale in tractatu de origine & progreſſu idololatriæ *cap. 7. pag. 136. ſeqv.* videri poterit. Multos Judæos Joſephi ætate reſurrectionem Chriſti

cre-

credidisse falsum est, nisi id de Judæis ad christianam fidem conversis intelligatur, quibus Josephus annumerari non potest. Quis ergo credat, Josephum resurrectionem Christi, quæ fides est Christianorum propria, vel corde fideli amplexum, vel calamo confessum fuisse? Typus resurrectionis Christi fuit Jonas a pisce deglutitus, & post triduum terræ incolumis redditus. At Josephus cum Jonæ historiam recenset, miraculum hoc tacite deridet, dum istud miraculum in Jona factum his verbis concludit: *hæc de eo sic retulimus, ut invenimus in commentariis.* Si autem Judæus hic non ingenue credidit, quæ in sacris Veteris Testamenti oraculis de Jona consignata invenit, quomodo resurrectionem Christi Jonæ typo præfiguratam in Evangelistarum & Apostolorum scriptis traditam crediderit? Citius crediderit, discipulos Christi corpus *sui Magistri* furtim e sepulchro surripuisse, & falsum de ejus resurrectione rumorem evulgasse.

XXXVII. Josephum ea, quæ de Christi resurrectione protulit, non ex sua, sed ex Apostolorum sententia retulisse, Daubuzio ex eo probabile videtur, quod dixerit: ἐφάνη αὐτοῖς, quasi dixerit: *ipsis Jesus apparuit iterum vivus, penes eos fides esto, ego me quidem indicem statuo, non judicem.* Verum huic explicationi obstat, quod Josephus dicat (si Josephus hæc dixit) Jesum tertia die vivum apparuisse, sicut Prophetarum oraculis prædictum fuit, quæ verba satis indicant, autorem hujus testimonii de Christo non ex aliena, sed ex propria sententia locutum esse. Quomodo autem homo Judæus, & in Judaica religione perseverans Chri-

Christi resurrectionem & a Prophetis prædictam, & vere impletam dicere potuit? Imo vero potuit, ait Daubuzius, cum Lucas testetur Act. XV, 5. Pharisæos quosdam christianam fidem recepisse, & tamen circumcisioni aliisque Mosaicis ritibus renunciare noluisse. Sed qualis quæso est illa consequentia? Pharisæi aliqui in Christum crediderunt, qui salutem non solum in evangelio, sed etiam in lege quærendam esse censuerunt. Ergo Josephus resurrectionem Christi credidit. Nec sequitur, Josephi de Christo elogium in dubium vocari non posse, quia Nicodemus Princeps Pharisæorum longe majus elogium Christo tribuit, quam a Josepho ipsi tributum perhibetur. Nam Nicodemum insigne Christo elogium tribuisse ex Scriptura constat Joh. III, 2. At Josephum talia de Christo scripsisse, qualia in ejus Archæologia nunc leguntur, non sine ratione negari potest. Præterea plus est, cum Josephus dicit, Jesum Christum fuisse, quam cum Nicodemus Jesum pro Doctore divinitus misso agnovit. Tandem Daubuzius ex verbis Josephi dicentis libr. 10. c. ult. *Danielem de Romanorum imperio scripsisse, & quantam vastitatem Judæis illaturi essent*, colligit, fieri aliter non posse, quin Josephus crediderit, Christum jam dudum venisse, nec solum venisse, sed etiam e medio sublatum fuisse, ideoque si vel maxime celebre Josephi de Christo testimonium in ejus Archæologia non extaret, liquido constare, quod de Servatore nostro ita senserit, ut eum verum Messiam esse crediderit. Sed nimis longe hoc est petitum, nec video quomodo hæc Josephi fides de Christo ex eo exsculpi possit, quod Danielem de Roma-

manorum imperio & Judææ vastatione prædixisse referat. Danielem de Romanorum imperio, & vastatione Hierosolymæ & templi vaticinatum esse verum est, sed quod Josephus illud Danielis oraculum recte intellexerit, nec *κάλυμμα* incredulitatis, quo Judæorum animi excæcati sunt, obstitisse, quo minus in verum oraculi Danielitici sensum penetraverit, quis probare poterit? Denique si Daubuzius serio statuit, quod Josephus Jesum pro vero Messia agnoverit, & in eum crediderit, cur eum ex mera adulatione erga Epaphroditum honorificum de Christo testimonium perhibuisse dixit? Cur Josephum non ex propria, sed ex aliena mente in illo testimonio locutum censuit? Taceo quod ipse Josephus se non Jesum, sed Vespasianum pro Messia habuisse scribat, ut supra dictum est. Quamobrem Flavianum illud de Christo testimonium, *quod Daubuzius* integrum Josepho vindicare nititur, Eusebii temporibus a Christiano quodam Scriptore interpolatum fuisse minime dubitamus, nec plura jam addimus, optantes tantum, ut nova operum Flavii Josephi editio, cui adornandæ Clarissimus Hudsonus in Anglia nunc invigilat, propediem lucem videat, *cui negotio* plures, quos in Gallia & Italia habet, amicos *auxiliatrices* manus admovere, Vir quidam celeberrimus haud ita pridem ad me perscripsit.

XXXVIII. Quicquid autem Josephus de Christo scripserit, sufficit vitam Christi sanctos Evangelistas literarum monumentis divinitus inspiratis consignasse, quorum historiam ex Patribus & aliis vetustioris notæ Scriptoribus, pro suo quisque more, illustrarunt

runt Origenes in commentariis ad Matthæum & Johannem, nec non in homiliis ad Lucam, si modo illæ in Lucam homiliæ Origenem autorem habeant, Hilarius & Hieronymus in commentariis ad Matthæum, Pseudo-Hieronymus in Commentario ad Marcum, ut alterius Pseudonymi Hieronymi Commentarium in 4. Evangelia haud ita pridem per Monachos Benedictinos editum taceam, Chrysostomus in homiliis ad Matthæum & Johannem, Anonymus in opere imperfecto ad Matthæum, Victor Antiochenus in commentario ad Marcum, Titus Bostrensis in commentario ad Lucam, Cyrillus Alexandrinus in libris 12. ad evangelium Johannis, Augustinus in 124. tractatibus ad evangelium Johannis, Christianus Druthmarus in expositione Matthæi, & epitome Lucæ & Johannis, Rabanus Maurus in octo libris commentariorum ad Matthæum, Pseudo-Anselmus & Paschasius Radbertus in commentariis ad Matthæum, Alcuinus in libris septem commentariorum ad evangelium Johannis, Venerabilis Beda, Euthymius Zigabenus, & Theophylactus in commentariis ad universa quatuor evangelia, Guido de Perpiniano in concordia evangelica, Simeon de Cassia in 4. Evangelia, & si qui sunt alii. Inter recentiores Scriptores hanc operam navarunt præter alios Chemnitius, Lyserus & Gerhardus in harmonia evangelistarum, Sebastianus de Baradas in concordia evangelica, Thomas Beaux-amis in harmonia evangelica, Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis in commentario ad concordiam evangelicam, alter Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus in Tetrateucho, Calvinus in harmonia Matthæi, Marci

& Lucæ, & commentario in Johannem, Bucerus in enarratione IV. Evangeliorum, Sebaſtianus le Roux in concordia IV. Evangeliſtarum, Bernardus Lamy in commentario ad concordiam quatuor evangeliorum, Balduinus Walæus in perpetuo commentario ad libros hiſtoricos Novi Teſtamenti, Ligtfoot in horis Talmudicis ad evangelia, Georgius Calixtus in concordia evangeliorum, Johannes Brentius, Lucas Loſſius, Joh. Georgius Dorſcheus, Jo. Maldonatus, Adamus Conzenius, Jacobus Faber, Lucas Brugenſis, Cornelius a Lapide, Natalis Alexander, Johannes Gagneius, Benedictus Aretius, Johannes Ludovicus Wolzogen Socinianus, & alii in commentariis ad 4. evangelia, Johannes Camero in myrothecio evangelico, & Ludovicus Capellus in Spicilegio, Auguſtinus Marloratus, Eraſmus Roterodamus, Eraſmus Schmidius, Matthias Flacius, *Alfonſus* Salmeron, Daniel Heinſius, Aloyſius Novarinus, Henricus Hammondus aliique in ſuis ad Novum Teſtamentum lucubrationibus, Hugo Grotius ab Abrahamo Calovio non immerito caſtigatus, Johannes Piſcator, & alii in annotatis ſuis biblicis, Ægidius Hunnius in commentariis ad Matthæum & Johannem, Carolus Maria du Veil in notis ad Matthæum & Marcum, Chriſtophorus Pelargus in quæſtionibus ad Matthæum & Johannem, Johannes Gerhardus, & Filius Johannes Erneſtus in annotationibus ad Matthæum, Alphonſus Toſtatus in prolixis ad Matthæum commentariis, in quibus duo poſtrema capita deficiunt, Petrus P. Winſtrupius in Pandectis ſ. commentariis ad Matthæum, quorum primum tantum tomum videre mihi hacte-

nus

nus licuit, Joh. Crellius, & Samuel Przipcovius Sociniani in annotationibus ad priora Matthæi capita, Johannes Heinricus Heideggerus in annotationibus ad Matthæum, quæ ejus exercitationibus biblicis insertæ sunt, Johannes Pricæus in scholiis ad Matthæum & Lucam, Jo. Winckelmannus in Commentariis ad Marcum & Lucam, Didacus Stella in commentario ad Lucam, Johannes Ferus, Paulus Tarnovius, Christianus Nifanius, Jonas Slichtingius Socinianus, & alii in commentariis ad evangelium Johannis, ut plures alios, qui vel unum ac alterum Evangelistam, vel universos suis annotationibus, scholiis & commentariis illustrarunt, taceamus. Quibus addi possunt D. Balthasaris Bebelii antiquitates evangelicæ, Taylor de vita Christi, Baronii annales ab anno Christi 1. usque ad A. C. 34. Casauboni exercitationes ad Baronium, Montacutii origines ecclesiasticæ, Ottii examen ad Baronii annales, & alii historiæ ecclesiasticæ Scriptores. Nos impræsentiarum iis, quæ superius de Christi infantia, ejusque per baptismum & tentationes in deserto ad Ministerium præparatione delibavimus, de ejusdem in Ministerio gestis paucula addemus.

XXXIX. Christus igitur e deserto ad Johannem Baptistam reversus, Discipulos quosdam sibi aggregavit, cum quibus ad nuptias in oppido Cana celebratas invitatus primum ibi miraculum edidit, dum aquam, qua sex hydriæ ad summam usque partem repletæ fuerant, in nobilissimum vinum transmutavit. Occasionem miraculo dabat vinum in nuptiali convivio jamjam deficiens, quem defectum Maria Virgo nuptiis his præsens Filio suo his verbis indicabat: *vinum*

non habent, quæ verba quidem D. Sebaſtianus Schmidius in paraphraſi evangelii Johannis cap. 2. ubi hoc miraculum legitur, ita explicat, ac ſi Maria Chriſtum monere voluiſſet, ut cum Diſcipulis ſuis ſurgeret, & domum iret, ne ſponſus & ſponſa ex vini defectu confunderentur, ideoque Chriſtus ipſi reſponderit: *hora mea* nempe ſurgendi & abeundi *nondum venit.* Veruntamen ideo potius Maria Chriſto defectum vini indicaſſe videtur, ut virtute ſua divina, quæ ipſi non incognita fuit, vinum procuraret. Qua interceſſione cum Chriſto tempus faciendi miraculum quodammodo præſcriberet, duriuſculum hoc reſponſum tulit: *quid mihi tecum mulier? hora mea*, nempe ut miraculum edam, *nondum adeſt.* Quæ verba D. Georgio Vechnero occaſionem dederunt publicandi tractatum de auſteritate Chriſti erga matrem, qua in *nuptiis Cananæis* uſus eſt. In hoc tractatu, qui Leſnæ Pol. typis Wigandi Francii A. 1640 impreſſus eſt, obſervat autor, etſi reſponſum Chriſti, ſi obiter æſtimetur, auſterius & modeſtæ ac piæ matris ſuæ petitioni minus congruum videatur, omni tamen vacare culpa, at Mariam de vini defectu querentem non ab omni culpa immunem fuiſſe, quam tamen non in eo quærendam cenſet, quod privatam gloriam affectaverit, aut imperioſius petitionem ſuam urſerit, aut novis conjugibus vel paupertatem, vel nimiam parcitatem exprobraverit, vel in convivis frugalitatem deſideraverit, ſed quod Filium in nuptiali convivio convivas & in his Diſcipulos ſuos recens aſcitos ſalutaribus monitis inſtruentem tempore minus oportuno interpellaret. Atque hinc

hinc etiam causam austerioris responsi a Christo dati arcessit. Cum enim alias variæ rationes dari soleant, cur Christus tale responsum Matri suæ dederit, nempe 1. ut indicaret se ut Deum miracula designaturum, 2. ut muneris sui dignitatem intimaret, omni materna autoritate superiorem, 3. ut ostenderet, penuriam vini nondum tantam esse, aut nondum ita omnibus manifestam, ut necessitas miraculum exigat, 4. ut familiarium gratiam & Amicorum interventiones a miraculis suis sequestraret, 5. ne mater ad majorem dignitatem postea reportandam aditum sibi faceret, 6. ut in negotiis divinis ne parentum quidem respectum aliquem habendum esse declararet, 7. ut hac auxilii dilatione Mariæ sapientiam patefaceret, 8. ne ante miracula sua Mariæ virginitatem promulgaret, 9. ut Mariæ curiositatem redargueret, 10. ut hac tentatione Mariæ fidem exploraret, 11. ut carnis prærogativam a regno suo excludendam demonstraret, 12. ut superstitioni sequentibus seculis exoriturae fores obstrueret: Vechnero tamen rationes illæ, neque singulæ, neque conjunctæ satisfaciunt. Ideoque causam austeritatis Christi erga matrem in hoc nuptiali convivio inde ortam putat, quod Christus sacra sua colloquia intempestiva de vini defectu querimonia interturbari moleste tulerit. Nam alio etiam tempore Christus, cum docendo populo intentus esset, & ipsi nunciaretur, matrem ejus & fratres & cognatos foras stare, & colloquium ejus expetere, respondebat: *quæ mater mea? qui fratres? & manu in Discipulos protensa dicebat: ecce mater mea! ecce fratres! quisquis enim voluntatem Patris mei in-*

cœ-

cœlis fecerit, is frater meus est, & soror & mater Matth. XII, 40. seqv. Hanc sententiam Vechnerus tanquam novam, nec apud alios Scriptores sive veteres sive novos obviam commendat, etsi Chrysostomus, loco tamen alieno, prope ab ea abesse videatur. Verum non video, quomodo Vechnerus probare possit, quod Christus illo ipso momento, quo Maria defectum vini ipsi indicavit, in docendis Discipulis suis & reliquis convivis usque adeo occupatus fuerit, ut exiguam matris suæ de vini defectu solicitæ interpellationem ferre non potuerit. Certe Christus in conviviis non continuo docere, sed etiam edere & bibere solebat, & in his nuptiis, quibus aderat, convivis non solum ad satietatem, sed etiam ad hilaritatem usque bibere permittebat, quod ex vini defectu, & Architriclini verbis non obscure colligi potest. Dubio procul etiam Maria, si Filium distribuendo cibo spirituali intentum observasset, illo tempore ipsum interpellare ausa non fuisset, sed potius ejus sermonibus cum convivis ipsa quoque aures animumque advertisset, ideoque de vino, convivis quippe jam ad alia attentis, procurando tantisper solicita non fuisset. Videtur ergo Maria hanc ob causam a Christo reprehensa, quod in verbis suis tacite miraculum postularet, ipse vero in rebus ad officium suum pertinentibus modum & tempus a matre sibi præscribi nollet. Cæterum Vechnerus ad calcem hujus tractatus etiam verba Architriclini expendit, & ex more Græcorum libandi sub finem conviviorum poculi illustrat. Tandem etiam verborum emphasin ostendit, quibus Evangelista descriptionem hujus mira-

ra-

raculi concludit, cum ait: ταύτην ἐποίησε τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς. Et hæc ex prædicto Vechneri tractatu paucis notare placuit, cum libellum illum raro obvium esse sciam. Fabulam de Johanne Evangelista, quod Sponsus in his nuptiis fuerit, & Christus ipsum a nuptiis ad cælibatum avocaverit, ut multis refutemus, opus non est. Num vero miraculum hoc d. 6. Januarii factum fuerit, & illo ipso die quotannis nonnulli fontes variis in locis vinum pro aqua scaturiverint, & miraculi hujus memoriam velut instauraverint, cujus rei testis Epiphanius *hæres. 51. sect. 30.* adducitur, aliis dispiciendum jam relinquimus.

XL. Post descriptionem miraculi a Christo in nuptiis facti refert Johannes Jesum in urbem Capernaum discessisse, & inde Hierosolymam ascendisse, ubi cum in templo venditores boum, ovium & columbarum, & Nummularios sedentes invenisset, flagello e funiculis contexto venditores illos una cum bobus & ovibus suis templo ejecit, & Collybistarum nummos subversis mensis effudit, & columbarum venditoribus dixit: *tollite hinc ista, nec facite domum Patris mei domum mercatus* Joh. II, 14. Simile factum etiam Matthæus c. XXI, 12. 13. Marcus XI, 15. & Lucas XIX, 45. 46. memorant. Verum hæc a Matthæo, Marco & Luca relata templi purgatio integro fere triennio posterior est ea, quam Johannes narravit. Admiranda autem res est, quod tanta multitudo avaritiæ suæ artibus intenta, & negotiandi in templo privilegium a Sacerdotibus & Pontificibus adepta, unius Christi verbis & verberibus se cum omni turpis sui lucri apparatu

templo ejici passa fuerit, nec Christo, quem pro mero eoque nullius publicæ autoritatis homine habuit, per vim se opposuerit, aut tumultum contra ipsum excitaverit. Equidem Johannes Seldenus *libr. 4. de jur. nat. & gent. c. 5.* existimat, Christum ex jure Zeli apud Judæos tum usitato talem processum instituisse, ideoque mirum non esse, quod flagellanti nemo restiterit, cum ex jure isto tale quid facere cuilibet apud Judæos etiam privato concessum fuerit. Verum hanc Seldeni sententiam Saldenus *in otiis theologicis libr. 4. exercit. 1. de jure Zelotarum* non immerito improbat. Etsi enim Christus ex singulari Zelo factum illud susceperit, ideoque Evangelista memoret, Discipulos ejus verborum psalmi Davidici recordatos fuisse: *Zelus domus tua comedit me* Psalm. LXIX, 11. inferri tamen inde non potest, quod Christus ex recepto apud Judæos Zeli judicio *venditores* boum aliorumque animalium templo ejecerit, & verbis increpantibus flagelli verbera addiderit. Licuit nimirum apud Judæos privatos ex Zelotarum jure eos, quos in atroci delicto contra sanctitatem Dei, vel templi & religionis suæ deprehenderent, verberibus coercere, & nisi desisterent plane occidere. Verum hoc Zeli judicium nulla lege divina nititur. Unde & ipsi Hebræi hoc Zeli jus non ex lege scripta, sed orali Mosis traditione arcessunt. Præterea sub hujus juris prætextu multa a Judæis iniquissima patrata sunt. Certe lapidatio Stephani & conjuratio Judæorum plus quam quadraginta contra Paulum, quæ facta Hugo Grotius *libr. 2. de jure belli & pacis c. 20.* ex jure Zeli derivanda esse censet, summæ potius injuriæ, quam juris

ris nomen meretur, & Josephus a Zelotis tot & tanta scelera commissa refert, ut supremum urbi & templo & populo excidium inde attractum fuerit. Neque juri huic tuendo inservire potest exemplum Phineæ Sacerdotis, qui Principem Israeliticum in stuprationis actu deprehensum una cum scorto suo Midianitico ἐπαυτοφώρῳ interfecit Num. XXV, 8. Nam ex singulari facto jus commune perperam deducitur, ut observat Hoornbeckius *in Theol. pract. tom. 2. pag. 124.* ubi etiam recte monet, nihil attinere, ut Christi factum ex jure Zelotarum, quod nulla divina lege nititur, arcessamus. Excipiet forte Seldenus, nihil facilius fuisse, quam adversus Christum pro privato habitum Scribas & Sacerdotes statim egisse de vi publica, nisi id, quod Christus fecisset, ex jure patrio fieri fas fuisset. Verum respondemus divinam Christi virtutem obstitisse, quo minus Scribis & Sacerdotibus hac vice facile fuerit, de vi publica adversus Christum agere. Sane miraculi instar fuit Christi factum. Imo Hieronymo in cap. 21. Matthæi inter signa, quæ Christus fecit, hoc omnium maximum videtur, quod unus homo, & illo tempore contemtibilis, videntibus Pharisæis, & lucra sua destrui ægre ferentibus, potuerit ad unius flagelli verbera tantam templo ejicere multitudinem, mensasque & cathedras eorum, qui sacram ædem mercatu suo profanabant, subvertere. Unde suspicatur, igneum quoddam & sidereum ex oculis ejus radiasse, & divinitatis majestatem in ejus facie luxisse. Veruntamen opus non est, ut tacentibus Evangelistis igneum quoddam & sidereum ex ejus oculis & facie promicuisse dicamus. Suf-

ficit Christum divina sua virtute facile efficere potuisse, ne quisquam illo, quo templum repurgabat, tempore manum in illum injiceret.

XLI. Cum vero hæc templi repurgatio, & alia signa, quæ Christus tum Hierosolymis in paschali festo edebat, neminem latere possent, magni hujus Prophetæ fama excitatus Nicodemus Pharisæorum Princeps Christum accessit, ut viam salutis ab ipso disceret, idque noctu, ne Collegarum odium in se derivaret. Jesus igitur hunc Israelis Magistrum de mysterio regenerationis per baptismum, quod Dei consilium alias Pharisæi aspernari solebant, & de opere humanæ redemtionis fideliter informavit Joh. III, 1. seqq. Nec informatio illa omni fructu caruit. Hic enim Nicodemus postea Christum inauditum a Synedrio damnari non permittebat Joh. VII, 50. Et cum post mortem Christi ceteri ejus Discipuli aufugissent, Nicodemus una cum Josepho Arimathæo honestam sepulturam ei procurabat Joh. XIX, 39. Memorant aliquem Nicodemum etiam Judæi in Talmude & aliis scriptis, quem Josephi Gorionis fratrem, & valde divitem fuisse referunt. Sit ne Nicodemus ille idem cum eo, cujus *nocturnum* cum Christo colloquium Johannes descripsit, expendit Jacobus Altingius *in Schilo libr. 4. c. 23. & 24.* ubi omnia fere, quæ de suo Nicodemo Hebræi tradunt, ad nostrum Nicodemum applicare nititur.

XLII. Aliquandiu in Judæa moratus Jesus, cum Galilæam repeteret, & per Samariam iter faceret, memorabile cum fœmina quadam Samaritide colloquium instituit Joh. IV, 1. seqq. Græci hanc fœminam Samarita-

ritanam Photinam nominant, de qua videatur Bollandus *in Actis Sanctorum d. 20. Martii p. 80. & Tom. I. Maji. p. 211.* Magnas vocat, quas Græci de Photina narrant, historias Tillemontius *Tom. I. memor. eccles. p. 458.* sed addit, magnas illas historias magnis difficultatibus obnoxias, & præterea magnis fabulis oppletas esse.

XLIII. Galilæam ingressus Christus evangelium de regno cælorum primum in urbe Nazareth prædicavit, sed ab ingratis incolis ejectus in urbem maritimam Capernaum se contulit, ac deinde universam Galilæam obambulavit, donec in prædictam urbem reverteretur. Ubique autem doctrinam suam variis miraculis obsignavit, & inter alia hominem a Dæmone obsessum in Synagoga Capernaitica potenter liberavit, quam historiam describit Marcus I, 23. & Lucas IV, 33. Cujusmodi miraculum Christus etiam apud Gergesenos in duobus obsessis edidit, permissa Dæmonibus potestate in gregem porcorum irruendi, eumque in mare præcipitandi, ut refert Matthæus VIII, 28. sequ. Marc. V, 1. Luc. VIII, 27. etsi Marcus & Lucas unius tantum obsessi mentionem faciant, forte quia unus tantum ex illis Christum sequi desideraverit, quem tamen Christus cum pace dimisit. Equidem Hobbesius, & fascinati mundi autor Beckerus, & alii statuunt, obsessos, quorum evangelica historia meminit, non fuisse revera a malis Dæmonibus obsessos, sed tantum phrenesi, melancholia, epilepsia aliisque hujusmodi morbis laborasse. Verum quam absurda & sanctis Scriptoribus adversa sit hæc sententia, prolixe ostendit Johannes Marckius in

exercitationibus textualibus *exercit. 29.* qua communis Christianorum fides vindicatur, & Dæmoniacos, in quibus curandis Christi & Apostolorum benignitas exercita est, vere ab infernalibus Spiritibus fuisse obsessos, solide demonstratur. Scrupulus autem hic nascitur, quomodo Diabolus, qui in deserto Christum, an Filius Dei esset, tentavit, ipsique dixit: *si es Filius Dei, jube ut hi lapides panes fiant*, Matth. IV, 3. in obsesso Capernaitico ad Christum dicere potuerit: *scio quis sis, nempe Sanctus Dei*; qualem confessionem Dæmones etiam in aliis obsessis ediderunt, unde Lucas refert c. IV, 41. Diabolos Christo imperante ex obsessis egressos clamasse: *tu es Christus Filius Dei*; Christum autem silentium ipsis imperasse, nec illis permisisse, ut quis esset propalarent, etsi ipsum Christum esse probe gnari essent. Et Ignatius quidem, seu potius Pseudo-Ignatius in *epistola* ad Philippenses, quam spuriam esse constat, de ignorantia Diaboli in rebus ad Christum attinentibus multa disserit, & Nicolaus Vedelius in appendice notarum criticarum ad epistolas Ignatii pro defensione hujus Ignatiastri statuit, Diabolos, etsi aliqua de Christo ex revelatione divina, nec non ex signis & effectis cognoverint, nihilominus tamen ignorantiam istarum rerum illis tribui posse, 1. quia non recte & perfecte, sed dubitanter illa norunt, 2. quia non a priori norunt, 3 quia mysteria rerum ignorant, 4. quia vero fine scientiæ destituuntur, 5. quia hæc scientia felicitatem illis non acquirit, & 6. quia hæretici, in quibus Diabolus inhabitavit, veram Christi notitiam non habuerunt. Verum Usserius *in proleg. om. ad epist. Ignat. c. 12.* Pseudo-

do-Ignatium in exaggeranda Dæmonum ignorantia modum excessisse, nec Vedelii limitationibus excusari posse contendit. In qua disputatione Usserius affirmat, saltem post baptismum Christi & vocem cœlitus delapsam sine omni dubitatione Christum a Diabolo pro Filio Dei habitum fuisse, ideoque verba Diaboli Christum tentantis & dicentis: *si es Filius Dei*, non dubitationem Diaboli, sed vel desperatam ejus impudentiam, vel serpentinam calliditatem prodere, dum Christum neque Filium Dei fateri voluerit, neque negare ausus fuerit. Nos non inficiamur, Vedelii distinctiones ad defendendum Pseudo-Ignatium, cui illæ in mentem non venerant, parum facere. Neque tamen cum Usserio statuendum arbitramur, quod Diabolorum notitia de Christi in terra versantis Persona & officio post ejus baptismum non conjecturalis, sed certa, nec fluxa, sed constans & stabilis fuerit. Multo minus Origenis sententiam probamus, Christum tantum Diabolis minus malitiosis cognitum, nequioribus autem Diabolis incognitum fuisse tradentis. Rectius Hilarius in Matthæum per humilia, quæ Christus passus est, quod de ejus Deitate suspicatus fuerat Diabolus, in dubium venisse, quemadmodum etiam Augustinus *libr. 9. de civitate Dei c.* 21. asserit, dubitasse de Christo Dæmonum Principem, quando signa & effecta Deitatis paululum supprimenda judicavit, & aliquantum altius ejus divinitas latuit. Conferatur Gerhardus *disput. Isagog. 14. thes. 18.* Dorscheus *ad 1. Marc. p. 31.* ubi Diabolum nonnunquam Christum plane ignorasse, ejusque scientiam de Christo, qui eam in potestate habuit, in cancellos redigi potu-

potuisse observat, Calovius *Tom. 4. system. p. 425.* ubi notat, eos etiam, qui certo aliquid norunt, malitia & desperatione ad insaniam & vertiginem redigi posse, & recte autorem Ignatianæ ad Philippenses epistolæ dicere, quod Diabolus ob voluntariam dementiam ignorantia oppletus fuerit, perperam autem Mæstræum in notis ad epistolas Ignatii asserere, quod Dæmones nunquam opera Christi tanquam a vero Dei Filio patrata cognoverint, cum id historiæ evangelicæ refragetur.

XLIV. Prolixa concio, quam Christus in monte quodam Galilææ circa illud tempus habuit, describitur a Matthæo c. V. VI. & VII. Memoriæ autem meæ hoc loco succurrit morosum Medici Britanni Thomæ Linacri de hac Christi concione judicium. Cum enim hic Linacer in senectute sua animum suum ad legendos Novi Testamenti libros applicaret, quos *hactenus* nondum perlustraverat, accidit, ut, postquam hanc Christi concionem perlegit, sacrum codicem cum magna animi impatientia manibus suis iterum excuteret, & juraret; *aut hoc non est verum evangelium, aut nos non sumus veri Christiani*, ut referunt Johannes Checus, & ex eo Johannes Baleus in Scriptoribus *Britannicis centur. 8. p. 650.* Minime autem in viro hoc alias docto & celebri probandum est, quod demum ætate provecta, cum studiis viribusque fractus & morti vicinus esset, sacris libris legendis aliquid temporis impendit, cum interim tot profanos Scriptores nocturna diurnaque manu versasset. Quod Medico huic tanto minus decorum fuit, cum non solum Medici, sed etiam Sacerdotis partes ageret. Et hunc Scripturæ contem-

ptum

ptum Linacer forte a Præceptore ſuo Angelo Politiano in Italia didicit. Is enim rogatus, an Biblia legiſſet? reſpondit, ſemel ea ſe legiſſe ſed nullius temporis magis eum pœnitere, quam quod in libro hoc legendo collocaſſet. Præterea in Linacro non probandum, quod ſacrum Novi Teſtamenti codicem, cum priora Matthæi capita percurriſſet, & Chriſtianorum vitam cum regulis Chriſti ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ male congruere animadvertiſſet, ſtatim abjecit, nec ulterius de illo perlegendo cogitavit. Dolendum quidem eſt, multos, qui ſe Chriſti diſcipulos eſſe jactant, Chriſti diſciplinæ ſe ſubjicere, at ipſam Chriſti doctrinam abjicere, aut de ejus veritate dubitare non debemus. Sed hæc obiter.

XLV. Poſtquam Chriſtus in Galilæa evangelium prædicavit, filium cujusdam Aulici, & Petri ſocrum a febre liberavit, obvium ſibi leproſum mundavit, paralyticum Centurionis Capernaitici ſervum ſanitati reſtituit, & alia ſigna edidit, occaſione feſti paſchalis Hieroſolymam repetiit, ibique ægrotum a morbo, cum quo per annos octo & triginta conflictatus fuerat, ad piſcinam Bethesda liberavit, ut refert Johannns V, 1. ſeqv. Ægrotum hunc paralyticum fuiſſe ſtatuit Thomas Bartholinus in tractatu de paralyticis Novi Teſtamenti, in quo trium imprimis paralyticorum a Chriſto ſanatorum hiſtoria ex Philologia & Medicina explicatur, nempe ſervi paralytici, de quo Matthæus VIII, 5. & Lucas VII, 2. agunt, & quem Bartholinus non Centurionis Capernaitici ſervum, ſed filium fuiſſe, invita, ut puto, veritate probare nititur, & paralytici illius, quem

in lecto jacentem quatuor lecticarii, cum ob turbæ concursum ab ingressu januæ excluderentur, tecto conscenso & tegulis diffractis ad Christi pedes curandum demiserunt, ut referunt Matthæus IX, 1. seq. Marcus II, 1. & Lucas V, 18, & primo statim loco paralytici illius ad piscinam Bethesda per Christi verbum a diuturno morbo liberati. In qua historia explicanda Vir doctissimus per Angelum, qui statis vicibus piscinam illam agitavit, vel virtutem aliquam Dei, vel æternum Angelum, vel venti æmulum spiritum intelligit, & hominum per aquas illas sanationem, neque victimis in hac piscina ablutis, neque ligno crucis Christi, quod Genebrardus in fundo piscinæ latuisse fingit, sed causæ occultæ a natura tamen non alienæ ascribendam censet, cum & alii fontes non raro mirabiles effectus dare soleant, quam sententiam suo loco jam relinquimus, etsi nobis verisimilius videatur, aquas illas ab Angelo agitatas supernaturalem sanandi virtutem accepisse.

XLVI. Cæterum, cum illa ægroti sanatio die sabbathi facta fuerit, Christo cum Judæis de sabbatho violato ipsum accusantibus disceptandum fuit, cujusmodi disceptatio toties fere repetenda fuit, quoties in sabbatho ægrotum aliquem sanitati restitueret. Eadem lis violati sabbathi ipsi intentata fuit, cum Discipuli ejus urgente fame die sabbathi spicas evellerent, & evulsas manibus confricarent, unde nova doctrinam de sabbatho explicandi occasio ipsi subministrata fuit. Cum autem Judæorum malitia eo usque proveheretur, ut Herodianis sibi adjunctis vitæ ipsius insidias struerent, in maritima loca secessit magna turba ipsum comi-

micante,quam inter non pauci variis morborum generibus afflicti opiferam ejus manum desiderabant, quos omnes voti sui compotes reddidit Matth. XII,14. Marc. III,6.

XLVII. Quæ hactenus memoravimus Christi acta partim ab uno, partim a pluribus Evangelistis memorata sunt. Et sic etiam reliqua Christi gesta vel ab uno, vel a duobus aut tribus, vel ab omnibus Evangelistis referuntur. Ab omnibus Evangelistis refertur miraculosa quinquies mille hominum cibatio, qui quinque panibus & duobus pisciculis ita satiati sunt,ut duodecim cophini fragmentorum reliquiis implerentur. Cujusmodi miraculosam multiplicationem etiam in ligno crucis Dominicæ contigisse Gretserus & alii Papistæ fabulantur,cum videant, tot crucis Dominicæ reliquias passim ostendi, ut vel centum cruces inde formari possint. Nec minus fabulam redolet, quod Ciampinus *de sacris Constantini M. ædificiis c. 15.* refert, nempe ecclesiam Laurentii, quæ *panis Pernæ* dicitur, hinc nomen suum accepisse, quod illo tempore,quo hæc ecclesia a Longobardis devastata instaurari debebat, urbs Roma magna panis penuria laboraverit, ideoque cæmentarii se cœptum opus relicturos minitati fuerint, nisi illis de pane prospiceretur, tandem vero in furno pauperculæ mulieris nomine Pernæ panis inventus fuerit, qui unus omnibus operariis per aliquot dies alendis suffecit.

XLVIII. Non minus ab omnibus Evangelistis refertur Christi asinæ & pullo asinæ inæquitantis ingressus in urbem Hierosolymitanam a Zacharia prædictus,

& paucis ante Christi mortem diebus impletus, quo tempore Christo a populo comitante acclamatum fuit: *benedictus, qui venit in nomine Domini.* Quæ verba ad Timotheum Ælurum Episcopum Alexandrinum pessimæ notæ pessime applicata sunt, cum Constantinopolin venit, ibique quasi triumphantis pompa exceptus est, fautoribus ejus verba soli Christo debita ipsi acclamantibus: *benedictus, qui venit in nomine Domini*, quod a Zenone Imperatore permissum fuisse indignatur Papa Simplicius in epistola ad Zenonem. De ultimo Christi paschate, quod cum acerbissima ejus passione itidem ab omnibus Evangelistis memoratur, inferius dicemus.

XLIX. Inter ea, quæ a tribus Evangelistis nempe Matthæo, Marco, & Luca memorantur, occurrunt historia tempestatis a Christo sedatæ, & imperati ventis & fluctibus silentii; historia sanati paralytici, & Pharisæorum Christum peccata paralytico remittentem blasphemiæ arguentium redargutio; historia puellæ a somno mortis excitatæ; sanatio hæmorrohusæ, quæ an grati animi testandi causa Christo statuam posuerit, supra disquisitum fuit; hominis arida manu laborantis restitutio; parabola de semine ejusque ad Dei verbum & varios ejus auditores applicatio; transfiguratio Christi in monte quodam excelso, qui vulgo Thabor esse creditur, etsi id in liquido non esse Witsius in suo de glorificatione Christi meletemate observet, & Lightfootus hanc Christi glorificationem in alio quodam monte a Cæsarea Philippi non adeo remoto contigisse suspicetur; sanatio hominis lunatici; Discipulorum de primatu con-

contentio, eorundemque amica per Christum correptio; historia infantum Christo oblatorum; parabola de impiis vinitoribus servos & postremo etiam filium Heri sui male excipientibus; quæstio de censu Cæsari dando a Pharisæis insidiose proposita, & a Christo sapienter decisa; Sadducæorum objectio contra resurrectionem mortuorum, cum eorundem confusione & aliorum applausu a Christo soluta; Pharisæorum de persona Christi examen ab ipso Christo institutum; prædictio excidii Hierosolymitani, & novissimorum a Christo facta, & quædam alia. Quorsum etiam pertinet historia Christi in mari ambulantis, & ab Apostolis pro spectro habiti, quæ a Matthæo, Marco & Johanne memoratur.

L. Inter ea, quæ a duobus Evangelistis referuntur, occurrunt apud Matthæum & Marcum Johannis Baptistæ facta in carcere decollatio; Christi cum Pharisæis de traditionibus disceptatio; historia de filia mulieris Cananææ a Dæmone obsessa, & per Christum potenter liberata; miraculum Christi quatuor millia hominum septem panibus, & exiguo pisciculorum apparatu ita cibantis, ut & omnes saturati fuerint, & totidem fragmentorum cophini, quot panes distributi fuerant, servari potuerint; Christi cum Pharisæis de divortiorum jure disputatio; historia de ambitiosa Johannis & Jacobi filiorum Zebedæi petitione ejusque repulsa; historia de ficu a Christo famelico fructus in ea quærente, sed præter folia nihil inveniente, maledicta & statim arefacta, de qua peculiares Sebastiani Schmidii, Hermanni Witsii, & Johannnis Henrici Heideggeri dissertationes extant. Apud Matthæum & Lucam legitur legatio Johan-

hannis Baptistæ ex carcere ad Christum; historia de servo Centurionis Capernaitici paralytico, & quædam alia. Apud Marcum & Lucam legitur responsum Christi Johanni Apostolo datum, cum narraret aliquem in ipsius nomine Dæmonia ejecisse, quod ipsi ab Apostolis non prohibendum esse Christus respondebat; item Christi judicium de vidua, quam obolum vel duo minuta gazophylacio injecisse viderat.

LI. Solus Matthæus consignavit parabolam de Zizaniis inter triticum enatis, quam in dissertatione sua inaugurali illustrat D. Balthasar Bebelius. Eidem debemus historiam de didrachmis a Christo & Petro solutis, cui illustrandæ D. Sebastianus Schmidius peculiarem dissertationem impendit. Idem Matthæus exhibet parabolam Christi de Rege a servis suis rationes exigente, & uni decies mille talenta condonante, qui tamen postea a conservo suo debitore centum denarios morosissime & implacabiliter exegit, & hac erga conservum asperitate acceptæ a Rege suo gratiæ jacturam fecit, ad perpetuum carcerem damnatus; item parabolam de operariis in vinea, quorum singuli, etsi diversis horis a Patrefamilias conducti, vesperi mercedis loco denarium acceperunt, de quo denario vespertino D. Johannis Georgii Dorschei dissertatio extat. In eodem Matthæi evangelio parabola de Rege filio suo nuptias faciente, parabola de decem virginibus, processus judicii extremi, & quædam alia leguntur a reliquis Evangelistis prætermissa.

LII. Historiam surdi & μογιλάλυ, quem Christus & audientem & recte loquentem reddidit, ut & histo-

ſtoriam coeci in Bethſaida, cui Chriſtus ſputo ſuo oculis illito, & manu impoſita viſum reſtituit, ſolus Marcus in ſuo evangelio narravit. Plura apud ſolum Lucam legi poſſunt, ut ejectio Chriſti ex urbe Nazareth; hiſtoria de unico Viduæ Nainiticæ filio a mortuis excitato, quem nonnulli ſequioris ævi Scriptores Maternum vocant, & unum ex 70. Diſcipulis, ac poſtea Germanorum Apoſtolum fuiſſe fabulantur, qua de re Browerus *antiquitat. Trevirenſ. libr. 2. p. 167.* videri poterit; hiſtoria de magna quadam peccatrice, a qua Chriſtus apud Simonem Phariſæum diſcumbens pedes ſuos lacrymis rigari, crinibus capitis extergi, oſculis excipi, & unguento illini permiſit, quam mulierem hactenus quidem notoriis flagitiis famoſam, tunc tamen converſam & juſtificatam, ideoque a Chriſto adverſus hoſpitis ſui Phariſæi murmura defenſam in breviario Romano, aliisque aliarum eccleſiarum officiis eccleſiaſticis, nec non in decreto Theologorum Pariſienſium, quod A. C. 1521. d. 9. Novembris datum eſt, cum Maria Magdalena, nec non cum Maria Lazari & Marthæ ſorore perperam confundi, non pauci ex recentioribus Pontificiis, & in his etiam Sorboniſtæ quidam agnoverunt, ut alibi jam notavimus; Johannis & Jacobi in vici cujusdam Samaritani incolas Chriſto hoſpitium denegantes immoderatus, & usque ad ignem cœlitus demittendum exardens Zelus a Chriſto amica caſtigatione repreſſus; hiſtoria de electione & miſſione ſeptuaginta Diſcipulorum; parabola de Judæo a latronibus graviſſime vulnerato, & Samaritani cujusdam ope curato, qua Chriſtus Legisperitum etiam hoſtes diligendos eſſe docuit; Chriſti de duabus ſorori-

ribus Martha & Maria judicium; narratio de Christi discipulis orandi modum a Magistro suo discere cupientibus,& præscripta a Christo orationis formula,jam antea etiam alio tempore ab ipso tradita,& septem petitionibus, quarum sensum Lutherus in catechismo nostro, & cantione ecclesiastica Vater unser im Himmelreich / egregie explicat, constante; historia Pharisæi mirantis, quod Christus ad convivium ab ipso invitatatus illotis manibus mensæ accubuisset, & Christi hypocrisin Pharisæorum & Legisperitorum graviter objurgantis; dehortatio Christi ab avaritia,& directa ad illum scopum parabola de divite ex opibus collectis magnas delicias in longum tempus stolide (stultitiam enim patiuntur opes) sibi promittente, nec cogitante, suavia ista de aureis felicitatis suæ montibus somnia proxima nocte repentinæ mortis interventu dissipatum *iri*; tristis quorundam relatio de horrenda Galilæorum cæde, quorum sanguinem Pilatus cum sanguine victimarum ab ipsis oblatarum miscuerat,quæ relatio Christo occasionem insignis concionis metanoeticæ subministravit; historia mulieris per octodecim annos a *Satana* terram versus ita curvatæ, ut erectos ad sidera tollere vultus haud valeret, & a Christo, etsi ringente Archisynagogo, die sabbathi curatæ; historia hydropici a Christo, apud aliquem Pharisæorum Principem convivante sanati,& mensalia in illo convivio Christi colloquia, tam convivales aliquas regulas, quam insignem parabolam de magna cœna proponentis; parabola de filio perdito; parabola de Oeconomo,qui cum bona Domini sui pessime administrasset, & remotionem suam ab officio

subo-

ſuboleret,mature ſibi proſpexit,& debitorum ſui Domini,remiſſa illis aliqua debitorum parte, amicitiam ſibi conciliavit,ut poſt ſuam depoſitionem in eorum domos reciperetur , qua parabola Chriſtus diſcipulos ſuos, nempe non tam Apoſtolos,quam novellos quosdam ſectatores,& in his præcipue Publicanos & peccatores, qui injuſtas opes collegerant,admonere voluit,ut a filiis hujus ſeculi prudentiam diſcerent,& ex bonis injuſte partis & adminiſtratis Apoſtolos aliosque indigentes amicos ſibi pararent, quorum informatione, precibus, aliisque beneficiis ad æterna eccleſiæ militantis & triumphantis tabernacula promoveri poſſent, (*conf. Schönlandii* Unterſuchung der von *Trillern edirten* Unterſuchung etlicher Oerter N. T. *p. 13. & ſequentibus, ubi varias Trilleri ineptias, abſurditates, & calumnias a Trillero in hujus parabolæ interpretatione commiſſas prolixe refutat*;) parabola de divite epulone, & paupere Lazaro,ſeu *Lazaro ante portas*, quo titulo erudita celeberrimi Wedelii exercitatio inſcribitur *cent. 2. dec. 2. exercit. 2.* quam parabolam nonnulli ita interpretantur, ac ſi per epulonem intelligantur Judæi purpura ſacrificiorum & byſſo propriæ juſtitiæ ſuperbientes, & ex imaginaria perſuaſione templi ſui æternum duraturi quotidie delicíantes, qui poſtea cum Synagoga judaica honeſte ſepulta eſſet, in tenebras ejiciebantur, & in omnes terræ partes diſpergebantur, in qua miſeria non parum ipſorum dolor augetur, quod gentiles in Abrahami ſinu ſuaviter recumbere videant, & quod ab Abrahamo ſuo neque pro ſe, neque pro 5. fratribus ſuis h. e. quinque ſuis ſectis, vel etiam quinque regnis An-

tichristo Romano subjectis quicquam solatii capiant, per Lazarum autem gentiles, qui extra portas ecclesiæ jacebant, & ne micis quidem ex Judæorum mensa frui poterant, nec ullum miseriæ suæ levamen habebant, nisi quod canes h. e. Apostoli evangelium prædicantes ulcera ipsorum lingua sua sanarunt, seu juxta alios gentiles Philosophi suis discursibus ex humana ratione depromtis ulcera ipsorum non tam sanarunt, quam linxerunt, donec tandem beata catastrophe sequeretur, & rejectis Judæis gentiles in Abrahami & ecclesiæ sinum reciperentur, qua ratione admodum coacta, nisi fallor, Deusingius in mystica expositione hujus parabolæ, & Lomeierus in *observationibus ad c. 16. Lucæ* hanc Christi de epulone divite & paupere Lazaro narrationem obscurant potius, quam clariorem reddunt; historia de decem leprosis a Christo sanatis, *quos Gulielmus Aderus in enarratione ægrotorum N T. enarrat. I.* in campo Sabæ, loco ob vicinitatem maris & montium hominibus lepra infestandis, ut ipse hariolatur, oportuno Christo occurrisse putat; parabola de iniquo judice, qui viduam ab adversario oppressam diu audire noluit, donec tandem continuis ejus precibus, ut hac molestia se liberaret, fatigatus aures illi præberet, ubi per iniquum judicem Pilatum, & per viduam Synagogam judaicam intelligi, quæ importunis clamoribus tandem Christi crucifixionem a Pilato obtinuit Theophili Antiocheni in allegorica 4. Evangeliorum expositione est sententia, sed nimis longe petita, & ordini temporis minus congrua; parabola de Pharisæo & Publicano dissimili eventu in templo orantibus; historia

Za-

Zachæi Publicani Chriſtum excipientis; narratio de Chriſti lacrymis prope Hieroſolymam fuſis, quibus Judæos, quippe quibus terminus ſalutis æternæ peremtorius in hac vita fixus non erat, ad pœnitentiam excitaret, ut alia a ſolo Luca relata taceamus.

LIII. Solus Johannes, cui id imprimis cordi fuit, ut ea, quæ alii Evangeliſtæ intacta reliquerant, literis conſignaret, inter alia refert Chriſti cum Judæis de pane vitæ & vero Manna colloquium, quo nonnulli ex ejus diſcipulis offenſi, ipſius magiſterio, cui hactenus adhæſerant, ſe ulterius ſubjicere noluerunt, & ex diſcipulis apoſtatæ facti ſunt; acta Chriſti in feſto tabernaculorum; hiſtoria adulteræ a Phariſæis Chriſti judicio oblatæ, & ab ipſo poſt Phariſæorum a propria conſcientia ejusdem criminis damnatorum confuſionem, cum pace dimiſſæ, quam hiſtoriam, etſi jam olim in multis græcis Novi Teſtamenti exemplaribus defuerit, & nonnulli eam ex hebraico Nazaræorum evangelio a Papia Johannis evangelio additam fuiſſe ex Euſebio male intellecto probare contendant, eam tamen authenticam eſſe, & talem jam in prima antiquitate agnitam fuiſſe Seldenus de uxore hebraica *libr. 3. c. XI.* fuſe demonſtravit; Chriſti ſermones in templo Hieroſolymitano habitos, & diſceptationem cum Judæis, quorum lapides corpore ſuo inviſibili reddito per medios hoſtes templo egrediens evaſit; hiſtoriam ſanati a Chriſto hominis a nativitate cœci, quem non viſu tantum, ſed ipſis quoque oculis deſtitutum fuiſſe Nonnus vetus ille Evangelii Johannei Paraphraſtes ſtatuit, quemadmodum & nonnulli eccleſiæ Patres Chriſtum ex ſputo ſuo

& pulvere cœci oculos formasse tradunt, qua in re magna illa ecclesiæ lumina deliquium passa fuisse, & nonnihil cœcutivisse ipsa evangelica historia, quæ Christum cœci oculis pulverem sputo suo mixtum imposuisse, ejusque oculos non formasse sed aperuisse dicit, haud obscure innuit, ut Beverovicius in epistola ad Schurmanniam, & ipsa quoque Schurmannia in responso ad Beverovicium *doct. vir. epist. & resp. pag. 4. & 8.* aliique eruditi pridem observarunt; acta Christi in encæniis Hierosolymitanis, in quibus Judæi denuo adversus ipsum lapides tollebant; historiam de Lazaro e mortuis resuscitato, quem ex ardente & maligna febri obiisse Thomas Bartholinus *de morbis biblicis sect. 21.* conjicit; oraculum Caiphæ de Jesu pro salute populi morituro, ab ipso Caipha non intellectum; narrationem de Græcis quibusdam Jesum videre desiderantibus, & voce divina cœlitus delapsa; historiam de Christo Apostolorum pedes lavante, & hoc pedilavium explicante; quæ omnia, ut & nonnulla alia a solo Johanne referuntur, cui etiam egregios illos sermones, quibus Christus in ultima cœna paschali Apostolis suis ultimum quasi vale dixit cap. 14 15. & 16. evangelii sui consignatos, ut & ardentissimam Christi orationem pro sui glorificatione & ecclesiæ conservatione, quæ c. 17. legitur, debemus.

LIV. De ultimo illo Christi paschate variæ eruditorum disputationes agitantur, & inter alia disquiritur, num Christus ultimum suum pascha eodem cum Judæis die, an alio celebraverit, & si non eodem die cum Judæis pascha celebravit, quæ diversitatis illius ratio fuerit? Longum nimis esset singularum partium sen-

ſententias & argumenta commemorare. Extant hac de re multorum integræ exercitationes, & integri tractatus. Inter alios Johannes Harduinus tractatum de ſupremo Chriſti paſchate edidit Pariſiis A. 1693. ſub cujus initium ex variis Virorum doctorum de hac controverſia ſententiis nullam legentibus plane ſatisfacere ſtatuit, minimeque omnium eam, quæ Chriſtum extremo vitæ ſuæ anno ne paſcha quidem omnino comediſſe, ſed cœnam tantum vulgarem absque agno paſchali cum diſcipulis ſuis habuiſſe, quibus verbis Harduinus M. Antonii de Dominis, & Hugonis Grotii ſententiam perſtringit, quorum ille *libr. 5. de repub. eccleſ. c. 6. theſ. 259. ſeq.* cum quinque opiniones recenſuiſſet, omnes illas rejicit, & tandem paſcha quidem juſſu Chriſti a diſcipulis præparatum, ſed neque a Chriſto, neque a diſcipulis comeſtum putat; hic vero *in annot. ad Matth. XXVI, 18.* inter paſcha θύσιμον & μνημονευτικὸν diſtinguit, & Chriſtum ante tempus legitimum paſchale cruci affixum paſcha non θύσιμον, ſed tantum μνημονευτικὸν cum diſcipulis ſuis celebrare potuiſſe opinatur. Harduinus autem ſtatuit, in ea hebdomade, qua Chriſtus paſſus eſt, diem 14. menſis Niſan juxta Galilæos ſeu Iſraelitas in feriam quintam ſeu Jovis incidiſſe, eaque die Sacerdotes in templo pro Galilæis paſcha immolaſſe, eademque die Apoſtolos, quibus id a Chriſto mandatum fuerat, paſcha paraſſe, & e templo victimam agni paſchalis & fortaſſe ſimul aliquam holocauſti partem attuliſſe, & veſpera illius diei facta, cum jam feria ſexta, & juxta Galilæos dies 15. menſis Niſan inciperet, Chriſtum cum Apoſtolis paſcha manducaſſe, Judæos autem

ejusdem hebdomadis feria sexta seu die Veneris diem 14. mensis Nisan numerasse, eoque die circa horam 9. seu tertiam pomeridianam, qua Christus Spiritum suum Patri reddidit, Sacerdotes pro Judæis in templo Phase immolasse. Et hanc diversitatem Judæos inter & Galilæos inde natam arbitratur, quod ob populi confluentis multitudinem una dies mactandis & immolandis agnis non sufficeret, ideoque conventum fuerit, ut uno die pro Judæis, & alio pro Galilæis agni mactarentur. Quam sententiam ex eo confirmat, quod ex Lucæ XIII, 1. probari posse videatur, sacrificia pro Galilæis seorsim fieri solita fuisse. Ac ne vel Galilæi vel Judæi ratione temporis contra legem impingerent, dies mensis Nisan aliter a Judæis, aliter a Galilæis diverso Neomeniæ initio posito numeratos fuisse. Quod autem *in illa hebdomade*, qua Christus passus est, prius *pro Galilæis* quam pro Judæis agni paschales mactati fuerint, ex regula *Badu* arcessit, juxta quam Israelitas primo loco pascha percepisse scribit, quotiescunque dies paschæ seu dies 15. mensis Nisan in feriam 2. 4. vel 6. hebdomadis incideret. Et hanc regulam ab *ipso Deo* institutam, & Christi temporibus usitatam fuisse probare nititur. Num vero hæc Harduini sententia legentibus melius satisfactura sit, quam aliorum ipsi satisfecit, valde dubito.

LV. Plura de ultimo Christi paschate videantur apud interpretes Evangelistarum, & autores, qui de passione Christi egerunt, quos inter Bynæus *libr. 1. de morte Christi c. 1.* eorum sententiis, qui Christum alio die quam cæteros Judæos aut saltem plerosque cæterorum

Ju-

Judæorum paſcha comediſſe ſtatuunt, ejusque diverſitatis cauſam ex variis rationibus deducunt, relatis & rejectis probare nititur, quod Chriſtus ultimum ſuum paſcha eodem die eademque hora cum omnibus Judæis celebraverit, quam ſententiam etiam tuentur Friſchmuth in diſſertatione, an Servator eodem die cum Judæis paſcha celebraverit? Bochartus in Hierozoico, Ligthfootus in horis Talmudicis, Burmannus in diſputationibus duabus de tempore ultimi Chriſti paſchatis ϛαυρωσίμυ, aliique. Nec deſunt, qui Chriſtum & Judæos eodem quidem die, ſed non eodem diei tempore paſcha manducaſſe ſtatuunt, ut Hoornbeckius *in diſſert. de cœna vet. ſect. 2. §. 2.* & Ferrandus in ſuis animadverſionibus ad religionem chriſtianam, cujus hypotheſes ad examen vocat, & ſolido fundamento deſtitui probat Witſius *in diſſertatione, an Chriſtus eodem quidem cum Judæis die, ſed non eadem diei parte paſcha ſuum ultimum manducaverit?* quæ diſſertatio inter meletemata ejus Leidenſia legitur. Ludovicus Capellus, cujus amicæ cum Cloppenburgio de ſupremo Chriſti paſchate collationes extant, ſtatuit, Chriſtum quidem d. 14. menſis Niſan, & Judæos ſequenti demum die agnum paſchalem manducaſſe, Judæos tamen non minus quam Chriſtum ἐννόμως & legaliter paſcha celebraſſe, cum lex non definiat, num neomenia ſit a συνόδῳ luminarium, an a Φάσει Lunæ inchoanda, ideoque neque Chriſtus contra legem peccaverit, qui ad σύνοδον reſpiciens die 14. menſis Niſan paſcha celebravit, neque Judæos, qui ad Φάσιν attendentes paſcha ſuum die 15. menſis Niſan egerunt, in quo εὑρήματι etſi ingenioſo ſoli-

ſolidam tamen ἀπόδειξιν deſiderat Heideggerus in diſſertatione de paſchate Chriſti emortuali *Tom. I. diſſert. ſelect. diſſ. 6.* ubi quidem & ipſe cum Capello Chriſtum & Judæos non uno die paſcha ſuum celebraſſe opinatur, rationem tamen diverſitatis non ex diverſa neomenias computatione, ſed inde potius arceſſit, quod Judæi ex Synedrii decreto illo anno ferias paſchales, quia in diem Veneris inciderant, in diem ſabbathi transtulerint, & hac translatione compendium quaſi feſtorum fecerint, quam ſententiam & plures alii eruditorum fovent. Etſi vero tam illorum ſententia, qui Chriſtum uno cum Judæis tempore paſcha manducaſſe putant, quam eorum, qui Judæos illo anno, vel ob vitandum duorum feſtorum concurſum, vel ob alias cauſas in ſequentem diem diſtuliſſe cenſent, magnis difficultatibus prematur, prior quidem ſi loca quædam in *evangelio* Johannis expendamus, poſterior autem ſi narrationem Matthæi, Marci & Lucæ attendamus, non deſunt tamen viris doctis ex utraque parte, quæ ad objectiones ſibi factas reſpondeant. Utra autem ſententia alteri præferenda ſit, libero cujusque judicio relinquo. Et Joſephus quidem Scaliger cum prius ſtatuiſſet, Chriſtum eadem hora qua Judæos paſcha celebraſſe, poſtea *libr. 6. de emendatione temporum p. 567. editionis poſterioris* illam ſententiam retractat, & ſe cum multis millibus hominum erraſſe dicit. Alii vero priorem Scaligeri ſententiam longe gravioribus argumentis niti, & ſolidiſſimis rationibus adſtrui poſſe opinantur.

LVI. Ultimum Chriſti paſcha, & ſacræ euchariſtiæ inſtitutionem excepit acerbiſſima ejus paſſio, de

qua

qua præter interpretes evangeliorum videri possunt Sagittarius in harmonia passionis; Henricus Müllerus in septem dissertationibus philologicis dubia passionalia 65. complexis, quas in Academia Rostochiensi A. C. 1661. proposuit, & in Jesu patiente, seu centuria notarum Theologico-Historico-Criticarum, in quibus dubia illa passionalia nonnihil mutata & aucta repetuntur; Lœberus in explicatione passionali, seu historia passionis Christi ex 4. evangeliis harmonice disposita in articulos 45. divisa & notis illustrata; Antonius Bynæus in libris de morte Christi; Hermannus Versteeg in tractatu de passione Christi ex Matthæi c. 26. & 27. Lydius in sparsione florum ad historiam passionis Christi; Drexelius in Christo patiente; Scribanius in Christo patiente, & plures alii. Nonnullis etiam certas passionis Dominicæ partes illustrare libuit, quorsum referri possunt Clozii tractatus de sudore Christi sanguineo; Quenstedii dissertatio de deprecatione calicis Christi; Wedelii exercitatio de agonia Christi; Wandalini tractatus de feria passionis Dominicæ, & triduo mortis Christi; Stephani Morini tractatus de horis salvificæ passionis; Francisci Wœrgeri conciliatio Marçi & Johannis circa horam crucifixionis Christi; Jacobi Gretseri libri de cruce Christi; Thomæ Bartholini quatuor hypomnemata de cruce Christi, nempe 1. de sedili medio, 2. de vino myrrhato, 3. de corona spinea, & 4. de sanguineo sudore, ejusdem Bartholini dissertatio de latere Christi aperto; Dorschei tractatus de tunica Christi inconsutili, ejusdem latro Theologus, & Theologus latro; Theophili Raynaudi metamorphosis Apostoli in latronem, & latronis in

Apoſtolum; Nicolai Fabri tractatus de myrrhata Chriſti potione; Henrici Pippingii Collegæ mei æſtimatiſſimi diſſertatio de potu puniendis ante ſupplicium, & patienti Chriſto ante crucifixionem porrecto; Niquetii hiſtoria & myſterium tituli ſanctæ crucis; Cornelii Curtii libellus de clavis Dominicis; Chifletii tractatus de linteis Chriſti ſepulchralibus, multaque alia ejus generis ſcripta, quæ omnia recenſere nimis longum foret.

LVII. Paſſionem Chriſti & ſepulturam excepit ejusdem vivificatio, & vivificati triumphalis ad inferos deſcenſus, nec non glorioſa ex mortuis reſurrectio, & ad cœlos aſcenſio, quæ ex monte oliveti facta eſt, ubi Chriſtum veſtigia ſua reliquiſſe refert Paulinus Nolanus epiſtol. ad Severum, quæ eſt in nova editione 31. & alter Paulinus, qui Petrocorius nominari ſolet, *libr. 5. de vit. Martini*, nec non Sulpitius Severus *hiſtor. ſacr. libr. 2. c. 48.* ubi narrat, cum Helena ibi templum conderet, terram nullo pavimento tegi potuiſſe, & pulverem, etſi a fidelibus quotidie diriperetur, imminutum tamen non fuiſſe, ſed terram impreſſis Domini veſtigiis ſignatam eandem ſui ſemper ſpeciem cuſtodiviſſe. Quod miraculum etiam refertur a Beda in libello de locis ſanctis *c. 7. Tom. III. Oper. p. 491.* & ab Autore, qui ad Hieronymi librum de locis Hebraicis loca ex actis apoſtolicis adjunxit *Tom. III. oper. p. 513.* ubi etiam memoratur ſummum templi ibi extructi cacumen propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi & concamerari potuiſſe, ſed tranſitum ejus a terra ad cœlum patuiſſe. Conferantur etiam de illis Domini veſtigiis & templo ibi erecto Adamannus de locis ſan-

ſanctis *libr. I. c. 23. in actis Sanctorum Benedicti ſecul. 3. part. 2. p. 509.* Quareſmius in elucidatione terræ ſanctæ *tom. 2. p. 310.* Fides ſit penes autores. Interim quam fraudulenter veſtigiis illis, quæ Chriſtus cœlum aſcendens in monte Oliveti reliquiſſe perhibetur, Monachi Palæſtini ad lucrum ſuum abuſi fuerint Breitenbachius & alii obſervarunt.

LVIII. Pilatum aliqua de Chriſto ad Imperatorem Tiberium retuliſſe dubium non eſt, cum id officii ratio exigere videretur. Falſa tamen eſt & pſeudepigrapha Pilati ad Tiberium epiſtola, quam Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymi, & alii ediderunt. Circumferebantur etiam olim acta Pilati, quorum mentionem facit paſſio Tarachi, Probi & Andronici, ſæpius latine edita, cui tandem etiam græcum textum ex MSCtis addidit Emericus Bigotius. In hac enim paſſione Præſes Maximus Andronicum interrogat, num neſciat, Chriſtum fuiſſe maleficum a Pilato crucifixum, cujus acta ſint repoſita? Hæc acta Pilati multis mendaciis & blaſphemiis referta Galerius Maximinus per Ludimagiſtros pueris inculcari voluit, ut refert Euſebius *libr. 9. hiſt. eccleſ. c. 5.* Ex iisdem actis Pilati verum diem paſſionis Dominicæ probare voluisſe Quartadecimanos Epiphanius *hæreſ. 50.* memorat. Provocat etiam ad acta Pilati Juſtinus Martyr *apol. 2.* & ex actis illis narrat, milites de alea ſuper Chriſti veſtibus luſiſſe, ex qua narratione acta illa Pilati a Juſtino allegata pſeudepigrapha fuiſſe probat Daniel Larroquanus de legione fulminatrice *p. 627.* cum luſus ille militum narratione Præſidis Pilati ad Imperatorem minus

dignus videatur. Nec alienus est ab hac sententia Possinus in epistola 3. ad Henschenium, cujus sententiam refutare nititur Schelstratenus *Tom. I. chronolog. p. 78.* ubi inter alia ad Gregorium Turonensem provocat. Verum illa quoque Pilati acta, quibus Gregorius Turonensis usus est, fictitia esse, ex fabula de *Josephi* Arimathæi incarceratione & miraculosa liberatione colligi potest. Cæterum fictitia Pilati acta in hunc usque diem servantur in evangelio Nicodemi, de quo cap. I. dictum est. Et forte ab hoc evangelio Nicodemi non differunt gesta Christi MSCta a Bollando d. 4. Febr. p. 450. memorata, & uti titulus habet a Theodosio M. in prætorio Pilati in codicibus publicis inventa, quem tractatum Bollandus eundem esse putat cum actis Pilati, nos vero eundem esse putamus cum evangelio Nicodemi, cum & illud a Theodosio M. *in Pilati* prætorio inventum dicatur.

LIX. Num Tiberius Imperator actis Christi cognitis de ejusdem apotheosi cogitaverit, quod Tertullianus *apologet. c. 5.* & alii veteres affirmant, recentiores eruditi non consentiunt. Aliqui enim antiquitatis reverentia moti minime dubitant, quin Tiberius de Christo inter Deos referendo apud Senatum egerit, e quibus nominasse sufficiat Huetium *demonstrat. evangel. p. 36.* Pearsonium *lect. ad act. p. 63.* & Stephanum le Moyne *not. ad var. sacra p. 145.* Alii vero Tertulliani narrationem suspectam, & tentatam a Tiberio Christi apotheosin pro fabula habent, ut Tanaquil Faber *part. 2. epist. 12.* van Dalen *diss. 1. de oraculis & de act. Pilati*, Basnagius *exercit. ad Baron. p. 137. seqq.* Id cer-

certum est, Christum Tiberiana apotheosi opus non habuisse, qui & ante mortem dictis & factis se verum Deum declaravit, & post mortem resurrectione sua, ascensione, Spiritus S. effusione, & miraculis per Apostolos editis divinatem suam abunde demonstravit. Unde Gaillardus *spec. quaest. p. 62.* asserit, quod Christus, ut ab impuris Spiritibus, ita etiam a Tiberio divinitatis testimonium sibi dari noluerit.

CAPITIS VII.

SECTIO II.

De

Maria Christi matre.

I.

MAriae hujus parentes in Scriptura non memorantur. Nec desunt, qui Scripturam etiam Mariae genus omnino tacuisse censent. Quos inter M. Antonius de Dominis *libr. 6. de republ. eccles. cap. 1. thes. 7. & seq.* non improbabile quidem esse judicat, quod Maria ex stirpe Davidica prognata fuerit, nulla tamen necessitate nos cogi asserit, ut ita statuamus, cum ex Scriptura S. nemo convinci possit, Mariam ad stirpem Davidicam pertinuisse, & sufficiat, si Christum ob Patrem legalem ad tribum Juda & stirpem Davidis referamus. Verum hanc sententiam refutat

Spanhemius Pater *part. 1. dubiorum evangelic. pag. 131. & seqv.*

II. Decisionem quæstionis, an Maria sine labe originali concepta fuerit, non opus est, ut a Romanis Pontificibus expectemus, qui ob intestina Dominicanorum & Thomistarum ab una, & Franciscanorum ac Scotistarum ab altera parte hac de re certamina jam a longo tempore hanc controversiam decidere tergiversati sunt. Sane non ausus hanc controversiam dirimere Sixtus IV. non Pius V. non Paulus V. & Gregorius XV. etsi apud duos hos Pontifices postremo loco nominatos Legati Regum Hispanorum Philippi III. & IV. decisionem hujus controversiæ vehementissime urgerent, ut acta hujus legationis a Waddingo edita testantur, non denique Alexander VII. a quo hanc controversiam decisam fuisse Maresius in disputatione historico-theologica de origine, progressu & tandem definitione nupera controversiæ diu in Communione Romana agitatæ circa immaculatam conceptionem B. Virginis *Syllog. disputationum selectiorum part. 2. p. 725.* perperam statuit. Etsi enim Alexander VII. in bulla sua multa in favorem Franciscanorum, & præjudicium Dominicanorum proferat, expresse tamen prohibet, ne quisquam tenenti opinionem, quod B. Virgo cum peccato originis concepta sit, hæreseos crimen impingat, cum a Romana ecclesia & sede Apostolica nondum fuerit hoc decisum, prout nec ipse hanc controversiam decidere intendat, ut observat Heideggerus in dissertatione de conceptione Virginis Mariæ *tom I. dissertat. select. dissert. 8. thes. 12.* Interim sufficit hanc controversiam in Scri-

ptura

ptura S. clare decisam esse, quoties omnia sub peccato concludit, & per unius hominis peccatum mortem in omnes pertransivisse pronunciat, quia omnes peccaverunt, ut alia argumenta, quæ Mariam neque ab originali, neque ab actualibus peccatis immunem fuisse probant, taceamus. Cæterum huic Thomistarum & Scotistarum dissidio lepide aliquando Diabolus illusit, qui a Franciscano quodam Monacho adjuratus, ut ex obsesso cederet, parere noluit, & se Thomistam esse respondit.

III. Mariæ cum Angelo Gabriele de admiranda Christi conceptione colloquium, ejusdemque amicam collationem cum Elisabetha cognata sua, & insignem hymnum Lucas c. 1. retulit. Idem cap. 2. refert, quomodo Maria Christum Bethlehemi pepererit, eundemque cum dies purificationis advenissent, Domino in templo Hierosolymitano præsentaverit, & jam duodecennem iterum ad festum paschale Hierosolymam deduxerit. Quale responsum tulerit, cum in nuptiis Cananæis Filium suum de vino procurando admoneret, sectione præcedente jam relatum est. Quomodo aliquando Maria cum Filio suo colloqui desideraverit, & Christus tum responderit, quemlibet fidelem matrem suam & cognatum suum esse, Matthæus c. XII. 46. & sequ. memorat. Quomodo sub cruce Filii steterit, & ab illo curæ Johannis Apostoli commendata fuerit, ipse Johannes c. XIX, 25. 26. 27. literis consignavit. Postrema Mariæ mentio in Scriptura fit Act. I, 13. 14. ubi Apostolos una cum Maria matre Jesu & aliis fidelibus congregatos fuisse memoratur.

IV.

IV. Fabulæ ſunt, quod Deiparæ parentes ab utero ſancti fuerint; quod absque uſu conjugii genuerint; quod ex materia innocentis Adami genuerint; quod fœtum absque ordinariis vaſis & tegumentis ediderint; quod in ſterilitate conſenuerint, & eleemoſynis ſuis ac precibus prolem adepti fuerint; quod mater absque dolore Mariam pepererit, omnisque ab infante vagitus & fletus abfuerit; quod nativitas Mariæ muſico Angelorum concentu decorata fuerit; quod in templo educata fuerit, & per undecim annos in ſancto ſanctorum habitaverit; quod tempore lactationis ſuæ jejunaverit; quod poſt ablactationem ſuam ab Angelis cibata fuerit; quod votum perpetuæ virginitatis emiſerit; quod Christus in ejus corde conceptus fuerit; quod a puncto Verbi incarnati usque ad mortem immenſos dolores ſuſtinuerit; quod mundi per divinum *fiat* creati reparatio per *fiat* Mariæ facta fuerit; quod camera, in qua Maria ab Angelo ſalutata fuit, ab Apoſtolis in eccleſiam conſecrata, & poſt annorum plus mille decurſum ab Angelis fundamento ſuo avulſa primum in partes Sclavoniæ, ac deinde ſupra mare in ſylvam *nobilis* cujusdam Dominæ civitatis Recanatenſis, quæ Loreta dicta fuit, iterumque in montem duorum fratrum, tandemque ex monte in viam communem deportata, ac in loco illo, ubi hodie viſitur, repoſita fuerit, quam fabulam a Franciſco Turriano, Petro Caniſio, Horatio Turſellino, & aliis defenſam, poſt Petrum Paulum Vergerium Matthias Berneggerus in hypobolimæa Virginis Deiparæ camera, ſeu idolo Lauretano refutavit, cui Heinricum Stephanum adjungimus, qui in agologia

pro

pro Herodoto ea ſe in Lauretana æde vidiſſe dicit, quæ narrare animus ipſius horreat, & quæ ipſos Athenienſes, quorum ſuperſtitionem Paulus reprehendit, non ſine horrore viſuros putat; quod filiolum ſuum in templo offerens non inter mulieres virum paſſas, ſed inter virgines ſteterit; quod ſub cruce Chriſti magnum animi deliquium ſubierit, & ſpaſmo occupata ſemimortuæ inſtar in terram proſtrata fuerit; quod alterius latronis cum Chriſto crucifixi converſionem effecerit; quod Præſes concilii Hieroſolymitani fuerit; quod Carmeliticarum quarundam Monialium monaſterium inſtituerit; quod Chriſtum ex mortuis reſuſcitatum prima viderit; quod poſt Chriſti mortem Johannes Evangeliſta ejus Confeſſarius fuerit; quod ad ejus exequias Apoſtoli ex variis orbis partibus convenerint, & multa miracula in ejus obitu contigerint; quod poſt mortem reſuſcitata, & magna cum pompa in cœlum aſſumta fuerit, ut alia inſulſa male feriatorum Manachorum de Maria deliria taceamus, quibus capiendis, ſi omnia colligerentur, integra plauſtra vix ſufficerent. Quorſum etiam pertinent tot Mariæ reliquiæ, quæ paſſim aſſervari perhibentur, & quarum non exiguum apparatum recenſet Hoornbeckius in examine bullæ Urbani VIII. de imaginibus, & ex eo Wagenſeilius *in Synopſi hiſtoriæ univerſalis p. 74. & ſeqv.* Inter Scriptores Pontificios de Maria agentes, qui ſunt innumeri, numerandus Theophilus Raynaudus, qui etſi in diptychis ſuis Marianis Mariæ hiſtoriam ita pertractat, ut falſa a veris inſtar furfuris a farina ſecernere velle videatur, multum tamen

Ggg men

men inter farinam furfuris reliquit. Multos alios autores, qui de Maria scripserunt, enumerat idem Raynaudus *in diptychis suis Marianis p. 2.* ubi inter alia ejusmodi scripta Dionysii Carthusiani opus de Mariæ laudibus, Pelbarti stellarium Virginis, Bernardini a *Busto* Mariale, Petri Canisii opus de Deipara, Christophori a Castro historiam Deiparæ, Martini Delrio opus Marianum, & Petrii Antonii Spinelli tractatum, qui inscribitur: *Maria Deipara thronus Dei*, commendat. Longe majorem apparatum Scriptorum de Maria agentium suppeditat Hippolytus Maraccius in bibliotheca Mariana, in qua Scriptores, qui de Maria egerunt, alphabetico ordine digessit, & scripta eorum recensuit, quæ Mariana bibliotheca in duos tomos divisa Romæ A. C. 1648. prodiit. Verissimum autem est, quod Raynaudus loco *paulo* ante memorato judicat, nempe esse inter *Scriptores*, qui de Maria egerunt, non paucos Scriptorum nomine indignos, & potius Rhapsodis aut interpolatoribus & mangonibus accensendos, cum hinc inde sine examine & judicio scriptiunculas suas, quas quisquiliarum & gerrarum nullius pretii titulum mereri censet consuerint, & sæpe novis titulis ascriptis in aliena opera involarint, sibique ex alienis laureis corollas texuerint.

CAPI-

CAPITIS VII.

SECTIO III.

De

Josepho Mariæ Sponso & Conjuge.

I.

JOsephum hunc ex regia Davidis stirpe ortum suum traxisse ex Scriptura S. manifestum est. Vocatus enim filius Davidis Matth. I, 20. & vir ex domo Davidis Luc. I, 27. unde etiam tempore census ab Imperatore Augusto instituti in civitatem Davidicam Bethlehemum se ideo contulisse dicitur, quod ex domo & familia Davidis natus esset Luc. II, 4. Etsi vero regia stirpe prognatus esset, fabrili tamen arte victum sibi quæsivit, unde τέκτων dicitur Matth. XIII, 55. sive faber ferrarius fuerit, sive, quod vulgo traditur, faber lignarius. Equidem fuerunt, qui tale opificium viro regiæ stirpis non bene convenire arbitrati sunt, & honori Mariæ magis consuli posse statuerunt, si illustri alicui viro desponsata diceretur, unde Josephum non vulgarem fabrum, sed Architectum quendam nobilem fuisse existimarunt, cujus sententiæ apud Matthæum Naveum mentionem fieri, alicubi me legisse memini. Verum cum Judæi Christum ex contemptu fabri filium appellave-

rint, facile inde colligi poteſt, quod Joſephus in illuſtri quodam ſtatu minime vixerit.

II. Si Cornarianæ Epiphanii verſioni credendum eſt, Epiphanius in hæreſi 78. quæ eſt Antidico-Marianitarum, tradidit, quod Joſephus octuageſimum viduitatis annum agens Mariam duxerit. Cum autem Epiphanius Joſephum ex priori conjugio anno ætatis ſuæ plus minus quadrageſimo Jacobum, & poſt eum tres alios filios, & duas filias genuiſſe dicat, ſequeretur, ſi per octoginta annos viduus manſit, eum anno ætatis ſuæ centeſimo & vigeſimo quinto circiter cum Maria deſponſatum eſſe. Verum Epiphanius non dixit, quod Joſephus octuageſimo viduitatis anno Mariam duxerit, ſed tantum, quod viduus octogeſimo ætatis anno cum ea deſponſatus fuerit, unde etiam illo tempore, quo Chriſtus quartum annum egit, Joſephum annos 84. *habuiſſe* tradit. At ne hoc quidem probari *poteſt*, quod Joſephus illo tempore cum Mariam duxit, octogenarius & decrepitus ſenex fuerit. Etſi enim pictores, quibus *atque Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*, plerumque Joſephum tanquam decrepitum ſenem depingere ſoleant, Evangeliſtæ tamen Joſephum ita delineant, ut eo tempore, quo Chriſti infantis curam geſſit, vegetæ ætatis vir fuiſſe videatur, cum eum ex Galilæa in Judæam, ex Judæa in Ægyptum, & ex Ægypto iterum in Palæſtinam cum Chriſto ejusque matre profectum narrent. Neque etiam Judæi Chriſtum pro Joſephi filio habituri fuiſſent, ſi decrepita jam ætate Mariam duxiſſet, qua de re plura videantur apud Summe Reverendum Dn. D. Mayerum in quæſtione: *num Jo-*

ſeph

ſeph tempore nativitatis Chriſti fuerit ſenex decrepitus? & clariſſimum Dn. M. Hilſcherum in diſputatione de erroribus Pictorum circa nativitatem Chriſti *ſect. 6.*

III. Deſponſationem Joſephi cum Maria ad nutum divini oraculi factam fuiſſe narrat evangelium de ortu Virginis, quod Matthæo Evangeliſtæ tanquam autori, & Hieronymo ut interpreti tribui ſolet, & inter Hieronymi pſeudepiprapha legitur. Ibi enim narratur, Pontificem, cum Deum de Virgine Maria quartum decimum ætatis annum jam ingreſſa conſuluiſſet, ex loco propitiatorii hoc reſponſum tuliſſe, quod juxta Eſaiæ prophetiam c. XI, 1 ſequ. requirendus eſſet, cui Virgo illa commendari & deſponſari deberet. Juſſi ergo ſunt, ſi vera eſt fabula, omnes ex Davidis familia conjugio habiles, ut virgas ſuas ad altare afferrent, e quorum numero is Mariæ Sponſus deſtinatus fuit, e cujus virga flos, cujus cacumini Spiritus S. ſub columbæ ſpecie inſideret, germinaturus eſſet. Hos igitur inter viros etiam Joſephus fuiſſe perhibetur, qui cum prius virgam ſuam ſubtraxiſſet, nihilque divino oraculo conſonum eveniſſet, per novum Dei oraculum proditus tandem ipſe quoque virgam ſuam attulit, quo facto ſtatim in illius cacumine columba de cœlo veniens conſedit, omnibusque manifeſtum fecit, quod Joſepho hæc Maria deſponſanda foret. Eandem fabulam, mutatis tamen nonnihil circumſtantiis, narrat protevangelium Jacobi, quippe quod columbam ex Joſephi virga prodiiſſe, & ſuper ejus caput alas expandiſſe memorat. Et hæc ipſa hiſtoriola Pictoribus occaſionem dedit, ut Joſephum cum ramu-

ſculo virente depingere ſolerent, etſi Molanus *in hiſtoria imaginum libr. 2. c. 24.* Joſephi virginitatem ſub virentis ramuſculi emblemate deſignatam ſuſpicetur, quem refutat Stephanus le Moyne *in notis ad varia ſacra p. 589.*

IV. Quomodo Joſephus, cum ſponſam ſuam gravidam deprehenderet, ob ſiniſtram ſuſpicionem violatæ fidei conſilia de ea deſerenda agitaverit, donec ex Angelo diſceret, Mariam virtute Spiritus S. fœtum, quo ipſius uterus tumebat, concepiſſe Matthæus in hiſtoria ſua evangelica retulit cap. I, 18. ſeq. In Jacobi autem evangelio fingitur, quod Annas Scriba, cum tumentem Mariæ uterum obſervaſſet, ſtatim ad Sacerdotem ſe contulerit, eique Joſephum ſponſam ſuam e templo acceptam vitiaſſe indicaverit, Sacerdos vero, cum re per Miniſtros explorata de Mariæ graviditate certior factus eſſet, Joſephum pariter & Mariam ad judicium vocaverit, ipſisque ſuam innocentiam Deo teſte aſſerentibus dixerit; *potabo vos aqua redargutionis Domini, & crimen veſtrum manifeſtabitur;* tandem vero cum & Joſephus & Maria aquam redargutionis ſine ullo detrimento bibiſſent, eos abſolverit.

V. Prolixe Joſephi hiſtoriam pertractat Johannes Gerſonius Cancellarius Pariſienſis in carmine heroico, quod in duodecim diſtinctiones partitus eſt, & *Joſephinam* inſcripſit. Aſſerit autem inter alia in hoc carmine *Tom IV. ejus Operum editionis novæ Dupinianæ*, Joſephum quoad externam Chriſti faciem Chriſto valde ſimilem fuiſſe. Cujus aſſertionis hanc rationem profert, quod Chriſtus pro Joſephi filio habitus fuerit.

Verba

Verba ejus ſunt diſtinct. 12. p. 782.

Perſonas inter ſimiles eſt nexus amoris:
De Joſeph aſt ratio ſuadet, ſua quod facialis
Forma Jeſu formæ ſimilis reputanda fuiſſe eſt.
Si non ; quo pacto Pater ejus creditus eſſet?
Qualiter omnimoda Matris ſervaſſet honorem
Diſparitas vultus prolis cum Patre putato?

Addit exemplum Jacobi minoris Fratris Domini, qui & ipſe ad formam Chriſti proxime acceſſiſſe perhibetur. Verum, quod Chriſtus pro Joſephi filio habitus fuit, non tam ſimilitudini formæ adſcribendum eſt, quam ejus cum Maria matre Chriſti conjugio. Ante Joſephinam leguntur eodem operum Gerſonianorum tomo Gerſonii exhortatio ad Ducem Bituriæ facta de celebrando S. Joſephi feſto, item duæ aliæ epiſtolæ ejusdem argumenti, nec non lectiones, quæ oportune dicerentur in feſto S. Joſephi, & officium miſſæ pro hoc feſto. Idem Gerſonius in concilio Conſtantienſi ſermonem habuit de nativitate Mariæ, & Recommendatione Virginei Sponſi Joſephi, qui ſermo tomo III. ejus operum *editionis novæ p. 1345.* extat. Atque hinc Dupinius in ſuis Gerſonianis ſingularem Gerſonii erga Joſephum pietatem his verbis commendat *libr. IV. fol. CIX. ſingulari in Joſephum Sponſum Mariæ fuit affectus pietate Joannes noſter, cujus feſtum, tam de ejus morte quam de conjugio inſtitui voluit ; & in ejus honorem officium & carmen compoſuit. Ejus ex Regali progenie ortus nobilitatem multis extollit. Perpetuam Virginitatem laudat. Sanctificatum in utero, non ſecus ac Joannem affirmat. Juvenem Mariæ deſponſatum putat ; & tamen*

ope-

operatione Spiritus Sancti repressum, vel extinctum in eo libidinis fomitem. Ante Christi passionem mortuum. Cum mortuis, qui Christo moriente surrexerunt, apparuisse Virgini. Christo in cœlum ascendente, ascendisse simul & glorificatum fuisse, non dubium in anima, sed an in corpore nescire se; aliaque multa id genus de Josephi laudibus legere est in sermone de nativitate Mariæ T. III, 1345. & sequentibus; & alias T. IV, 729. 736. &c. Falsa est in his Gersonii assertis Josephi ab utero sanctificatio, nec ullo fundamento nititur, quod post mortem B. Virgini apparuerit. Quod autem ante Christi mortem mortuus fuerit, ex eo colligi potest, quod Christus in cruce pendens matrem suam Mariam Johanni commendaverit. De cultu hujus Josephi in papatu Summe Reverendus Dn. Antistes Lubecensis Dn. D. Gœtzius peculiari dissertatione egit, quæ videri poterit.

CAPITIS VII.

SECTIO IV.

De

Johanne Baptista.

I.

JOhannis Baptistæ Parentes, conceptionem ab Angelo prædictam, saltum in utero ad Messiæ præsentiam Spiritus sancti operatione factum, nativitatem, circum-

cumcisionem, onomathesiam & educationem Lucas c. I, 5. sequ. describit. Ejusdem officium, magnumque populi ad ejus conciones & baptismum in deserto concursum Matthæus c. III, 1. sequ. Marcus c. I, 4. sequ. & Lucas c. III, 1. sequ. memorat. Legationem Judæorum ad Johannem, & varia ejus de Christo testimonia narrat Johannes Evangelista c. I, 19. sequ. Legationem Johannis captivi ad Christum Matthæus XI, 2. seq. & Lucas c. VII, 18. seq. consignarunt. Cur ab Herode incarceratus & postea capite plexus fuerit, narrat Matthæus c. XIV, 3. seq. & Marcus c. VI, 14. & seq.

II. Legi apud Josephum, quod Johannes Baptista vere Propheta fuerit, asserit Hieronymus *in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum c. 13.* Verum id in hodiernis Flavii Josephi scriptis non legitur, & forte nunquam in iis lectum fuit, quicquid Hieronymo, quem memoria facile decipere potuit, visum fuerit. Meminit tamen omnino Josephus Johannis Baptistæ, & refert *libr. 18. antiquit. Judaic. c. 7.* quod justa Numinis vindicta Herodis exercitus ob Johannem Baptistam deletus fuerit, quia virum optimum Judæos ad justitiam & virtutis studium excitantem apprehendi, vinctumque Macheruntem mitti & occidi jussit. Causam autem, quæ Herodem ad Johannis Baptistæ cædem impulit Josephus hanc commemorat, quod magnus plebis Judaicæ confluxus ad Johannem in deserto fieret, & Herodes vereretur, ne aliquando Johannes sua apud populum autoritate ad parandam defectionem abuteretur, cum Judæi nihil non ejus consiliis facturi viderentur. Quæ tamen Josephi relatio cum Evangelistis haud

bene congruit, qui Herodem, cum rapta fratris sui uxore sancta conjugii jura incestu polluisset, epanorthotica Johannis concione exacerbatum referunt.

III. In Assyria Orientis regione loca quædam a gente inhabitari, quæ *Christianorum S. Johannis* nomen gerit, & eorum, qui olim a Johanne in Jordane baptizati sunt, progenies esse reputatur, tradit Ignatius a Jesu Carmelita Discalceatus & in Passora Mesopotamiæ Missionarius in libello, quem Romæ 1652. de istis hominibus edidit. Variis autem illi Pseudo-Christiani erroribus infecti sunt. Statuunt enim Johannem Baptistam non eo modo, ut cæteri mortales, sed per solum Parentum mutuum amplexum conceptum esse. Imprimis autem miræ sunt fabulæ, quas de baptismo Christi per Johannis ministerium facto fingunt. Dicunt enim Judæos quosdam, cum vidissent Johannem ad Christi baptismum se parasse, invidia motos magnam copiam Indici coloris attulisse, & in aquam Jordanis conjecisse, ut aquas ejus inquinarent & immundas redderent, Deum autem Angelis imperasse, ut magnum vas aquæ mundæ afferrent, & in aerem sublevarent, & in hoc vase Christum in aere sublevatum a Johanne baptizatum esse, & ex illo tempore Deum cœruleo colori, qui ex prædicto Indico colore, si quid eo tingatur, nascitur, maledixisse, unde etiam illi Christiani S. Johannis colorem cyaneum sive cæruleum cane pejus & angue aversantur. Iidem Christiani fabulantur, Johannem quatuor liberos ex fluvio Jordane suscepisse, & tandem in civitate quadam Persidos morte minime violenta obiisse, post obitum vero corpus ejus ex ipsius man-

mandato cruci affixum fuisse,ut Christum, cujus tamen umbram tantum in cruce pependisse sibi persuadent, etiam in hoc supplicii genere anteiret, quæ omnia ex autore supra allegato repetit Wagenseilius in synopsi historiæ universalis *parte altera p. 84.*

IV. Johannem Herodis gladio obtruncatum Inferis evangelium de Christo mox adventuro prædicasse Patres aliqui statuunt, & in his Hippolytus in tractatu de Antichristo *p. 41. edit. græco-latin. Combefisiana*, Origenes *homilia 4. in Lucam p. 245.* Gregorius Nazianzenus *orat. in laudem Basilii p. 369.* Epiphanius, vel autor sermonis de sepulchro Domini nomen Epiphanii mentitus, *tom. 2. Oper. Epiphanii p. 268.* Hieronymus *epistol. ad Algas. qu. 1. p. 425.* & *in commentario ad Matth. XI, 3.* aliique. Decebat enim si Nicephorum *libr. 1. hist. eccles. c. 19.* audiamus, ut qui Christum præsentem viventibus prædicaverat, ad inferros quoque se conferret, & appropinquantem salutem nunciaret.

V. Johannem Baptistam ortu admirabilem, vita asperum & venerabilem, morte gloriosum Martyrem, & doctrina cœlestem exhibet Dorscheus in exercitatione de Agno Dei tollente peccata mundi, ubi etiam varias inventiones capitis Johannei a variis Scriptoribus jactatas suspectas reddit, & quam male inter se cohæreant ostendit, nec minus circa alias Johannis Baptistæ reliquias magnam relationum varietatem animadvertit. Inter alia digitum indicem, quo Christum Agnum Dei demonstravit Johannes, Vesuntione, Tolosæ, Lugduni & Florentiæ ostendi notat, & Halæ

quoque Saxonum in æde S. Mauritii inaurato ſacrario eundem digitum incluſum fuiſſe ex deſcriptione reliquiarum Halenſium obſervat. Conferatur etiam Joh. Sebaſtiani Mitternachtii diſſertatiuncula de Johannis Baptiſtæ Reliquiis, *in diſſertationibus ejus hiſtoricis p. 16. ſeqq.*

VI. Refert Juſtinus Martyr *in dialogo cum Tryphone p. 315.* quod cum Jeſus a Johanne baptizandus in undam deſcenderet, ignis in Jordane accenſus fuerit. Cum autem Evangeliſtæ de flamma in Jordane accenſa nihil referant, Hugo Grotius Juſtinum hanc relationem ex hebraico Nazaræorum evangelio depromſiſſe ſuſpicatur. Verum, ſi Epiphanium evolvamus, deprehendimus, quod etiam Nazaræi & Ebionitæ in ſuo evangelio flammæ in Jordane ſuccenſæ nullam mentionem fecerint. Nam in illo Ebionitarum evangelio juxta Epiphanium *hæreſ. 30. c. 13.* dicitur, *Jeſu* poſt baptiſmum ex aquis aſcendente Spiritum S. in columbæ ſpecie deſcendiſſe, & vocem de cœlo redditam fuiſſe: *tu es Filius meus dilectus, in Te mihi complacui*, & iterum: *hodie genui te*, ſtatimque eo in loco ingentem lucem effulſiſſe, qua conſpecta Johannem interrogaſſe Chriſtum, quis eſſet? iterumque vocem cœlitus delapſam dixiſſe: *hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Ebionitæ igitur in ſuo evangelio lucem in illo loco effulſiſſe tradiderunt, Juſtinus autem ignem in Jordane accenſum refert, quod aliunde quam ex Ebionitarum evangelio depromſiſſe videtur, etſi etiam Johannes Millius in notis ad Matth. 3. p. 7. Juſtinum iſta ex Nazaræorum evangelio hauſiſſe cum Grotio exiſtimet.

ſtimet. Saltem alio illius evangelii exemplari uſus eſt Juſtinus,quam Epiphanius, quemadmodum & Hieronymus alio uſus eſt, quam uterque, apud quem *commentar. ad Eſa. XI. Tom. III. novæ edit. p. 99.* hiſtoria de baptiſmo Chriſti per Johannem ex evangelio ſecundum Hebræos his verbis deſcribitur: *Factum eſt autem quum aſcendiſſet Dominus de aqua, deſcendit fons omnis Spiritus Sancti: & requievit ſuper eum, & dixit illi: Fili mi,in omnibus Prophetis expectabam te, ut venires & requieſcerem in te. Tu es enim requies mea, tu es filius meus primogenitus, qui regnas in ſempiternum.* Cæterum aquam Jordanis,poſtquam eam Chriſtus a Johanne baptizatus contactu ſuo conſecravit, incorruptionis munere donatam fuiſſe Radzivilus Princeps in ſuo hodœporico Hieroſolymitano retulit his verbis: *aquam valde turbidam Jordanus habet,ſed ſalubrem, quæ in vaſe aſſervata nunquam corrumpitur, prout in ea,quam attuli mecum,indubitanter ſum expertus.* Conferatur Gretſerus *in commentar. ad Codin. libr. 3. c. 3. p. 229. edit. Pariſienſis.*

VII. Veras fuiſſe lucuſtas, quibus Johannes Baptiſta in deſerto vitam ſuſtentavit, non dubitandum eſſe aſſerit Ludolphus *hiſtor. Æthiop. libr. 1. c. 13.* ubi hoc cibi genus ſuave & ſalubre eſſe notat. Prolixius de locuſtis agit *in commentario ad hiſtoriam Æthiopicam p. 168. & ſequ.* ubi etiam Iſraelitas,cum in deſerto carnis eſum appeterent,non coturnicibus,ut vulgo creditur,ſed locuſtis paſtos ſtatuit, ideoque voces שְׂלָו & שַׂלְוִים Num. XI, 31. 32. quæ vulgo de coturnicibus explicantur, rectius de locuſtis explicari cenſet, cujus

rei probandæ gratia multorum Scriptorum omnis generis de locuſtis relationes affert, & ex illis infert, ſtupendam eſſe locuſtarum multitudinem, eſſe locuſtas comeſtibiles, ſpecies locuſtarum mundarum plurimas dari, & locuſtas Judæis eſu licitas fuiſſe, ac denique omnia, quæ in hiſtoria ex Numeris allegata, & locis parallelis occurrunt, melius ad locuſtas, quam ad coturnices quadrare. Quantum autem ad Johannem Baptiſtam attinet, non probat ſententiam Victorini Strigelii, qui in ſuis hypomnematibus aſſerit, Johannem Baptiſtam uſum fuiſſe cibis ad Jordanem obviis, ubi piſcatores ipſi cancros ex Jordane captos, quos alioqui non vendebant, comedendos obtulerint. Qua occaſione Ludolfus etiam Diaconi alicujus meminit, qui pro concione dixerit: im Grund-Texte ſtehet ἀκρίδας ihr lieben Zuhörer / Lutherus hats Heuſchrecken gegeben / es ſind aber Krebſe geweſen ihr lieben Zuhörer. Non minus improbat Ludolfus illum Monachum, qui Jacobo Vitriaco ſciſcitanti, quales locuſtæ fuerint, quibus Johannes in illa circa Jordanem regione, ubi tunc Vitriacus verſabatur, ad cibum uſus fuerit, reſpondit, quod Monachis in illa regione non infrequenter herba quædam apponatur, quam ipſi *Languſtam* nominent i. e. locuſtam, & quod illa eſca etiam Johannes uſus fuerit, ut refert ipſe Vitriacus in hiſtoria Hieroſolymitana c. 53. Nec magis Ludolfo placet opinio illa Knatchbulli, qui in ſuis ad N. T. animadverſionibus ἀκρίδας, quas una cum melle ſylveſtri Matthæus c. III, 4. & Marcus c. I, 6. Johannis Baptiſtæ cibum fuiſſe referunt, de ſummitatibus foliorum in plantis & arboribus interpretatur.

Re-

Rejicit denique Ludolfus omnium illorum conjecturas, qui vel vocem ἀκρίδας emendandam & aliter legendam, vel aliter quam de locustis interpretandam asserunt. Variis enim interpretationibus ἀκρίδες illæ Johannis Baptistæ sunt obnoxiæ ut videri potest apud Bochartum *in hierozoico part. 2. libr. 4.* ubi octo integra capita locustis impendit, & cap. 7. de locustis Johannis Baptistæ agit, ubi refutat Ebionæos, qui in suo evangelio ἀκρίδας in ἐγκρίδας seu liba cum melle & oleo mutarunt, & Isidorum Pelusiotam, qui ἀκρόδρυα seu extremitates herbarum & plantarum Johanni in cibum cessisse opinatur, & alios, qui per ἀκρίδας vel certam aliquam herbam, vel aviculas ἐρυθρόποδας, vel locustas marinas, quas Græci καράβους vocant, vel squillas seu καρίδας cancrorum genus, vel denique ἀχράδας seu pyra sylvestria intelligunt.

VIII. Conferantur præterea de Johanne Baptista Bebelii antiquitates evangelicæ *articul. 2. sect. 1. p. 57. seqv.* Buttneri inquisitio in historiam Johannis Baptistæ, Wasewizii Turtur Johanneus, Herm. Witsii Exercitatio de vita Johannis Baptistæ *Tom. 2. Miscellaneorum Sacrorum p. 467. seqq.* Mommæ oeconomia V. & N. T. libr. 3. c. 2. aliique. Traditionem de austeritate Johannis ex MSCto commentario Arabico in Alcoranum repetit Joh. Gregorius *in notis & observationibus ad loca aliquot S. Scripturæ c. 28.* ubi refert, quod a Johanne Baptista puero petierint socii item pueri, cur cum illis nollet ludere: sed responderit Johannes, se non creatum fuisse propter lusum. Inter duos tomos commentariorum de Verbi Dei corruptelis,

lis, quos Petrus Canisius Centuriatoribus Magdeburgensibus opponere voluit, prior agit de S. Præcursoris Domini Johannis Baptistæ historia evangelica, in qua varios Pontificiorum errores contra Centurias Magdeburgenses defendere irrito conatu nititur.

CAPITIS VII.

SECTIO V.

De

Apostolis.

I.

APostolorum vocem etiam Gentil*ibus* & Judæis usitatam fuisse observat Fridericus Spanhemius in dissertatione de Apostolatu, in qua etiam de characteribus Apostolorum a Christo institutorum, & duodenario eorum numero agit. Duodecim enim Christus ex reliquis Discipulis ad Apostolatum elegit, ut ipse indicat Joh. VI, 70. Nomina istorum duodecim exprimuntur Matth. X, 2. 3. 4. Marc. III, 16. seq. Luc. VI, 13. & seq. Hos quotidianos doctrinæ suæ auditores & miraculorum spectatores habuit, & familiarius a se informatos post biennium in Judæam emisit, ut evangelium docerent, & cœlestem doctrinam miraculis confirmarent. Jussit enim eos ægrotis sanitatem restituere, leprosos mundare, mortuos excitare, Dæmones ex-

expellere Matth. X, 8. Hoc ergo miraculorum dono instructi Dæmones ex obsessis expulerunt, multosque infirmos oleo unctos a morbis suis liberarunt Marc. VI, 13. Quod non ita accipiendum est, quasi Apostoli Medicorum instar per oleum naturali modo ægros sanaverint, quam sententiam dum Maldonatus refutandam suscipit, Andabatarum instar pugnat, cum forte nemini illa sententia in mentem venerit. Multo minus vero cogitandum est, Apostolos sacramentum extremæ unctionis usurpasse, de quo prædictus Maldonatus hunc locum explicandum urget. Agnoscunt enim multi inter ipsos Pontificios Cajetanus, Bellarminus, & plures alii, hunc Marci locum ad Sacramentum extremæ unctionis minime pertinere. Parallela est huic Marci loco parænesis Jacobi, qui infirmos admonet, ut Presbyteros accersant, & ab iis in nomine Domini oleo se inungi sinant. Nam quod nonnemo existimat, Apostolum hoc loco velle, ut Presbyteri Medicos agant, & præter preces oleum i. e. commoda medicamenta sanandis ægris apta adhibeant, in eo dubito, an temere quenquam suæ sententiæ ὁμόψηφον habiturus sit, cum verba satis aperte ad miraculosam sanationem respiciant, cui in primitiva ecclesia, cum donum illud miraculorum adhuc vigeret, interdum manus impositio, interdum oleum, & alia externa signa adhibebantur, sicut & ipse Christus in miraculosis suis curationibus nonnunquam sputum & alia externa symbola adhibuit, neque tamen externa illa symbola tanquam naturalia medicamenta ægrotis applicavit. Multo minus autem Pontificiis concedendum, quod Jacobus de extre-

ma unctione locutus fuerit, quod ex ipsis Pontificiis Cajetanus agnoscit. Reliquos autem Pontificios, qui vel cum Maldonato & aliis tam in Evangelio Marci, quam in Jacobi epistola, vel ad Bellarmini exemplum relicto Marco saltem in Jacobi epistola Sacramentum extremæ unctionis quærunt, prolixe refutavit Dallæus de extrema unctione *libr. 1. c. 3. sequ.*

II. Post Christi resurrectionem, cum jam unus ex duodecim Apostolis ab ipso electis nempe Judas Iscariotes in locum suum abiisset, in cujus locum per divinam sortem Matthias surrogatus est, Apostoli in universum terrarum orbem ire, & evangelium omnibus hominibus prædicare jussi, & ut hoc officium rite administrare possent, singularibus Spiritus S. donis instructi sunt, Act. II, 1. & seqv. Inter quæ charismata non postremum fuit linguarum donum, quod *eo usque* tantum in Apostolis durasse, donec *linguæ igneæ* in ipsorum capitibus conspicerentur, perperam nonnulli asseruerunt. Perperam etiam alii cum Erasmo hoc miraculum in auribus potius audientium, quam Apostolorum loquentium linguis quærendum existimarunt, quasi Apostolis in vernacula sua lingua concionantibus, eorum verba in auscultantium auribus familiarem cuivis nationi sonum induissent, quemadmodum Antonium a Padua Romæ concionantem peregrini variarum nationum, qui indulgentiarum causa Romam venerant, non minus percepisse perhibentur, quam si quisque suæ nationis linguam audiisset, apud Surium in ejus vita *Mense Jun. p. 192.* aut sicut de Vincentio Ferrerio Dominicanorum annales comminiscuntur, quod

quod Hiſpanice perorantem Itali, Galli, Flandri, atque Angli, etſi Hiſpanicæ linguæ minus gnari, intellexerint. Perperam inquam linguarum donum Apoſtolis impertitum ita accipitur, ac ſi miraculum potius in Auditoribus quam in Apoſtolis contigiſſet. Promiſerat enim Chriſtus Apoſtolis, quod novis linguis locuturi eſſent Marc. XVI, 17. Quæ tamen Chriſti promiſſio ad linguas, quæ Apoſtolorum ævo in rerum natura nondum erant, non extendenda eſt, unde Bivarium, qui in notis ad Dextrum inter novas linguas, quibus fideles naſcente eccleſia locuti ſunt, Hiſpanicam retulit, confutat Le Moyne *not. ad var. ſacr. p. 1035.* Cæterum donum linguarum in feſto Pentecoſtes ita diſpenſatum fuiſſe, ut jam tum cognoſci potuerit, ad quas gentes quilibet Apoſtolorum abiturus eſſet, ſtatuit Hieronymus *epiſtol. 150. ad Hedibiam qv. 9.* ubi ait ita Apoſtolos accepiſſe genera linguarum, ut jam tum perſpectum eſſet, qui Apoſtolorum, quibus gentibus evangelium nunciare deberent, illis nempe gentibus, quarum linguam in feſto Pentecoſtes acceperant. Unde ulterius infert, illos Apoſtolos, qui multis gentibus evangelium annunciare debebant, etiam multarum linguarum donum accepiſſe, quod exemplo Pauli comprobat, qui, cum ab Hieroſolyma usque ad Illyricum omnia evangelio compleverit, & inde per Romam in Hiſpaniam abire feſtinaverit, Deo gratias agat, quod magis cunctis Apoſtolis linguis loquatur. Verum etſi Paulus ad Corinthios ſcribat; *Deo gratias ago, quod magis linguis loquar, quam Vos omnes* 1. Cor. XIV, 18. nusquam tamen dicit, quod linguarum chariſmate omnes Apoſtolos ſuperet.

Neque etiam probare poterit Hieronymus, quod quilibet Apostolorum in festo Pentecostes illarum tantum nationum linguas locutus fuerit, quibus evangelium prædicaturus erat, etsi etiam Michael Glycas in suis annalibus *part. 3. p. 226. edit. græco-lat.* ita sentiat. Verba ejus ex latina versione Lewnklavii per Philippum Labbeum recognita ita se habent: *videre tum erat Petrum, qui Galilæus esset, Romana lingua utentem, quam nunquam antea discendo percepisset: itidemque singulos reliquorum peculiari quadam lingua loquentes. Hoc enim Spiritus Sanctus singulari quodam consilio sic administravit, ne qua inter Apostolos esset ea de re discordia, quo scilicet unicuique abeundum foret. Ideoque singulis sua in lingua data est quædam quasi norma & regula. Verbi gratia, Romana uteris lingua; Romam igitur abito. Persice loqueris; ad Persas proficiscitor. Hanc igitur in certa lingua regulam acceperunt. Rursum vero, quia Romam profecturis per nationes multas iter faciundum erat: iccirco linguas alias tanquam opitulatrices prioris accipiebant, quum illam primam ordinationis quasi loco haberent.*

III. Idem Spiritus S. qui Apostolos linguarum dono instruxit, eos in docendo & scribendo ita direxit, ut in omnem veritatem ducti aberrare non possent. Locuti enim sunt hi sancti Dei homines a Spiritu S. acti, quo agente & tam sensus & sententias, quam ipsa verba immediate inspirante etiam scripta sua literis consignarunt, quicquid contra divinam apostolicorum scriptorum autoritatem Spinosa, & alii Fanatici contendant. A quorum hypothesibus non alienus

nus videtur Hedingerus, qui ad 1. Joh. II, 8. notat, fieri potuiſſe, ut primi Chriſtiani, & ipſi Apoſtoli diem extremi judicii, quem cœleſtis Pater ſuæ ſapientiæ reſervavit, ex conjectura propiorem crediderint, quam revera eſſet. Quam Hedingerianam notam Summe Reverendus Dn. D. Wernsdorffius in diſputatione de Verbo Dei ſcripto *theſ. 32.* non immerito ſequentibus verbis caſtigavit: *ſcilicet, quoties Petrus, Paulus, reliqui de die ſupremo docuerunt, tum non a Spiritu S. impulſi, ſed ſua ipſorum ſuſpicione ducti, locuti ſunt. Unde per errorem ſunt opinati, eſſe in propinquo diem, quem t. t. longisſime abfuiſſe docuit eventus, auſique ſunt de illo ſibi judicium ſumere, cujus notitiam ſibi Pater reſervarat. Tam effreni impudentia & Scripturas, & Scripturarum auctores, errorum poſtulant fanatici homines.*

IV. Per duodecim annos Apoſtolos Hieroſolymis hæſiſſe, antequam in univerſum orbem exirent, Apollonii eſt traditio, qui hoc Apoſtolis a Chriſto præceptum fuiſſe tradidit apud Euſebium *lib. 5. hiſt. eccleſ. c. 18.* Idem tradit Autor prædicationis Petri apud Clementem Alexandrinum libr. 6. ſtromatum. Quam traditionem Henſchenius ita explicat, ut ſub Hieroſolymæ nomine Syriam etiam & vicinas regiones complectatur, cui ſententiæ Papebrochius contradicit, qui duos tantum annos Apollonium & Euſebium dicere voluiſſe contendit. Henſchenii tamen conjecturam præferendam exiſtimat Schelſtratenus *antiquit. eccleſiaſt. Tom. I. chronolog. p. 85.* Verum opus non eſt, ut ea de re multum diſceptemus, cum nullo certo argumento probari poſſit, quod Chriſtus Apoſtolos ante ſuam in or-

orbem universum emigrationem per duodecim annos in urbe Hierosolymitana hærere jusserit.

V. Quibus in locis singuli Apostoli evangelium prædicaverint maxima ex parte incertum est, & admodum variant, qui loca illa designant, Hippolytus in indiculo 12. Apostolorum, Sophronius in versione græca Catalogi Scriptorum ecclesiasticorum Hieronymiani, cui etiam illos Apostolos, quorum nulla scripta extant, adjunxit, Dorotheus in Synopsi, Isidorus de vitis Prophetarum & Apostolorum, Abdias Babylonius in certaminibus Apostolorum, Venantius Fortunatus in carmine de gaudiis vitæ æternæ, Walafridus Strabo in poemate de 12. Apostolis, Nicetas Paphlagon in orationibus, quibus Apostolorum laudes celebravit a Combefisio editis, Ado in libello de festivitatibus Apostolorum, indiculus Apostolorum Hieronymi Martyrologio præmissus, & alii hujusmodi libelli. E recentioribus conferantur Magdeburgenses *Cent. I. libr. 2. c. 10.* Perionius de vitis Apostolorum, Serarius in opusculo de Apostolis *part. 2.* Chemnitius *harmoniæ evangel. c. 50.* Schopfius *in Academia Christi p. 21.* Micrælius *in Syntagm. histor. eccles. p. 222.* & imprimis Guilielmus Cave in vitis Apostolorum Anglice scriptis. Nobis de singulis pauca proferre lubet.

VI. SIMON PETRUS cognomento Cephas ex piscatore hominum piscator factus hoc officio sedulo functus est, & cœlestem evangelii doctrinam ore pariter & calamo propagare studuit. De scriptis ipsi

ipsi falso attributis capite I. egimus. Genuina ejus monumenta sunt duæ epistolæ. Quod enim olim in primitiva ecclesia nonnulli posterioris Petrinæ autoritatem elevarunt, & ob styli dissimilitudinem a Petro scriptam dubitarunt, & ex recentioribus Josephus Scaliger *in Scaligerianis p. 103.* Petrum posterioris epistolæ autorem esse negavit, & Hugo Grotius hanc epistolam a Simeone Episcopo Hierosolymitano scriptam hariolatus, nulla solida ratione nititur. Recte ergo doctissimus Millius in suis ad N. T. prolegomenis posteriorem hanc epistolam non minus ac priorem Petro vindicavit.

VII. Num Petrus Romæ aliquando fuerit, & non solum Romanum episcopatum, sed etiam totius ecclesiæ primatum obtinuerit, eumque in Pontifices Romanos tanquam Successores suos derivaverit, supra c. IV. aliqua dicta sunt, nec opus est, ut plura nunc addamus. Id tantum moneo, quod ibi th. 1. dixerim, Larroquanum doctissimo Caveo exprobrasse, quod inter Scriptores veteres, qui Petrum Romæ fuisse testantur, Lactantii de mortibus persecutorum oblitus fuerit. Verum hanc Larroquani censuram intempestivam fuisse ipse Dn. Cave in secunda historiæ suæ literariæ parte indicavit, quod illo loco omitti minime debuisset.

VIII. De Petri conjugio etiam jam supra prædicto capite IV. thes. 25. aliquid dictum est. Addo nunc locum Ambrosii, seu potius alterius veteris Scriptoris, qui sub Ambrosii nomine in epistolas Paulinas commentatus est, & ad 1. Cor. XI, 14. ad 2. Cor. XI, 2.

an-

annotavit, omnes Apostolos excepto Johanne & Paulo uxores habuisse, quæ verba referente Clarissimo Wagenseilio *in Synopsi historiæ universalis part. 2. pag. 98.* in MSCto codice Bibliothecæ Noribergensis ita exhibentur, ut Pauli nomine expuncto Petri nomen substituatur, quæ corruptela dubio procul Monachum aliquem maleferiatum autorem habet, qui Petri cœlibatum asserere voluit, etsi id invita Scriptura fiat, quippe quæ de Petri socru mentionem facit.

IX. Qualia fuerint Simonis Petri cum Simone Mago certamina Clemens Romanus in recognitionibus apostolicis, Marcellus in tractatu de conflictu Simonis Petri cum Simone Mago, & alii hujusmodi Scriptores prolixe referunt, e quibus nonnulla in dissertatione de Hæresiarchis *sect. 1. c. 2.* & appendice illius dissertationis paucis protulimus. De ejusdem Apostoli martyrio cap. 6. hujus tractatus egimus. Nunc tantum addimus traditionem de catenis Petri, quarum memoriam fasti ecclesiastici Calendis Augusti recolunt. Summa fabulæ est, alteram ex duabus catenis, quibus Petrus Hierosolymis Herodis jussu vinctus fuerat, cum catena, qua Romæ sub Nerone constrictus fuit, per divinum miraculum in unam coaluisse.

X. JOHANNES, Zebedæi Filius, Discipulus Christi singulariter dilectus Ephesi imprimis commoratus perhibetur. Quanta solicitudine juvenem, qui ex Christiano latronum Dux factus fuerat, ad ecclesiam reduxerit, ex Clemente Alexandrino & Eusebio c. IV. adduximus, & quid circa illam historiam notandum sit adduximus. De aurea bractea, qua ipsum ornatum fuisse

fuiſſe Polycrates tradidit, etiam jam ſupra dictum eſt. Johannes Caſſianus *collat. 24. cap. 21.* de Johanne refert, quod aliquando perdicem manu ſua demulſerit, & venator quidam hunc cum perdice luſum Johannis perſona indignum cenſuerit, tum vero Johannes venatorem interrogaverit, cur arcum ſuum non ſemper tenſum ſecum gerat, & illo reſpondente, ne, ſi continuo tenſus ſit, virtutem ſuam amittat, & laxus ac debilis fiat, regeſſerit, ergo nec ſibi honeſtam aliquam animi relaxationem invidendam eſſe, ut eo alacrior ad ſuos labores redire poſſit. De Johannis in dolium ferventis olei injectione, & relegatione in inſulam Pathmum in capite de perſecutionibus dictum eſt. Alia ad Johannis hiſtoriam ſpectantia multaque ejus elogia colligit Theophilus Raynaudus in tractatu de claris Theophilis & Amadeis, quos inter primum locum Johanni Evangeliſtæ & Apoſtolo aſſignat. Vanis autem & falſis Johannis decoribus accenſet, quod nonnulli Scriptores Johannem ordinarium B. Virginis Confeſſarium fuiſſe aſſerunt, item quod nonnulli Johannem adhuc vivere, & temporibus Anti-Chriſti moriturum arbitrati ſunt, quos inter etiam Jacobum Fabrum olim fuiſſe refert, a quo poſtea in commentario ad Joh. XXI. errorem illum retractatum aſſerit, etſi in illo loco Faber potius de vita & morte Johannis plane non diſceptandum aſſerat, cum ex ejus ſententia tam illi peccent, qui cum Trapezuntio Johannem adhuc vivere contendunt, quam illi, qui cum Hieronymo eum mortuum ſtatuunt. Spectant huc etiam miræ traditiones de ſepulchro Johannis, quæ referuntur ab Auguſtino in

tract. 124. ad Johannem, & Græcis in suis Menæis & Synaxariis d. 18. Maji, quorum verba exhibet Combefisius *Auctar. noviss. Biblioth. PP. græco-lat. tom. I. p. 485.* item traditio de resuscitatione Johannis, quam asserit Nicephorus *libr. 1. hist. eccles. cap. 35. & libr. 2. cap. 42.* Autor, qui Arabice vitam Johannis descripsit, refert, Johannem cuidam e Discipulis suis mandasse, ne cuiquam sepulchrum suum indicaret. Plura de Johanne num adhuc vivat, an mortuus sit, videantur apud Commentatores evangelii Johannei capite ultimo, Tarnovium *in prolegomenis ad Johannem c. 2. p. 15.* Espencæum *oper. p. 997.* Mitternachtium in dissertationibus de hoc argumento, & alios. Leonis vero Allatii syntagma de Johannis Evangelistæ fine & vitæ exitu, cujus ipse in apibus suis Urbanis *p. 178.* & in diatriba de Georgiis *p. 379.* meminit, nescio an lucem publicam adspexerit. Quod Johannes templum *Dianæ* Ephesinum solo æquaverit, Nicephori est relatio. Quam diligenter Johannes, imprimis jam senex & morti vicinus auditoribus suis mutuum amorem inculcaverit, ita ut nihil aliud in concionibus suis protulerit, quam illam parænesin sæpius ingeminatam: *Filioli diligamus invicem*, refert Hieronymus in Commentario epistolæ ad Galatas. Fuisse inter Pontificios, qui crederent Johannem Evangelistam in Christi personam transsubstantiatum fuisse, vix crederem, nisi Vir clarissimus Wagenseilius *in Synopsi historiæ suæ universalis p. 110.* certiorem me fecisset, quod ipse Pisis Franciscanum quendam Monachum pro suggestu hanc sententiam publice defendisse auribus suis audiverit.

XI. De

XI. De evangelio Johannis *cap. V. de hæresibus thes. 26.* aliquid diximus, ubi etiam *thes. 35.* singulare Johannis adversus Cerinthum odium retulimus. Evangelium autem Johannis quantum attinet, Johannes Clericus ad 18. priora commata capitis primi evangelii Johannei, quæ paraphrasi & animadversionibus suis illustravit, Johannem hac occasione evangelium suum scripsisse putat, quod nonnulli philosophiæ ethnicæ studium cum judaicæ aut christianæ religionis professione conjungerent, multaque de ratione divina, de vita, de lumine, de unigenito Dei filio traderent. Cum enim hæc neque omnino falsa neque omnino vera essent, & sine discrimine neque admittenda, neque repudianda essent, Johannem Christianos ex suo evangelio discere voluisse asserit, quo sensu voces illæ usurpari deberent, quas in religionem christianam & judaicam Scriptores quidam celebres, & hæreticorum Sectæ inferre satagebant. Imprimis autem Philonis scripta Johanni non incognita fuisse censet, asseritque, cum multi Christiani illa legerent, ne eloquentia ejus capti ejus placita Christianorum dogmatibus valde affinia cum religione christiana miscerent, Johannem in ipso statim evangelii sui exordio phrases a Philone usurpatas ad orthodoxum sensum applicare voluisse. Quod ut probet Clericus tam in prolegomenis quam in animadversionibus multa Philonis loca adducit, quæ Johanni parallela esse arbitratur. Verum quod Philonis scripta Johanni Apostolo cognita & tam familiaria fuerint, ut in evangelio suo ad plura Philonis loca respexerit, probabile non videtur. Quis enim credat, Johan-

 nem,

nem, ſive illo tempore, quo adhuc artem piſcatoriam exercuit, ſive illo, quo in Chriſti ſchola verſatus eſt, lectioni Philonis, & aliorum hujusmodi Scriptorum temporis aliquid impendiſſe? Conferantur Eliæ Benoiſt in priores octodecim primi capituli evangelii ſecundum Johannem verſiculos diſſertationes tres epiſtolicæ, quibus ſcopus Scriptoris inquiritur, ſenſus paraphraſi explicatur, doctrina variis obſervationibus exponitur, confirmatur, & ab omni fraude vindicatur. Præter evangelium Johannes reliquit tres epiſtolas, quorum primam Epiſcopius ob frequentes tautologias & periſſologias tanquam verrucas & maculas pulchri corporis impie reprehendit, quod non magis probandum, quam quod aliqui ſecundam & tertiam Johannis epiſtolam non a Johanne Apoſtolo, ſed a Johanne quodam Presbytero ſcriptam judicant. Reliquit *denique* Johannes etiam Apocalypſin, etſi olim *non* deſuerint, qui hoc etiam ſcriptum Johanni Apoſtolo abjudicare auſi ſunt.

XII. JACOBUS Johannis frater, qui Major cognominari ſolet, Herodis gladio Hieroſolymis obtruncatus eſt, ut Lucas in Actis apoſtolicis teſtatur. Eum in Hiſpaniam ante ſuum martyrium veniſſe, & evangelium ibi prædicaſſe contendunt Sanctius in diſputatione de S. Jacobi prædicatione in Hiſpania ejusdem ad Acta commentariis adjuncta, Antonius Caracciolus in tractatu de Jacobi in Hiſpaniam acceſſu, & alii. Verum etſi hunc Jacobum Hiſpani ſibi vindicent, ejusque monumentum Compoſtellæ eſſe jactent, quo corpus ejus navi ſine rectore impoſitum dirigente divi-

vi-

vina Providentia appulisse perhibetur, & ex hoc nomine Archiepiscopus Compostellanus in Synodo Lateranensi sedis suæ prærogativam adversus Rodericum Ximenium Episcopum Toletanum exaggeraverit, Ximenius tamen totam illam de Jacobo fabulam ex mulierecularum trivialibus sermonibus natam asserebat, teste Baronio ad A. C. 816. & Spondano ad A. C. XLIV, 2. Conferantur, quæ contra Jacobi in Hispaniam adventum observant ex ipsis Pontificiis Jacobus Alexander Tenneurius in tractatu de ampulla Remensi *c. 6.* Natalis Alexander *secul. 1. dissert. 14.* & Combefisius *in Bibl. PP. græco-lat. auctario novissimo p. 479.* ubi inter alia ait, Calixtum aliosque Pontifices pium suum sensum de S. Jacobo aperire, & libris ecclesiasticis inserere potuisse, sed historicam fidem nisi ex probatis monumentis certam præstari non posse, ideoque de S. Jacobo, & aliis hujusmodi controversiis etiam post diplomata Pontificum, & instituta pro Sanctorum veneratione officia citra pietatis jacturam a viris doctis aliquid certius inquiri licere. Ex Reformatis videri poterit Voetius *part. 3. disput. p. 987.* ubi de peregrinationibus Compostellanis agit, & Pontificiis verba Christi occinit: *nescitis quod adoratis.*

XIII. Inter Jacobi hujus Discipulos fuisse dicitur Cæcilius, cujus miraculosa in Johanneam apocalypsin commentaria laudat Bivarius *in notis ad Dextrum p. 109.* Et miraculosa sane hæc commentaria sint oportet, quæ in Apocalypsin Johannis scripta sunt, antequam S. Johannes Apocalypsin suam edidisset, & quæ Hispanice elaborata sunt, multis ante seculis, quam lin-

gua Hiſpanica hodierna in rerum natura eſſet. Unde Bivarius in Cæcilio impletam dicit promiſſionem Chriſti, qua Diſcipulos ſuos novis linguis locuturos promiſit, h. e. juxta Bivarii interpretationem, quæ nondum extabant, & hactenus a nullo mortalium auditæ fuerant. Edidiſſe autem illa Cæcilii in Johannis revelationes commentaria Michaelem de Luna docet Stephanus le Moyne *in notis ad varia ſacra p. 1036.* cujus tamen operis nullam mentionem facit Nicolaus Antonius cum in bibliotheca ſua Hiſpanica Michaelis de Luna ſcripta memorat.

XIV. Jacobitas ab hoc Jacobo nomen ſuum accepiſſe tradit Martinus Polonus *in Chronico p. 351.* ubi addit, quod Jacobitarum ſecta Chriſtum Deum negaverit, quod Sandio tam gratum accidit, ut temperare ſibi non potuerit, quin ſtatim in ipſa primi ſeculi *hiſtoria* multa de Jacobitis colligat ab hoc tempore prorſus aliena.

XV. JACOBUS Alphæi cognomento Minor frater Domini dicitur Gal. I, 19. Hegeſippus apud Euſebium *libr. 2. hiſt. eccleſ. c. 23.* refert, quod etiam *juſtus*, & *Oblias*, ſeu Osliam, h. e. munimentum populi vocatus fuerit. De eodem narrat, quod ab utero ſanctus fuerit, a vino & carnibus abſtinuerit, comam non totonderit, unguentis & balneis nunquam uſus fuerit, quod intimum Sanctuarium ingrediendi poteſtatem ſolus habuerit, quod non lanea ſed linea tantum veſte indutus fuerit, & genua ejus ob crebras geniculationes inſtar cameli occalluerint. Verum hæc magna ex parte veriſimilia non videri notat Benedictus Juſtinianus in commentario

rio ad epiſtolam Jacobi. Imprimis vero Scaliger illam Hegeſippi de Jacobo relationem variis argumentis impugnavit in ſuis ad Euſebianum chronicon animadverſionibus *p. 191.* In qua Scaligeri cenſura nonnulla carpit Valeſius *in notis ad Euſebium*, & Petavius *in notis ad Epiphanii hæreſin 78. p. 332.* ubi alias haud diffitetur, nonnulla in hac Jacobi hiſtoria vel ab Hegeſippo tradita, vel ab aliis inſerta, quæ parum probabilia videantur, etſi propterea totam illam hiſtoriam fabulis accenſeri nolit. Imprimis vero Scaligero ſe opponit Petrus Halloixius *in notis ad vitam Hegeſippi p. 721.* quod brevius exequitur Ruinartus *in notis ad acta Martyrum ſincera p. 5.* At omnino dubiæ fidei eſſe, quæ Hegeſippus de Jacobi hujus vita ſcripſit, dubium mihi non eſt. Certe hic ipſe Jacobus, quem Hegeſippus ab utero ſanctum fuiſſe prædicat, in epiſtola ſua ſcribit: πολλὰ πταίομεν ἅπαντες Jac. III, 2. hoc ipſo indicans, ſe ab utero ſanctum non fuiſſe. Et quis templi locus fuerit, quem ingrediendi ſoli huic Jacobo jus & poteſtas fuerit? ut alia taceamus. Nec majoris fidei eſt narratiuncula Hieronymi *in catalogo Scriptorum eccleſiaſticorum c. 2.* ubi ex hebraico Nazaræorum evangelio refert, quod Jacobus cum calicem Domini bibiſſet, juramento ſe obſtrinxerit, panem ſe non comeſturum, donec Chriſtum a mortuis excitatum vidiſſet, Chriſtum vero reſurgentem, cum ſindonem ſervo Sacerdotis dediſſet, ad Jacobum iviſſe, & porrecto illi pane dixiſſe: *frater mi comede panem tuum, quia Filius hominis a mortuis reſurrexit.* Quod Jacobi jusjurandum cum ſacra hiſtoria minus congruere animadvertit Eſtius *ad 1. Corinth.*

rinth. XV. p. 380. Et quamvis ex illo epiſtolæ ad Corinthios loco pateat, quod peculiaris revelatio Chriſti reſurgentis Jacobo facta fuerit, apparitio tamen illa non ſtatim facta eſt, cum Chriſtus reſurrexit, ſed poſtquam jam a pluribus quam quingentis fratribus viſus fuerat, quod paulo ante Domini aſcenſionem factum eſt. Nam quod Papebrochius *Tom. VII. Actorum Maji p. 696. 697.* Chriſtum poſt aſcenſionem ſuam & Spiritus S. effuſionem a plus quam quingentis fratribus, & ſingulariter a Jacobo, & paulo poſt iterum ab omnibus Apoſtolis viſum judicat, a nobis non probatur, cum iſtam hariolationem omni fundamento deſtitutum videamus.

XVI. Martyrium ejus deſcribit Hegeſippus apud Euſebium loco ſupra allegato, ubi memorat, Jacobum poſt egregiam de Chriſto confeſſionem editam a Scribis & Phariſæis e faſtigio templi *præcipitatum*, & cum adhuc vitam ageret, & flexis *genibus* pro hoſtibus oraret, lapidibus impetitum, & tandem fullonis fuſte interfectum fuiſſe. Aliter Jacobi mortem deſcribit Joſephus *libr. 20. antiquit. Judaic. c. 8.* ubi refert Ananum Pontificem Maximum poſt Feſti mortem, antequam Albinus ejus ſucceſſor adveniret, concilium convocaſſe, & in eo Jacobum aliosque nonnullos ad lapidationis ſupplicium condemnaſſe. Quam Joſephi narrationem cum Hegeſippo qualitercunque conciliare nititur Ruinartus *in actis Martyrum ſinceris p. 4.* Quod autem Joſephus etiam cauſam excidii Hieroſolymitani, & calamitatum, quæ Judæis acciderunt, Jacobi hujus ſupplicio imputaverit, etſi Euſebius *libr. 2. hiſt. eccleſ. c. 23.* Origenes *libr. 1. contra Celſum p. 35.* &

& *libr. 2. c. 69.* item *in commentar. ad Matthæum p. 223. edit. Huetianæ*, Hieronymus *in catalogo Scriptorum ecclesf. c. 2. & 13.* & *lib. 1. adv. Jovinian.* aliique id a Josepho scriptum asserant, falsum tamen deprehenditur, cum Josephus hoc tantum dicat, quod Anani factum omnibus bonis in civitate Hierosolymitana agentibus vehementer displicuerit.

XVII. Tantæ sanctitatis in populo fuisse hunc Jacobum, ut fimbriam vestimenti ejus certatim attingere cuperent, refert Hieronymus in commentario epistolæ ad Galatas. Memoria ejus celebratur una cum Philippo d. 1. Maji quo die cum Henschenius primum de Philippo egisset, postea de Jacobo Apostolo Filio Alphei Martyre Ostracinæ, & de Jacobo Fratre Domini & primo Episcopo Hierosolymitano agit. Etsi enim non pauci Jacobum Minorem Alphæi Filium cum Jacobo Fratre Domini & Episcopo Hierosolymitano eundem faciant, ut Pearsonius *ad Acta Apostol. p. 57.* Basnagius *exercit. ad Baronium p. 506.* & ipse Baronius *ad A. C. 44.* Petavius *libr. 1. de hierarch. c. 7.* & alii, quorum sententiæ favent ex antiquis Scriptoribus Clemens Alexandrinus apud Eusebium *libr. 2. hist. eccles. c. 1.* & Hippolytus *in libello de 12. Apostolis:* non desunt tamen, qui Jacobum fratrem Domini & Episcopum Hierosolymitanum a Jacobo Alphæi distinguendum esse putant, ut Blondellus *in Pseudo-Isidoro p. 30.* M. Antonius de Dominis *libr. 2. de Republ. eccles. c. 2. thes. 21. seqv.* Osiander *in historia ecclesiastica secul. I. libr. 2. cap. 33.* Valesius *in notis ad Eusebium*, Hammondus *in dissertationibus de jure Episcopatus*, & Combefisius *in notis ad*

LII Hie-

Hippolyt. de 12. Apostol. Tom. II. auctarii novi BB. PP. pag. 840. seq. ubi pro hac sententia allegat non solum Clementem Romanum in Recognitionibus & Constitutionibus apostolicis, sed etiam Gregorium Nyssenum *orat. 2. de pascha*, Hegesippum, cujus tamen verba non ita clara esse viri docti observant, Epiphanium *in hæresi Collyridianorum*, Chrysostomum *homil. 33. in c. 10. Matthæi*, Græcos in Menologio d. 9. Octobris, Syros item & Æthiopes, qui memoriam Jacobi Alphæi, & Jacobi Fratris Domini distinctis diebus celebrant, Nicephorum, Anastasium Bibliothecarium, Bedam Venerabilem & alios.

XVIII. Hanc igitur sententiam, quæ Jacobum Fratrem Domini non minus a Jacobo Alphæi, quam a Jacobo Zebedæi distinguit, approbat etiam Henschenius in actis Sanctorum, & primum *quidem de* Jacobo Alphæi Apostolo agit observans, *quod* nonnulli Patres eum Matthæi Publicani fratrem, & ipsum quoque Publicanum ante suam ad Apostolatum vocationem fuisse statuerint. De eodem ex Synaxario quodam Græco refert, quod cum multos ad Christianam fidem converteret, a Judæis varias insidias passus, tandemque captus & cruci affixus fuerit, & ex Nicephori *libr. 2. hist. eccles. c. 40.* quod Gazæ & Eleutheropoli & in vicinis civitatibus evangelium prædicaverit, postea ad Ægyptios & extremam eorum regionem perveniens tandem Ostracinam adierit, & cruci ibi affixus fuerit. In Scriptura autem de Jacobo Alphæi, perinde ut de Simone Zelota & Bartholomæo, præter nudum nomen nihil plane memorari putat. Postea etiam Jacobi Fratris

tris Domini vitam & martyrium recenſet, & varias rationes colligit, cur hic Jacobus a Jacobo Alphæi diſtingui debeat. Verum paulo ante notavimus, quod Jacobus Alphæi ab ipſo Paulo Frater Domini dicatur Gal. I, 19. Certe eundem Jacobum, quem Fratrem Domini dicit, unum ex duodecim Apoſtolis fuiſſe inſinuat, qualis & Petrus fuit & Johannes, quibus Paulus Jacobum tanquam tertiam Apoſtolici Collegii columnam in eadem epiſtola c. II, 9. adjungit. Non ergo fingendus eſt Jacobus aliquis Frater Domini ab Apoſtolis primi ordinis diſtinctus. Cum autem Apoſtoli non certæ alicujus urbis Epiſcopi, ſed totius orbis Doctores fuerint, colligi inde poteſt, quod Jacobus Hieroſolymitanæ eccleſiæ Epiſcopus proprie non fuerit, quicquid veteres nonnulli de ejus ordinatione ad hunc epiſcopatum tradiderint, etſi certo modo Hieroſolymitanæ eccleſiæ Epiſcopus fuerit, quatenus nimirum per tempus bene longum in urbe Hieroſolymitana apoſtolico ſuo munere functus eſt, qua ratione & reliqui Apoſtoli omnium illarum regionum & urbium, quas doctrina ſua illuſtrarunt, Epiſcopi fuerunt. Unde Junius diſtinguit inter vocem Epiſcopi vel abſolute & communiter, vel relate & ſingulariter acceptum. Apoſtolos abſolute & communiter Epiſcopos fuiſſe dicit, quia citra reſpectum certi alicujus loci vocati ſunt, non relate & ſingulariter, etſi propter ordinem & commoditatem eccleſiarum quisque in hoc vel illo terrarum tractu, & quaſi ſorte ad tempus ſive longius ſive brevius munus ſuum apoſtolicum adminiſtraverit,

quam Junii distinctionem approbat Burmannus *disput. 7. de Apostolis p. 156.* Quæ æquivocatio si observetur, opus non erit, ut cum Dannhauero *in Christeide p. 113.* & aliis Jacobum Episcopum Hierosolymitanum eam ipsam ob causam, quia Episcopus fuit, ex numero 12. Apostolorum excludamus, cum *moraliter incompossibilia sint*, ut verbis Dannhaueri utamur, *sedentarius & cursor; Episcoporum institutor & formaliter Episcopus; Apostolus ex officio præco orbis, & pastor certo loco affixus.* Hæc enim objectio facile solvi potest, si inter Episcopum univoce & æquivoce dictum distinguamus. Quam solutionem ipse Dannhauerus in objectione sua tacite suppeditat, cum probaturus Jacobum Episcopum Hierosolymitanum a duobus Jacobis Apostolis distinguendum esse ita argumentatur: *nullus Episcopus univoce dictus est Apostolus univoce dictus.* Subsumo ergo, nihil obstare, quo minus Jacobus, qui non univoce, sed æquivoce tantum Episcopus Hierosolymitanus fuit, Apostolis univoce dictis accenseatur. Nihil hic de aurea Jacobi bractea iterum dicerem, de qua c. IV. th. 26. nonnihil dixi, nisi mihi fatendum esset, quod me ibi memoria fefellerit, cum scripsi, quod Hieronymus *in comment. epistolæ ad Galat.* Jacobi bracteam auream & in fronte collocatam fuisse prodiderit. Nihil enim in illo commentario de aurea Jacobi bractea in fronte collocata legitur, etsi Hieronymus *in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum c. 45.* ex Polycrate de Apostolo Johanne referat, quod auream laminam in fronte portaverit.

XIX. Ja-

XIX. Jacobum hunc Minorem ſeu Alphæi autorem eſſe epiſtolæ, quæ inter ſeptem Canonicas vel Catholicas legitur, plerorumque Veterum & recentiorum eſt ſententia, probabilior utique quam illa Lucii Dextri, Caſparis Sanctii, & quorundam aliorum, qui Jacobo Majori hanc epiſtolam adjudicare malunt, cum tamen Jacobus Major ſub initium prædicati evangelii e vivis ſublatus fuerit, epiſtola autem hæc poſt evangelium longe lateque diſſeminatum ſcripta videatur; probabilior etiam quam illa Magdeburgenſium Centuriatorum, qui hanc epiſtolam non ab Apoſtolo aliquo, ſed a quodam Apoſtolorum diſcipulo ſub finem primi ſeculi, aut inferiori tempore ſcriptam eſſe aſſerunt *Centur. 1. libr. 2. c. 4. p. 54.* etſi non diffitendum ſit, quod etiam ipſe Lutherus in præfatione ſua hanc epiſtolam ſtramineam dixerit, & ab Apoſtolo ſcriptam negaverit, cui ſententiæ ſub initium reformationis non pauci noſtratium Theologorum ſubſcripſerunt. Neque tamen Pontificii ob hanc cauſam in Lutherum & Lutheranos immoderate invehi debebant, cum jam in primitiva eccleſia nonnulli de auctore & autoritate hujus epiſtolæ dubitaverint, nec Lutherani hodie amplius ſingularem illam Lutheri ſententiam tueantur, ſed eum humani aliquid paſſum eſſe candide fateantur.

XX. ANDREÆ vitam, res geſtas & beatam memoriam magno volumine, quod inſcribitur: *Andreas Frater Simonis Petri, ſeu de gloria S. Andreæ Apoſtoli libri 12.* complexus eſt Andreas du Sauſſay, & A. 1656. Pariſiis vulgavit. Brevius de Andrea egit Johannes Florianus Hammerſchmid in tractatu qui inſcribitur:

tur : *Cruciger Apostolicus i. e. S. Andreas Apostolus in vita, morte, martyrio, miraculis, encomiis &c. descriptus & propositus Pragæ A. C. 1699.* Huic Apostolo conversionem suam tribuunt Rutheni apud Hottingerum *topograph. p. 37.* Ab eodem Apostolo Stachyn Episcopum Constantinopolitanum constitutum fuisse asserit Synodus Græcorum Hierosolymitana A. 1672. sub Patriarcha Dositheo adversus Calvinistas celebrata, & a Monacho quodam Benedictino Parisiis 1678. græc. & lat. edita p. 253. quod etiam jam pridem asseruerunt Dorotheus *in Synopsi*, Nicephorus Constantinopolitanus *in chronographia compendiaria p. 412.* Philippus Cyprius *in chronico ecclesiæ græcæ p. 1.* & alii. Ab Ægea Præfecto Edessenorum Andream tandem cruci affixum tradit Sophronius in catalogo Virorum illustrium. Qualis autem crux Andreæ fuerit videri potest *apud Lipsium de cruce libr. 1. c. 7.* Molanum *libr. 3. histor. imagin. c. 57.* & Combefisium in notis ad Hippolytum de 12. Apostolis, ubi observat, quod Hippolytus Andream Patris in Achaja in olea arbore rectum cruci affixum tradiderit, unde colligi posse notat, falsa esse, quæ de cruce Andreæ decussata tradi solent, etsi vulgo pictores supplicium Andreæ in cruce decussata repræsentare soleant, & ob hanc traditionem crux decussata Andreana dici consueverit.

XXI. MATTHÆI res admodum obscuras & incertas esse Combefisius *in auctario noviss. BB. PP. græc. lat. pag. 497.* queritur, & mallet Apostolorum gesta pie ignorari, quam religioni ullam mendacii quamvis officiosi suspicionem fictis narrationibus aspergi. Ejus-

Ejusmodi fictæ narrationes dubio procul ſunt, quæ a Nicephoro *libr. 2. hiſtor. eccleſ. c. 41.* & nonnullis aliis Scriptoribus de Matthæo recenſentur. Heracleon apud Clementem Alexandrinum *libr. 4. ſtromat. p. 366.* de Matthæo refert, quod æque ac Thomas, & Philippus, & Levi extra martyrium obierit. Ex quo loco Hugo Grotius *in annotat. ad Matthæum cap. 9.* contra vulgarem ſententiam diſputat, quæ Matthæum, & Levi Marc. II, 14. & Luc. V, 27. memoratum pro eodem agnoſcit. Nec alienus eſt a Grotii ſententia Dannhauerus *in Chriſteid. p. 110.* Calovius autem in bibliis illuſtratis aliter ſtatuit. Certe circumſtantiæ ab Evangeliſtis deſignatæ Matthæum & Levi eundem perſuadere videntur. Neque locus Clementis Alexandrini obſtat. Dubitari enim adhuc poteſt, an Clemens Alexandrinus Matthæum a Levi diſtinxerit, quia forte librariorum vitio nomen Levi pro Lebbæi nomine irrepſit, ut ſuſpicatur Dodwellus *diſſert. 1. ad Irenæum pag. 44.* De Evangelio Matthæi alibi diximus. Nunc tantum addimus, Joſephum Antonium Gonſalez de Salas *in Mantiſſa ad tractatum de duplici terra viventium ſect. 3. p. 150.* ſatis abjecte de Matthæi evangelio ſcribere, quod a Judæis ad Gentes abiturus in ipſo profectionis procinctu evangelium ſuum velut feſtino & properato opere Judæis reliquerit, nihil penſi habens, qua rerum digeſtione, aut quo ordine geſta Domini exprimeret, ſed potius, quæ memoria ſuggereret, illico ne laberentur, literis conſignans, quaſi vero Viri θεόπνευστοι, qualis Matthæus fuit, non quæ Spiritus S. ipſis in calamum dictavit, ſed quæ ipſis memoria ſuggeſſit, confuſa quadam ſe-

festinatione in literas retulerint, quod quam a veritate & sacrarum literarum majestate alienum sit, non opus est, ut pluribus doceamus.

XXII. THOMÆ historiam prosecutus est Thomas Stapletonus in tractatu de tribus Thomis, nempe Thoma Apostolo, Thoma Cantuariensi Episcopo, & Thoma Moro Angliæ Cancellario Colon. Agrip. 1612. edito. A majoribus acceptum tradit Eusebius *libr. 3. hist. eccles. c. 1.* quod cum Apostoli in totum terrarum orbem evangelii prædicandi causa dispergerentur, Thomas Parthiam sortitus fuerit. Sophronius in catalogo Parthis Medos, Persas, Germanos, Hircanos, & alios populos addit, tandemque Thomam in *Indiæ* civitate Calamina obdormivisse refert. Eadem leguntur in Hippolyti libello de duodecim Apostolis, qui Thomam in quatuor corporis sui partibus *abietina* lancea confossum addit. Eorum autem, *qui Thomam* peremerunt, posteri adhuc superesse, & ingenti pedum crassitie præ aliis hominibus notabiles esse perhibentur. Quæ Osorius, & Athanasius Kircherus in China illustrata, de Thomæ gestis in India retulerunt, ad examen vocat Basnagius *exercit. contra Baron. pag. 498.* Quorsum etiam pertinent, quæ contra traditionem de evangelio per Thomam in India prædicato disputat Dallæus *de cult. relig. obj. libr. 5. c. 6.* & Witsius *Miscellan. sacr. tom. 2. p. 447. & seq.* ubi ostendere conatur, ex Thomæ historia probari non posse, quod Evangelium Americanis per Apostolos prædicatum fuerit. Nec inficiamur incertæ esse & dubiæ fidei, quæ extra evangelicam historiam de Thoma passim referuntur. Interim suffi-

ſufficit ex Scriptura certum eſſe, quod Apoſtolorum temporibus evangelium omni ſub cœlo creaturæ prædicatum fuerit Coloſſ. I,23. Videantur quæ ſupra *cap. III. ſect. 4. theſ. 12. p. 193. & ſeq.* dicta ſunt.

XXIII. PHILIPPUS Apoſtolus a Philippo Diacono & Evangeliſta, cujus in Actis apoſtolicis mentio occurrit, diſtinguendus, juxta Adonem in libello de feſtivitatibus Apoſtolorum, cum omnem pæne Scythiam ad fidem convertiſſet, Diaconibus, Presbyteris & Epiſcopis ibi conſtitutis in Aſiam reverſus multasque Chriſto animas lucratus Hierapoli obdormivit. Rabanus & Notkerus in ſuis Martyrologiis referunt, quod Ebionitarum hæreſin extinxerit. Quod idem Philippus in Scythia Martis ſimulacro dejecto crucem erexerit, & venenoſum Draconem exterminaverit, narrat Maurolycus, qui etiam hunc Apoſtolum ab Ebionitis apud Hierapolin cruci affixum, & lapidibus obrutum memorat. Quod martyrii genus etiam in Martyrologio Romano exprimitur, ubi tamen nulla Ebionitarum mentio facta eſt. Contigit autem Philippi martyrium ſub Domitiano, ut Hippolytus teſtatur. Singularem Philippi erga ſe favorem celebrant Hiſpani, quia gentiles illos, quorum deſideria Chriſtum videndi Philippus & Andreas Chriſto nunciarunt, ut refert Evangeliſta Johannes XII, 20. ſeq. Hiſpanos fuiſſe credunt, & ex Dextri chronico id ſatis ſe probare poſſe confidunt. Antequam a Philippo abeamus, illud adhuc addere placet, quod Synaxarium aliquod græcum & Menæa Græcorum Philippo cælibatum falſo tribuant. Antiquiſſi-

Mmm mus

mus enim secundi seculi Scriptor Polycrates in epistola ad Victorem apud Eusebium *libr. 3. c. 31. & libr. 5. c. 24.* nec non Hieronymum *in catalogo Scriptorum eccles. c. 45.* & Nicephorum *libr. 4. hist. eccles. cap. 36.* tres Apostoli Philippi filias commemorat. Ab iisdem Philippi filiabus historiam de mortuo quodam ad vitam excitato accepit Papias Hierapolitanæ ecclesiæ, in qua Philippus Apostolus obiit, Episcopus, qui itidem ut Polycrates secundo seculo floruit, & ex cujus scriptis Eusebius *lib. 3. hist. eccles. c. 39.* illarum Philippi Apostoli filiarum mentionem denuo facit. Confirmat Philippi conjugium Clemens Alexandrinus *libr. 3. stromatum*, qui tamen in eo a Polycrate differt, quod Philippi filias elocatas tradit, quas Polycrates in virginitate consenuisse tradit. Non possum autem non hoc loco malam Christophorsoni fidem in Eusebii versione memorare. Cum enim in Polycratis epistola apud Eusebium Philippus ille, cui tres filiæ a Polycrate tribuuntur, in græco textu expresse dicatur fuisse ex numero τῶν δώδεκα Αποστόλων, Christophorsonus verba Polycratis ita vertit: *Philippum dico unum ex septem Diaconis.* Videatur editio Scriptorum historiæ ecclesiasticæ Genevensis anni 1612. quæ græco Eusebii textui Christophorsonianam versionem adjungit p. 75. & iterum pag. 145. Alioqui certum est, quod etiam Philippus Diaconus & Evangelista uxoratus fuerit, & filias quatuor virgines habuerit, ut acta apostolica testantur XXI, 8. 9. Nec opus est, ut cum Dodwello *differt. 1. de Irenæo* a Polycrate Philippum Apostolum cum Philippo Evangelista confusum fuisse dicamus. Cæterum non raro duos

hos

hos Philippos confundi notat Cotelerius *ad Constitut. apostol. lib. 6. c. 7. p. 334.*

XXIV. BARTHOLOMÆUM eundem esse cum Nathanaele non improbabilis est Cavei sententia. Matthæus enim, Marcus, & Lucas nusquam Nathanaelis, Johannes autem nusquam Bartholomæi meminit. A Johanne Philippus Nathanaeli jungitur ratione accessus ad Christum & primæ vocationis, & reliqui etiam Evangelistæ in catalogo Apostolorum Philippum & Bartholomæum conjungunt. Accedit quod in visione Christi ad lacum Tiberiadis, quam Johannes capite ultimo describit, Nathanael in medio reliquorum Apostolorum recensetur. Forte igitur nomen proprium hujus Apostoli fuit Nathanael, & Bartholomæus nomen patronymicum. Bartholomæus enim idem est ac filius Ptolomæi, ut observat Possinus in spicilegio ad catenam Græcam in Marcum *pag. 379.* ubi simul fatetur, sibi a Fabricio Pignatello in erudita de hoc argumento dissertatione dudum persuasum esse, quod Apostolus Bartholomæus idem sit, qui a Johanne Nathanael dicitur. Edidit enim Pignatellus Parisiis A. 1660. tractatum de Apostolatu B. Nathanaelis Bartholomæi. Ejusdem argumenti tractatum vulgavit Johannes Roberti cujus Nathanael Bartholomæus, seu demonstratio, qua probatur, Nathanaelem esse Bartholomæum Apostolum, Duaci A. 1619. prodiit. Si autem Nathanael non idem est cum Bartholomæo dicendum est, Evangelistas præter solum nomen nihil plane de hoc Apostolo memorasse. Interim apud Scriptores ecclesiasticos varia de hoc Apostolo referuntur, & in-

ter alia, quod hebraicum Matthæi evangelium ad Indos detulerit, quod postea Pantænus Alexandrinus Catecheta, cum in Indiam penetravit ibi reperit, ut narrat Eusebius *libr. 5. hist. eccles. c. 10.* qui tamen ex incerto rumore hanc relationem haustam indicat, cum ait: *λέγεται.* Theodorus Studita in sermone de Bartholomæo, quem Anastasius Bibliothecarius latine reddidit, & Dacherius tomo 3. sui Spicilegii vulgavit, inter alia refert de Bartholomæo, quod Lycaoniæ verbum vitæ prædicaverit, dehinc Indiæ evangelizaverit, ad ultimum in Armenia majori & quidem in urbe Albano, postquam multa & intolerabilia tormenta subiit, ab impiis cute detracta excoriatus, & capite plexus, & corpus ejus tandem Beneventum delatum fuerit.

XXV. SIMON Cananæus vel Zelotes *juxta* Nicephorum *libr. 2. c. 40. histor. eccles.* in *Ægypto*, Cyrene, Libya, & insulis Britannicis evangelium prædicavit. Eum in nuptiis Cananæis, quibus Christus interfuit, Sponsum fuisse idem Nicephorus *libr. 8. hist. eccles. c. 30.* asserit. Eundem Simonem e secta Zelotarum fuisse, antequam a Christo vocaretur, suspicatur Scaliger *in elencho trihæresii c. 1.*

XXVI. JUDAS cognomento Thaddæus vel Lebbæus non ore tantum, sed & calamo Christi regnum amplificare studuit. Superest enim adhuc inter septem epistolas canonicas ejus epistola, quam in primitiva ecclesia non ab omnibus receptam fuisse Eusebius testatur. Offendit enim nonnullos, quod liber apocryphus Enoch in ea allegetur, ut Hieronymus *in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum c. 4.* indicat, ubi addit:

dit: *tamen autoritatem vetuſtate jam & uſu meruit, & inter ſacras Scripturas computatur.* Hugonem Grotium, qui Autorem pariter & autoritatem hujus epiſtolæ in dubium vocat, refutat Simonius *in Critica N. T. c. 17.* & plenius Calovius. Quæ Centuriatores Magdeburgenſes autoritati hujus epiſtolæ objiciunt, ad examen vocat & refutat Coccejus *in commentario ad hanc epiſtolam p. 7.* Abſurde autem Bolducius in commentario epiſtolæ Judæ cenſet, Judæ epiſtolam, ante omnes alias Apoſtolorum epiſtolas, Jacobi excepta, ſcriptam eſſe. Jacobi enim epiſtolam inter ſcripta novi Teſtamenti omnium primum eſſe judicat, & epiſtolam Judæ temporis ordine ſecundum, cum tamen ſi epiſtolam Judæ cum Petrinis & Paulinis conferamus, non difficulter appareat, quod poſt Paulinas & Petrinas ſcripta ſit. Certe in v. 17. & 18. non obſcure ad ea reſpicit, quæ Petrus in poſteriore epiſtola c. III, 3. ſcripſit.

XXVII. JUDÆ ISCARIOTÆ vitam prolixe exponit Theophilus Raynaudus in tractatu, quem Lugduni in Gallia 1634. edidit, & inſcripſit: *Metamorphoſis latronis in Apoſtolum, Apoſtolique in latronem, ſeu: peſſimæ vitæ finis optimus, & optimæ vitæ finis peſſimus.* Quemadmodum enim in prima hujus tractatus parte prolixe egit de altero latronum cum Chriſto crucifixorum, qui pœnitentia acta in paradiſum ſuſceptus eſt: ita alterum hujus tractatus tomum Judæ Iſcariotæ impendit, ubi de ejus nomine, cognomine, patria, natalibus, apoſtolatu, loculorum procuratione a Chriſto ipſi demandata; infidelitate & hæreſi, mendacitate, doloſitate, detractione, murmuratione, ſuſurratio-

ne, & aliis verborum sordibus, de proditionis pacto, de igneis carbonibus super ejus caput a Christo in ultima cœna congestis, de causa efficiente sceleris a Juda concepti, de horribili proditionis executione, de mercede iniquitatis Judæ persoluta, & mox ab eo restituta, & ad peregrinorum requiem collata, de infami Judæ letho, de insanis Judæ apud aliquos elogiis, de Judæ sectatoribus & asseclis, nec non de nonnullis Judæ typis agit, tandemque varias doctrinas theoreticas pariter & practicas ex Judæ historia collegit. Brevius de Juda egit Dorscheus in oratione lectu dignissima, cui titulus: *Theologus latro.* De mortis genere, quo Judas periit, variæ occurrunt sententiæ Veterum pariter & recentiorum, Casauboni, Heinsii, Grotii, Salmasii, Pricæi, Lightfooti, quorum aliorumque judicia censuræ suæ subjicit Gronovius in exercitationibus *academicis de* pernicie & casu Judæ Lugduni Batav. 1683. editis, in quibus asserit, loca Matthæi XXVII, 5. & Actorum I, 18. ita optime conciliari posse, si dicatur Judam laqueo sibi gulam fregisse, idque Matthæum indicare, corpus autem ejus in voraginem ejusmodi cadaveribus destinatam, & eminentibus hinc inde saxis asperam, præcipitatum, & hac præcipitatione ruptum fuisse, idque a Petro in Actis prodi. Aliter de morte Judæ statuerat Gulielmus Saldenus *libr. 2. ot. theolog. exercit. 8.* quæ de Juda agit. Cum igitur otia sua jam editurus in Gronovii exercitationes incidisset, ejusdemque dissensum a sua & Pricæi, quam in otiis suis tanquam optimam elegerat, opinione observasset, in præfatione nonnulla contra Gronovianas exercitatio-

tio-

tiones monere non omisit. Fusius Gronovianas exercitationes impugnavit Joachimus Fellerus, Poeseos quondam in nostra Academia Professor, in epistola quam Lipsiæ 1687. sub Francisci Dermasii nomine vulgavit. Utrique nempe Saldeno pariter & Dermasio acerbe respondet Gronovius in legitima & perspicua, quam vocat, defensione, quam novæ suarum de nece Judæ & cadaveris ignominia exercitationum editioni A. 1702. Lugduni Batavorum adjicere voluit. Cum vero in hac defensione etiam non intacta reliquerit, quæ Jacobus Perizonius in notis ad Ælianum de voce ἀπάγχεσθαι, qua Matthæus de Juda usus est, observaverat, hinc nata Perizonio occasio non solum suas in Ælianum notas vindicandi, sed etiam loca Matthæi & Petri, quibus tragicus Judæ proditoris exitus describitur, accuratius expendendi. Id fecit in dissertatione de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι, quæ A. C. 1702. Lugduni in Batavis prodiit. Hinc ulterius natæ tam Gronovii notitia & illustratio dissertationis nuperæ de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι, quam Perizonii responsio ad notitiam nuperam, quæ scripta Lugduni Batavorum A. C. 1703. lucem aspexerunt. Fuerunt inter Græcos, qui existimarunt, Judam, cum sciret Christi ad inferos adventum, & inde omnium salutem futuram, suspendio suo Christi mortem prævertere voluisse, ut inde postmodum a Christo salvus educeretur. Sententiam hanc refert apud Allatium *in tractatu de libris ecclesiasticis Græcorum* Glycas sive Zonaras ep. 56. qui tamen hanc sententiam improbat & refutat, cum Judas scire potuerit, apud inferos non esse pœnitentiæ lo-

locum, nec quisquam rationis compos talia de Juda præsumere valeat, quem de sua salute desperasse constat. Et hæc ipsa desperatio Judæ fuit inter ejus peccata omnium maximum. Unde Augustinus sermon. 352. de utilitate agendæ pœnitentiæ, *Judam*, inquit, *traditorem non tam scelus, quod commisit, quam indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.* Similia apud Hieronymum ad Psalmum 108 (Hebr. 109.) & alios leguntur. Si autem Judas desperando magnum peccatum commisit, non difficulter inde colligi potest, Divinæ Gratiæ fores Judæ usque ad mortem patuisse. Si enim Judæ omnis Gratia ante mortem præclusa fuisset, nec Deus amplius voluisset, eum, quoad viveret, pœnitentiam agere, & gratiam consequendi media amplecti, desperatio ejus divinæ voluntati conformis fuisset, nec pro peccato haberi posset. Quod absurdum nisi admittere velimus, necesse est, ut terminum salutis peremtorium ante mortem fixum pro mero figmento habeamus.

XXVIII. MATTHIAS in locum Judæ proditoris ad apostolatum per sortem electus, ubi evangelium prædicaverit, quæ miracula vivus & mortuus fecerit, quo mortis genere martyrii palmam adeptus fuerit, ubi ejus corpus & aliæ reliquiæ hodie supersint, prolixe recensetur in actis Sanctorum Bollandi & Sociorum d. 24. Februarii, e quibus pleraque hausit Johannes Florianus Hammerschmid, in tractatu, cui titulum fecit: *Senator Apostolicus loco Judæ electus undecim Apostolis annumeratus, Sanctus Matthias Apostolus in Apostolatus electione, vita, morte, martyrio, encomiis*

is &c. descriptus, in lucem publicam expositus. Verum pleraque, quæ de Matthia traduntur, si ejus electionem ad Apostolatum excipiamus, vel incerta sunt, vel manifeste fabulosa. Ex traditionibus Matthiæ suppositis nonnulla excerpit Clemens Alexandrinus *libr. 2. & 7. Stromatum.* Evangelii Matthiæ suppositi mentionem faciunt Eusebius *libr. 3. hist. eccles. c. 25.* Hieronymus in prolegomenis commentariorum ad evangelium Matthæi, Ambrosius sub initium sui ad Lucam commentarii, aliique.

XXIX. Tandem & PAULUS ad apostolicum munus divina vocatione adscitus est, cujus vitam magno volumine in 15. libros distributo, & Lugduni A. 1637. edito complexus est Thomas Massutius Jesuita. Copiose etiam de Paulo egit inter Reformatos Hermannus Witsius in suis de vita & rebus gestis Apostoli Pauli prælectionibus, quæ in ejus Meletematibus Leidensibus primum locum occupant. In illis prælectionibus de natalibus Pauli & vita in judaismo, de ejus vocatione ad christianismum & apostolatum, de rebus ejus gestis usque ad Synodum Hierosolymitanam, de Synodo Hierosolymitana, & quæ proxime post illam Antiochiæ consecuta sunt, de rebus Pauli in Macedonia, Athenis, Corinthi, & Ephesi gestis, de novissimo ejus itinere Hierosolymitano, & vinculis in Judæa, de navigatione ejus Romam versus instituta, & vinculis, quæ Romæ passus est, de ejus prosopographia, dotibus, cœlibatu, & denique de scriptis Paulo suppositis egit, nempe de ejus Adscensione seu ἀναβατικῷ, Apocalypsi, Actis Pauli & Theclæ, epistolis ad Senecam, & epistola

ad Laodicenses. Poterat his Pauli pseudepigraphis addere tertiam Pauli ad Corinthios epistolam, quam in lingua Armena scriptam se vidisse refert Gregorius *præfat. notar. ad loca quædam S. S. pag. 2760.* item scriptam sub Pauli nomine fabulosam narrationem de exorcismo viperarum a Michaele Archangelo per somnium sibi revelato, cum post naufragium in littore Melitensi vipera ex sarmentis prorumpens in manum ejus prosiluisset, quæ narratio MSCta extat in bibliotheca Vindobonensi, unde & titulum & exordium transcripsit Lambecius *Tom. V. p. 103.*

XXX. Genuinis Pauli scriptis non immerito accensetur epistola ad Hebræos, quam Spanhemius in suis de autore epistolæ ad Hebræos exercitationibus a Paulo scriptam esse egregie demonstravit. Hebraice hanc epistolam vertit Fridericus Albertus *Christianus* Judæus conversus, sed postea ad vomitum reversus, cujus versioni præfationem aliquam addidit celeberrimus Carpzovius, in qua falsum esse probat, quod nonnulli veteres & recentiores tradiderunt, nempe hanc epistolam ab ipso Paulo hebraice, vel Syriace primum scriptam, & postea vel a Luca, vel ab alio in Græcam linguam conversam fuisse. In eadem præfatione dubitat, an unquam Sebastianus Munsterus epistolam ad Hebræos hebraice ediderit, cum Munsterus hebraicum Matthæi evangelium edens in titulo quidem posuerit: *una cum epistola D. Pauli ad Hebræos hebraice & Latine*, epistola autem hæc Paulina in Munsteriana Matthæi hebraici editione non inveniatur, neque in editione majoris formæ, seu in folio, ut loquuntur, neque in edi-

editione minoris formæ, seu in octavo. Mihi ad manus est hebraicum Munsteri evangelium in folio, in quo exemplari ne titulus quidem hebraicam ad Hebræos epistolam promittit. Quicquid autem sit de Munsteriana epistolæ ad Hebræos hebraicæ editione, quam nonnullis visam non dubito, &, nisi me omnia fallunt, ipse quoque aliquando vidi, id certum est, ab ipso Paulo hebraice epistolam ad Hebræos scriptam non fuisse. Unde Millius, cum in prolegomenis ad N. T. eos refutasset, qui epistolam ad Hebræos a Paulo scriptam negant, eorum opinionem longe magis futilem esse censet, qui hanc epistolam a Paulo quidem, sed hebraice scriptam existimant. Scriptam autem esse hanc epistolam a Paulo putat Millius A. C. 63. post liberationem e prima Romana captivitate. Eundem calculum tenet Pearsonius in annalibus Paulinis, in quibus & gesta Pauli, & epistolas ab ipso scriptas, juxta annorum ordinem recenset, quod etiam factum a Lightfooto in chronico temporum & ordine textuum Novi Testamenti.

XXXI. Fuisse Paulum Hierosolymis ad pedes Gamalielis informatum juxta accuratiorem rationem paternæ legis ex Actis apostolicis constat Act. XXII, 3. Quod vero Paulus, antequam Christo nomen daret, etiam a Gamaliele Presbyteratus dignitatem acceperit, non perinde constat, etsi Seldenus *libr. 1. de Synedriis c. 14. p. 569. 570. & libr. 2. c. 7. th. 7. p. 314.* de eo dubitandum non videri judicet. Mentionem non quidem apertam sed tectam tamen Apostoli hujus in Talmude & aliis Hebræorum scriptis fieri, probat Altingius *in Schiloh libr. 4. c. 26. 27. & 28.* Putat enim latere Paulum sub Samuelis nomine, qui juxta Ganzium *in Zemach.*

mach David edit. Vorst. p. 89. coram Gamaliele precationem fecit contra hæreticos, i. e. ut Vorstius in notis explicat, Christi discipulos. Hic ipse Samuel in tractatu Talmudico Berachoth parvus cognominatur, & inter alia de ipso refertur, quod formulam precandi contra hæreticos concinnaverit, & sequenti anno ejus oblitus fuerit, nec quisquam in ea recitanda ipsum juvare potuerit, aut voluerit, cum suspicio fuerit, ne forte ipsum illius orationis pœnituerit. Hæc autem omnia, quæ de Samuele illo Hebræi tradunt, optime in Paulum quadrant, cum & ille Gamalielis discipulus fuerit, & a Præceptore suo odium adversus Christianos imbiberit, idque acerba Christianorum persecutione ostenderit, postea vero hujus adversus Christianos odii ipsum pœnituerit. Convenit etiam utriusque ætas, cum Paulus quo tempore zelo adversus Christianos ardebat, *juvenis* fuerit Act. VII, 58. & Samuel quoque Talmudicus, quo tempore formulam orationis contra Christianos concepit, juvenis fuerit, ideoque parvus cognominetur, quod cognomentum de ætate, non de statura corporis explicandum putat Altingius, etsi etiam, si de statura accipiatur, ad Paulum transferri posset, de quo nonnulli dicebant: *ἡ παρουσία σώματος ἀσθενὴς, præsentia corporis infirma* 2. Cor. X, 10. & cui Nicephorus corpus parvum & contractum tribuit. Adest denique & convenientia nominis. Nomen enim Pauli respondet cognomento Parvi, cum Paulus idem sit ac Parvus. Nomen autem Saulis, quo Paulus itidem gavisus est, Judæi forte ita corruperunt, vel inserta litera *Mem* ex voce *Min*, quæ hæreticum denotat, mutuo accepta, nomen שָׁאוּל in שְׁמוּאֵל mutaverunt. Hæ sunt Altingii

de

de facta Pauli Apostoli in Talmude & Hebræorum scriptis mentione speculationes, quas si quis nimis longe petitas esse judicet, minime refragabimur.

XXXII. De æra conversionis Pauli peculiarem dissertationem vulgavit Spanhemius, cui adjecta appendix de assumto Pauli nomine. Septies eum vincula tulisse asserit Clemens Romanus *in epistola ad Corinthios cap. 5.* ubi etiam eum ad Occidentis terminos venisse ait, per quos terminos aliqui Romam, alii Hispaniam, alii Angliam intelligunt. De Roma Clementis verba explicat Fellus Oxoniensis Episcopus. Sed Pearsonius Episcopus Cestriensis *dissert. 1. de success. prima Pontif. Roman. c. 8. §. 9.* absurdum esse censet, si quis Romam Occidentis terminum esse dicat. Sensum ergo Clementis esse putat, quod Paulus ab Oriente per Asiam longis itineribus in Occidentem, variasque ejus partes ut Illyricum, Italiam & fortasse Hispaniam usque pervenerit, cujus ultimum tractum Vellejus Paterculus extremum nostri orbis terminum appellat. Idem Pearsonius in annalibus Paulinis *p. 20. & 21.* Paulum Hispaniam vidisse omissa dubitativa particula *fortasse* ex hoc ipso Clementis Romani loco probat, & hunc Pauli in Hispaniam adventum Chrysostomi & Theodoreti testimoniis confirmat, quam tamen Pauli in Hispaniam profectionem Basnagius *exercitat. contra Baron. p. 511.* & alii variis argumentis dubiam faciunt. At nec desunt, qui cum Stillingfleto *in orig. Britan. c. 1.* Clementem Romanum per Occidentis terminum Angliam intellexisse arbitrantur. Unde & Usserius *antiquit. Britannic. c. 1. p. 4. edit. in fol.* inter testes, qui Paulum inter pri-

primos Britannorum Apoſtolos numerant, etiam Clementem Romanum allegat.

XXXIII. Paulum Hieroſolymis Pontificis filiam ambiviſſe, ejusque gratia proſelytum factum & circumciſum fuiſſe, poſtea vero, cum ſpe ſua excidiſſet, iratum adverſus circumciſionem & alias legis cerimonias ſcripſiſſe, calumniati ſunt Ebionitæ, & calumniæ illi per fictitios, vel depravatos quosdam Apoſtolorum actus ſpeciem aliquam dederunt, ut Epiphanius *in panario hæreſ. 30.* retulit. Sed non digna eſt illa Hæreticorum calumnia, ut illius refutationi vel verbulum impendamus. Neque etiam immorabimur enodandæ quæſtioni: num Paulus in cœlibatu an in conjugio vixerit? Aliqui prius, aliqui poſterius affirmant, & utraque ſententia Patronos ſuos invenit, tam inter veteres, quam inter recentiores Scriptores, tam *inter Pontificios*, quam inter Reformatos & Lutheranos. Pro conjugio Pauli demonſtrando ante biennium A. C. 1707. Flensburgi prodiit diſſertatio D. Chriſtiani Gottlieb Kochii, qui partim Scripturæ dictis, partim Patrum & recentiorum Doctorum teſtimoniis, Pauli conjugium probare ſatagit. Et inter Patres quidem primo loco occurrit Ignatius, quem in epiſtola ad Philadelphienſes Pauli conjugium aſſeruiſſe cenſet. Verum quid de illo Ignatii loco ſtatui debeat, dixi in præfatione ad lectorem, quam Bibliothecæ Patrum apoſtolicæ ante decennium a me vulgatæ præmiſi, ubi notavi verba illa Ignatii, quibus Pauli conjugium aſſeritur, non legi in genuina Ignatii ad Philadelphienſes epiſtola, cujus editionem Uſſerio & Iſaaco Voſſio debemus, ſed in epi-

ſto-

ſtola ad Philadelphienſes interpolata. De martyrio Pauli c. VI. dictum eſt.

CAPITIS VII. SECTIO VI.

De

LXX. Diſcipulis.

I.

NOn ſolum duodecim Apoſtolos, ſed etiam Septuaginta Diſcipulos Chriſtum tempore ſui miniſterii in Judæam ad prædicandum evangelium emiſiſſe, & miraculorum dono inſtruxiſſe, nec felici ſucceſſu hanc vocationem caruiſſe narrat Lucas X, 1. ſq. Horum Diſcipulorum nomina & fata deſcribere auſus eſt, qui ſub Dorothei Epiſcopi Tyrii nomine Synopſin de LXX. Diſcipulis compoſuit, ſeu potius ſe ea ex Dorotheo exſcripſiſſe fingit. Hanc Synopſin, cum antea latine tantum prodiiſſet, græce & latine multis, quæ in vulgatis exemplaribus deſiderantur, additis A. 1688. chronico Paſchali cum quibusdam aliis Veterum monumentis adjunxit Carolus du Freſne, qui *in notis ad chronicon Paſchale p. 504. & 524.* de autore harum vitarum videatur. Præter hunc conſuli poterit Dn. Cave, qui eodem anno 1688. in hiſtoria ſua literaria *p. 115.* ea græ-

ce

ce & latine publicavit, quæ in latinis exemplaribus omissa fuerant, ubi etiam, quid de hoc autore judicandum videatur, exponit.

II. Nomina LXX. Discipulorum juxta Dorotheum *in Biblioth. Patrum Lugdun. Tom. III. p. 427. seq.* sunt sequentia: *Jacobus Frater Domini, Timotheus, Titus, Barnabas, Ananias, Stephanus, Philippus, Prochorus, Nicanor, Simon, Nicolaus, Parmenas, Cleophas, Silas, Sylvanus, Crescens, Epænetus, Andronicus, Amplias, Urbanus, Stachys, Apelles, Aristobulus, Narcissus, Herodion, Rufus, Asyncritus, Phlegon, Hermes, Hermas, Patrobas, Agabus, Linus, Gajus, Philologus, Olympas, Rhodion, Jason, Sosipater, Lucius, Tertius, Erastus, Phigellus, Hermogenes, Demas, Quartus, Apollos, Cephas, Sosthenes, Epaphroditus, Cæsar, Marcus, Joseph, Artemas, Clemens, Onesephorus, Tychicus, Carpus, Evodus, Philemon, Zenas, Aquila, Priscas, Junias, Marcus, Aristarchon, Pudas & Trophimus.* Hæc nomina si connumerentur, erunt 68. Additur autem in epilogo, posse his etiam Marcum, & Lucam, & Eunuchum Reginæ Candaces annumerari, qua ratione Discipuli 71. erunt. In græco-latina editione, quam Carolus du Fresne chronico Paschali adjunxit, 70. Discipuli numerantur, in quo catalogo Timotheus & Titus, quas latinæ editiones 70. Discipulis annumerant, omittuntur, eorumque loco alii in latinis editionibus omissi substituuntur. Michael autem Uranius in libello paulo inferius memorando duos & septuaginta Christi Discipulos numerat, quorum ultimus Josephus Arimathæus.

III. Cæterum falluntur illi, qui ex hoc Scripto-

re

re vitas 70. Discipulorum se cognoscere posse arbitrantur. Nam nomina illa, quæ septuaginta Discipulis tribuit, ex actis apostolicis & epistolis Paulinis tam imperite corrasit, ut cum legisset, Paulum Philip. IV, 22. quorundam fidelium e domo Cæsaris i. e. Imperatoris Romani meminisse, etiam Cæsarem inter 70. Discipulos retulerit, quemadmodum & Cepham, cujus Paulus aliquoties mentionem fecit, septuaginta Discipulis annumeravit, non animadvertens, sub Cephæ nomine ab Apostolo Paulo non aliquem ex 70. Discipulis, sed Apostolum Petrum intelligi. Idem Scriptor ex Prisca Aquilæ uxore virum fecit, multaque alia inepta tradidit, quorum catalogum texit Blondellus in apologia pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris *p. 104. & seq.*

IV. Non minus inepti sunt Carmelitæ, qui Enochum quendam ordinis sui Sanctulum inter 70. Christi Discipulos numerant, de quo ultra mille & quadringentos annos a Christi tempore nemini quicquam innotuit. Primus testis, quem pro Enocho suo producunt Carmelitæ, est Palæomydorus, qui A. C. 1497. Fasciculum, ut vocat, tripartitum edidit. Lepidum autem est, quod Carmelitæ hunc Enochum de Amathim Episcopum Nicopolitanum inter 70. vel 72. Christi Discipulos ordine septimum fuisse perhibent, forte ut hic Enochus Christi Discipulus Enocho Patriarchæ Veteris Testamenti antediluviano quodammodo responderet, quem Judas in epistola sua septimum ab Adamo dixit v. 14. Ac ne cui Carmelitarum Fratrum scrupulus ex eo nascatur, quod Dorotheus in Synopsi

de vitis 70. Discipulorum nullius Enochi mentionem fecerit, respondet Lezana *tomo 2. annalium suorum, p. 177.* fortasse aliquos ex his Discipulis binomines fuisse, & sic inter ipsos Enochum sub alio nomine latere posse; ut alias Carmelitarum ineptias taceamus, de quibus videatur Janningus in expostulatione pro Actis Sanctorum *thes. 93. & seq.* item in postscripto *thes. 30. & seq.*

V. Unicum adhuc de septuaginta Discipulis addo, nempe prodiisse Smalcaldiæ A. 1589. libellum hoc titulo signatum: *Septuaginta Christi Discipulorum, sive ut nonnulli codices habent, aliisque probatur auctoribus, 72. nominum ἀποσημειώσεις, & curriculi singulorum in Evangelii præconio historiola, & monumentis ecclesiasticis deprompta, ac secundum Dorothei seriem exposita a M. Michaele Uranio.* In hoc libello Uranius errata nonnulla in Dorothei synopsi occurrentia corrigit, & vitas personarum in Dorothei catalogo positarum qualitercunque supplet.

CAPITIS VII.

SECTIO VII.

De *Viris Apostolicis.*

I. Cum

I.

CUm magna Apoſtolorum meſſis eſſet, alios operarios ſibi adjunctos habuerunt, Viros nimirum Apoſtolicos, qui modo ipſorum legati, modo ſocii & comites, modo coadjutores & cooperarii in plantandis & confirmandis eccleſiis, & propaganda cœleſti doctrina egregiam operam navarunt. Talis Vir Apoſtolicus fuit MARCUS, qui etiam unus ex quatuor Evangeliſtis fuit. Inſigne ejus eſt leo, ſicut Matthæo hominis, Lucæ bovis, Johanni aquilæ inſigne tribuitur, de quibus quatuor Evangeliſtarum inſignibus erudita Jacobi Thomaſii diſputatio legi poterit. Autographum hujus evangelii græcum a Venetis, & partem latini a Pragenſibus poſſideri non magis credo, quam quod evangelium Johannis propria ejus manu aureis literis ſcriptum apud Toloſates in eccleſia S. Saturnini ſervetur, quam fabulam perſtringit Hottingerus *ſecul 16. hiſtor. eccleſ. part. 3. p. 103.* Non eſſe hoc Marci evangelium Matthæi epitomen ipſa collatio oſtendit, cum Marcus non eundem cum Matthæo ordinem teneat, & aliqua referat, quæ apud Matthæum non leguntur, ſicut & viciſſim aliqua a Matthæo narrata Marcus plane non attigit. Non minus falſum eſt, quod evangelium ſuum latine ſcripſerit, & Petro dictante illud exaraverit, cum tamen in evangelio ſuo ſcribendo non minus quam cæteri viri Θεόπνευϛοι Spiritus S. Amanuenſis fuerit, eoque immediate dictante illud exceperit. Unde etiam Marci evangelium Petri examinatione & appro-

batione non indiguit, etsi Johannes de la Haye in apparatu suo evangelico, quo ea disquiruntur & illustrantur, quæ de evangelio & Evangelistis tam universe quam sigillatim disputari possunt, hanc Petri examinationem & approbationem inter singularia Marci privilegia retulerit. Specimen sceletomaniæ Pontificiæ circa reliquias SS. Marci & Lucæ Dorscheus edidit, ubi translationem corporis Marci Evangelistæ ab Alexandria Venetias merum commentum esse probat. Idem edidit notisque illustravit relationem Anonymi, qua asserit, Marci Evangelistæ corpus in insula Augia divite Episcopatus Constantiensis quiescere, e bibliotheca Reipublicæ Ratisbonensis studio Eliæ Ehingeri Augustani erutam.

II. Ut inter quatuor Evangelistas duo sunt Apostoli, Matthæus & Johannes, de quibus *sectione* præcedente 5. actum est: ita etiam duo viri Apostolici Marcus, de quo modo dictum est, & LUCAS, quem a Luca Medico Col. IV, 14. memorato diversum esse nonnulli existimant, etsi locus ille Paulinus Eusebio, Hieronymo, aliisque persuaserit, Lucam Evangelistam medicæ artis peritum fuisse, & hanc artem exercuisse, antequam ad curandas hominum animas vocaretur. Certe de alio quodam Luca Pauli comite & familiari nihil constat. Nec solum Medicum, sed & pictorem hunc Evangelistam fuisse vulgo creditur. Verum nec in Scriptura, nec apud antiquos ecclesiasticos Scriptores Lucæ pictoris mentio occurrit. Unde non immerito suspectæ habentur imagines Christi, Mariæ, & Apostolorum, quas Lucas pinxisse perhibetur. Cujusmodi ima-

imagines paſſim jactantur, & in his illa thaumaturgica a Luca, ut traditur, cœpta, & ab Angelis conſummata, quam in nupero jubilæo Clemens XI Pontifex Romanus publicæ venerationi expoſuit. Quam excellens autem in ſpirituali pictura Lucas fuerit, ejus evangelium & Apoſtolorum acta teſtantur. Utrumque illud ſcriptum Theophilo dedicavit, quo nomine quemvis fidelem Chriſti amantem & Deo carum indicari nonnulli ſtatuunt. Vero tamen ſimilius eſt, Theophilum hoc loco certam perſonam, non quidem Theophilum Epiſcopum Antiochenum trium librorum adverſus Autolycum autorem, quod ratio temporis non admittit, alium tamen magnæ dignitatis virum denotare, quippe quem Lucas κράτιστον appellat.

III. BARNABÆ itinera & geſta aliqua in actis apoſtolicis recenſentur. Quæ extra Scripturam a Johanne Marco in actis Barnabæ & aliis referuntur, pleraque dubia ſunt aut falſa. Inter alia Theodorus Lector & alii Scriptores referunt, quod ſub Zenonis imperio cum Barnabæ reliquiis evangelium Matthæi repertum fuerit. Evangelium autem illud hebraicum Matthæi evangelium fuiſſe Sigebertus Gemblacenſis addit, quod probari non poſſe in diſſertatione de Hæreſiarchis ſeculi Apoſtolici & Apoſtolico proximi pag. 79. oſtendi. Quam inepte autem & impie ex illa traditione de Matthæi evangelio cum Barnabæ reliquiis invento Malletus concluſerit Sacras Scripturas in linguas vernaculas non vertendas, neq; Laicorum manibus attrectandas eſſe, notavit Stephanus le Moyne in prolegomenis

ad varia ſacra, ubi Malleto pro impudentiſſima hac aſſertione coram Dei tribunali graviſſimam aliquando rationem reddendam fore cum Antonio Arnaldo pronunciat.

IV. CLEMENS Pauli cooperarius, quem ipſe Paulus Philip. IV, 3. commendat, juxta pleroſque idem eſt cum Clemente Romano, de quo autor libri Pontificalis ſub Anaſtaſii Bibliothecarii nomine editus in vita Petri refert, quod Petrus martyrio jamjam coronandus ipſi injunxerit, ne curis ſecularibus vacaret, ſed orationi & prædicationi inſtaret. Quod Petri teſtamentum tanquam Romanæ cathedræ nimis oneroſum in Anaſtaſii editione malis artibus omiſſum queritur Salmaſius *de primatu Papæ p. 11.* Eadem mala fides commiſſa a Philippo Rondinino Faventino, qui Romæ A. 1706. de S. Clemente Papa & Martyre ejusque baſilica in urbe Roma duos libros publicavit, & Clementi XI. dedicavit. Nam ibi quoque altum occurrit de illa Petri admonitione Clementi data ſilentium. Veritus forte eſt Rondininus, ne hodiernum Clementem ſeu Clementem XI. Romanum Epiſcopum offenderet, qui contra illam Petri admonitionem curis ſecularibus nimis vacat. De martyrio Clementis egi in diſſertatione de Patribus apoſtolicis *theſ. 68.* ubi inter alia notavi, Dodwello narrationes de Clementis martyrio fabuloſas videri, cum nemo veterum ante Rufinum & Gregorium Turonenſem Clementem hunc Romanum martyrem dixerit, & occaſionem martyrium Clementi Romano affingendi dediſſe videatur Clementis confu-

ſio

ſio cum Flavio Clemente Imperatoris Domitiani conſobrino.

V. Tales Viri Apoſtolici fuerunt etiam TIMOTHEUS, cujus vitam peculiari exercitatione illuſtravit Witſius *tom. 2. miſcell. exerc. 16*; TITUS, quem Paulus Cretæ reliquit, ut cœpta a Paulo perficeret & Eccleſiis illius inſulæ de Presbyteris proſpiceret Tit. I, 5; PHILIPPUS Diaconus & Evangeliſta, ita dictus, non quod evangelium literis conſignaverit, ut quatuor Evangeliſtæ ſuperius nominati, ſed quod evangelium Samaritanis aliisque ad quos miſſus eſt, annunciaverit; SILAS Pauli comes ex Actis apoſtolicis notus; SYLVANUS, cujus nomen Paulus in frontiſpicio utriusque ad Theſſalonicenſes epiſtolæ ſuo nomini adjungit, & quem nonnulli eundem cum Sila eſſe ſtatuunt; SOSTHENES, cujus nomen ſub initium prioris ad Corinthios epiſtolæ Paulino nomini adjectum legitur; APOLLOS, de quo Johannis Prideaux concio 3. & 4. videatur; & plures alii, de quorum plerisque, quibus in locis evangelium prædicaverint, parum conſtat. Nec opus eſt, ut inquiramus, quos ſinguli epiſcopatus tenuerint, cum probabile videatur, quod Apoſtolorum more jam hic, jam alibi evangelii ſemen ſparſerint.

CAPITIS VII.
SECTIO VIII.

De
Ecclesiarum quarundam originibus & primis Episcopis.

I.

DE primis ecclesiæ Romanæ Episcopis, & incerta eorum successione supra cap. IV. thes. 6. diximus, notantes, alios Linum, alios Clementem *primum* Petri successorem facere, alios Anacletum eundem cum Cleto, alios a Cleto diversum statuere, adeoque Romanorum Pontificum successionem in prima statim pontis compage corruere. Unde pro instaurando & suffulciendo isto ponte Schelstratenus *antiq. illustr. Tomo I. chronolog. p. 131. seq.* Papebrochius in conatu historico-chronologico ad historiam Pontificum Romanorum, & alii Pontificii multum operæ impendunt, qui tamen oleum & operam perdere videntur.

II. Primos Byzantii Episcopos recenset Dorotheus in appendice synopseos de septuaginta Discipulis a Caveo & Carolo du Fresne edita. In qua appendice primi Byzantii Episcopi nominantur Titus quidam, & Stachys ab Apostolo Andrea Episcopus constitu-

tutus, & Onesimus, cujus Paulus in epistola ad Philemonem meminit, ut cœteros taceam. Facile autem credo doctissimo Caveo, suspicanti Græculum quendam impostorem, quo tempore Byzantina ecclesia cum Romana de prærogativa certavit, hanc Byzantinorum Episcoporum seriem confinxisse, eo consilio, ut ex antiquitate ecclesiæ Byzantinæ pro ejus eminentia & dignitate argumentum aliquod capi posset.

III. Alexandrinæ ecclesiæ origines Eutychius Patriarcha Alexandrinus *Tom. 1. annalium p. 318.* hunc in modum exponit, ut referat, Marcum Evangelistam, cum Alexandriæ versaretur, & forte calcei ejus corrigia rumperetur, ad sutorem nomine Hananiam se contulisse, sutorem autem subula ad perforandum calceum accepta digitum suum perforasse, adeo ut non sine multo dolore multum sanguinis proflueret, submurmuranti autem sutori Marcum dixisse: si credideris in Jesum Christum Filium Dei, digitus tuus sanabitur, & apprehenso ejus digito dixisse: in nòmine Jesu Christi sanus sit digitus tuus, & illo ipso momento sanatum fuisse ejus digitum, nec sanguinem amplius effluxisse, & ab eo tempore Hananiam in Christum credidisse, & a Marco baptizatum fuisse, & ab eodem primum Alexandriæ Patriarcham constitutum fuisse. Hanc Eutychii narrationem, cum cæteris ad institutionem Alexandrini Patriarchatus pertinentibus, ex Eutychii annalibus excerptam seorsim Londini 1643. arabice & latine edidit, notisque suis illustravit Seldenus in Originibus Alexandrinis, quas refutare aggressus est Abraham Ecchellensis in Eutychio vindicato, quem Romæ A. 1661.

publicavit. Præter Eutychium conferri poterit de hoc argumento historia Patriarcharum Alexandrinorum in Chronico Orientali, quod Abraham Ecchellensis ex arabico in latinum sermonem transtulit, & Romæ 1651. evulgavit, in quo chronico historia Marci & constitutæ ab eo Alexandrinæ ecclesiæ paulo aliter quam ab Eutychio refertur. Utrobique autem fabula potius quam vera historia videtur enarrari.

IV. De Monachorum figmentis circa primos evangelii in Gallia præcones libere questus est Franciscus Bosquetus in prima editione historiæ suæ ecclesiasticæ Gallicanæ. Verum in secunda editione, quæ A. 1636. prodiit, etsi alias priori longe auctior esset, illa Bosqueti querela omissa deprehenditur, ut observant Usserius *præfat. ad antiquit. eccl. Britan.* & Dallæus *de usu Patrum p.32.* Spectat autem ad illa Monachorum commenta fabula de Lazari, Mariæ, Marthæ, Marcellæ, quæ Marthæ pedissequa fuisse perhibetur, & Sociorum jussu Synedrii judaici navi sine remis impositorum in Galliam appulsu, quam peculiari dissertatione, ejusdemque adversus Gvesnæum apologia discussit Johannes Launojus, cui Natalis Alexander in dissertatione 16. primi seculi frustra se opposuit judice Reisero *in Launojo teste veritatis p. 777.*

V. Non minus ad illa Monachorum figmenta pertinet fabula Hilduini, asserentis Dionysium Areopagitam ex Athenis in Galliam transmigrasse, & ibidem ecclesiæ Parisiensi præfuisse. Quod commentum etsi ab Andrea du Saussay in tractatu de mysticis Galliæ Scriptoribus *a pag. 343. usque ad pag. 1199.* & aliis quibus-

busdam Scriptoribus acriter propugnatum fuerit, non defuerunt tamen in ipsa Gallia Viri plurimi eruditi, qui Parisiensem Dionysii Areopagitæ episcopatum exploderent, ut Sirmondus in dissertatione de duobus Dionysiis, & Launojus in variis opusculis contra Milletum, Sanblacatum, Menardum, & Chiffletium editis, aliique.

VI. Oleum quoque & operam perdidit Mathoudius, cum peculiari tractatu Senonensis ecclesiæ origines a Saviniano, quem ab Apostolo Petro in Galliam missum contendit, deducere conatur. Nec majoris fidei sunt, quæ de Paulo Narbonensi Episcopo, Martiali Lemovicensi, Trophimo Arelatensi, aliisque primis evangelii in Gallia præconibus disserit Petrus de Marca in epistola ad Henricum Valesium, de tempore, quo primum in Galliis suscepta est Ghristi fides, quam epistolam peculiari tractatu dispunxit Launojus, ut, quæ de Gregorii Turonensis loco, & de Sulpitii Severi testimonio asseruerat, adversus Petri de Marca exceptiones vindicaret. Unde & Bebelius in antiquit. seculi I. p. 26. de primis Galliæ Episcopis, quos ex Fratrum Sammarthanorum Gallia christiana ibidem collegit, pronunciat, plerosque dubiæ ætatis & ex autoribus dubiis depromptos esse.

VII. Idem dicendum de Italiæ Episcopis, quos Ferdinandus Ughellus in Italia sua Sacra primo seculo assignavit. Ex pluribus unum tantum placet adducere Barnabam, quem Ughellus *Tom. IV. Italiæ S. p. 54.* primo inter Mediolanenses Episcopos loco nominat. Nam iste Barnabæ in urbe Mediolanensi episcopatus non minus quam historia reliquorum primorum Mediolani Epi-

ſcoporum ſolido fundamento deſtituitur ; unde Stephanus le Moyne in exercitatione de Barnaba, quam Variis ſuis ſacris præmiſit, non immerito de traditionis illius veritate dubitat.

VIII. In diſceptatione ſuper dignitate & magnitudine regnorum Britanniæ & Galliæ ab utriusque Oratoribus & Legatis in concilio Conſtantienſi habita,& in actis Conſtantienſis concilii omiſſa,ſed A. 1517. Lovanii, iterumque Londini A. 1690. cum vita Reginaldi Poli edita, Angliæ Oratores pro ſui regni eminentia allegant, quod Joſephus Arimathæus ſtatim poſt Chriſti paſſionem Angliam ingreſſus fuerit, & populos ad fidem converterit, antequam Dionyſius in Francia evangelium prædicaret. Eodem argumento uſi ſunt Oratores Anglicani in concilio Piſano, Senenſi & Baſileenſi. Quæ traditio de Joſepho Arimathæo Britannorum *Apoſtolo* etiam a Scriptoribus eccleſiarum Britannicarum paſſim aſſeritur. Conferatur Polydorus Virgilius *libr. 2. hiſtor. Anglic. c. 37.* Baleus *centur. 1. Scriptor. Britan. p. 15.* Cambdenus *in Britannia p. 47.* Pitſeus *in relationibus hiſtoricis rerum Anglic. p. 13.* Crakanthorpius *in defenſione eccleſiæ Anglicanæ adverſus M. Antonium de Dominis c. 4. p. 24.* Godwinus *de Præſulibus Angliæ c. 2.* & alii. Verum Jacobus Uſſerius *in antiquit. Britan. c. 2.* hanc de Joſepho traditionem, ſi modo veri aliquid habeat, plurimis fabulis contaminatam judicat, quam etiam explodit Eduardus Stillingfleet *de origine eccleſiæ Britannicæ c. 1.* & Baſnagius *in exercitationibus Anti-Baronianis p. 26.*

IX. Multo magis fabulas redolent, quæ de primis Hiſpaniæ Epiſcopis tradi ſolent, cujusmodi fictitios Hiſpaniæ

niæ Episcopos plures suppeditat Tenebrio Sinister (Lucium Dextrum dicere volebam) in suo chronico, ubi inter plures alios A. C. 71. occurrit Hierotheus, quem ex Atheniensi Segoviensem in Hispania Episcopum factum comminiscitur. Mentio fit hujus Hierothei in Menologiis Græcorum d. 4. Octobris. Eundem in exequiis B. Virginis Mariæ Apostolorum Præcentorem fuisse Græcorum Menæa tradunt. Insignibus elogiis ipsum exornat in scriptis suis Dionysius Areopagita, qui ejus discipulus & in Atheniensi episcopatu successor fuisse perhibetur. Plura de isto Hierotheo diximus in dissertatione de Patribus Apostolicis thes. 38.

X. Petri Apostoli episcopatus Antiochenus, quem ante Romanum per aliquot annos tenuisse dicitur, merum figmentum est. Eusebius certe *histor. eccles. libr. 3. c. 22.* Evodium primum Antiochiæ Episcopum fuisse, & huic Ignatium successisse tradit, ubi etiam primos Hierosolymitanos Episcopos Jacobum Domini Fratrem & Simeonem extitisse refert. Idem Eusebius *eodem libro c. 4.* Timotheum primum Ephesinæ, & Titum Cretensis ecclesiæ Episcopum fuisse scribit. Quot autem & quinam ex reliquis Apostolorum discipulis eorundem judicio digni æstimati fuerint, qui fundatas ab ipsis ecclesias pastorali cura gubernarent, dictu difficile esse profitetur. Idem Eusebius *eodem libro c. 36.* ex Ignatii epistolis Onesimi Ephesiorum Pastoris, Damæ Episcopi apud Magnesios, Polybii Trallianorum Episcopi, & Polycarpi Smyrnensis Episcopi meminit.

XI. Varii Episcopi ab Apostolis constituti nominantur in Constitutionibus Apostolicis *libr. 7. c. 46.* & in

his Zachæus Publicanus primus Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus ejusque Succeſſores Cornelius & Theophilus; Ariſto primus Smyrnenſis eccleſiæ Epiſcopus, ejusque Succeſſores Strateas, & alius Ariſto; Cajus Pergami; Demetrius Philadelphiæ; Lucius Cenchrearum; Dionyſius Athenienſium; Marathones Tripoleos in Phænicia; Archippus Laodiceæ; Philemon Coloſſenſium; Oneſimus Philemonis quondam ſervus Berææ apud Macedoniam; Creſcens Galatiæ; Aquila & Nicetas Paræciarum Aſiæ; & Criſpus eccleſiæ Æginenſis. Verum huic impoſtori, qui Conſtitutiones has Apoſtolis affinxit, nulla fides adhibenda. De ſeptem Angelis ſeu Epiſcopis eccleſiarum Aſiaticarum, ad quas Johannes ſcripſit, Commentatores Apocalypſeos videantur.

XII. Nec certiora ſunt, quæ de eccleſiis in Germania primo naſcentis eccleſiæ ævo plantatis, & primis illorum conditoribus referuntur, qualia ſunt, quæ de Euchario ejusque ſociis Valerio & Materno memorant Nauclerus *chronic. vol. 2. pag. 7.* Godofredus Viterbienſis in pantheo *part. 4. p. 401.* Otto Friſingenſis *libr. 3. c. 15.* Herigenus in geſtis Epiſcoporum Tungrenſium, Trajectenſium & Leodienſium *c. 5. & ſeq.* aliique Scriptores allegati a Bebelio *antiquit. eccleſ. Argentorat. c. 2.* & Browero in Annalibus Trevirenſibus *libr. 2.* Plura de primis evangelii in Germania præconibus ſubminiſtrat Urſinus de eccleſiarum Germanicarum origine & progreſſu, & Schilterus in tractatu de libertatibus eccleſiarum Germanicarum *libr. 1. c. 4.*

CAPI-

CAPITIS VII.

SECTIO IX.

De *Miraculis & visionibus primi seculi.*

I.

EVangelium post Christi ascensionem & Spiritus S. missionem ubique terrarum prædicatum ab Apostolis aliisque Viris Apostolicis per divina miracula confirmatum fuisse acta apostolica testantur, cujusmodi miracula etiam jam antea tam ab ipso Christo in terris adhuc versante, quam ab ejus Apostolis & 70. Discipulis patrata fuerant, ut evangelica historia docet. Ad miracula primi seculi, quæ a Scriptoribus ecclesiasticis referuntur, pertinet illa mortui cujusdam excitatio, quam ex Philippi Apostoli filiabus cognovit Papias apud Eusebium *lib. 3. hist. eccles. c. 39.* quod miraculum ipsi Apostolo Philippo tribuendum esse suspicatur Dodwellus *præfat. dissert. ad Irenæum* §. 8. Addit Eusebius loco allegato & aliud miraculum, quod itidem ex filiarum Philippi relatione Papias in suis commentariis notavit, referens, Justum seu Josephum cognomento Barsabam, Matthiæ in Apostolatu Competitorem, lethale poculum ebibisse, nihilque incommodi inde percepisse. Cujusmo-

modi miraculum etiam de Johanne Evangelista nonnulli referunt, unde etiam Johannes cum poculo, ex quo anguis prospicit, depingi solet. Verum Raynaudus *Tom. 8. oper. p. 197.* hanc de Johanne historiam partim ex pseudepigraphis, partim ex recentioribus Scriptoribus haustam pronunciat, & ex picturis ob impunem Pictorum licentiam nullum, alicujus ponderis, argumentum pro veritate hujus historiæ peti posse judicat. Aliud vero miraculum de Johanne Evangelista refert Apollonius secundi seculi Scriptor apud Eusebium *lib. 5. c. 18.* ubi refert, mortuum quendam Ephesi a Johanne per divinam potentiam suscitatum fuisse. Quorsum etiam spectat, quod Johannes in dolium ferventis olei immersus ex eodem illæsus evasit, qua de re supra in capite de persecutionibus dictum est.

II. Visionum divinarum charisma in *ecclesia primi* seculi viguisse, exempla Petri, Pauli, *Cornelii* Centurionis, & alia in sacro codice annotata abunde docent. At non æque certa est visio Carpi cujusdam, narrata a Pseudo-Dionysio in epistola ad Denophilum, non ad ipsum Carpum scripta, etsi Morinus *libr. 9. de sacrament. pœnit. c. 21.* memoria lapsus scribat, Dionysium Areopagitam in epistola ad Carpum in Carpum aliosque invehi, qui peccatorum quorumlibet veniam & reconciliationem pœnitentibus denegabant. Summa visionis hæc est: Carpus graviter contristatus & indignatus, quod infidelis quidam fidelem ad errorem seduxerat, in somnium incidit, & circa mediam noctem experrectus Deum precabatur, ut amborum vitam repentina morte abrumperet, cum non justum esset, ejusmodi impios homines diu-

diutius vivere. His dictis oculos attollens Jesum innumeris Angelis stipatum videbat, deorsum autem oculos flectens horrendam abyssum conspiciebat,& viros quos diris devoverat, ante hanc voraginem cum tremore stantes,& serpentes e voragine illa prorumpentes, qui viros illos in voraginem præcipites dare moliebantur, & viros quosdam, qui simul cum serpentibus impetum adversus illos faciebant, qua visione Carpus admodum delectabatur, hoc tantum indigne ferens, quod illi nondum cecidissent. Tandem oculis iterum ad superna sublatis iterum Jesum videbat, qui ad peccatores illos e cœlesti throno descendebat, & benignam manum illis porrigebat, & ad Carpum dicebat : jam manu extensa percute me, quia paratus sum denuo pro salvandis hominibus pati.

CAPITIS VII.
SECTIO X.
Qua epimetra quædam miscellanea continentur.

I.

INter liturgias primi seculi pseudepigraphas Bebelius *antiquit. sec. 1. p. 3.* Nicomedis liturgiam memorat. Quis vero ille Nicomedes? aut ubi ejus liturgia reperitur? Ego me id cum ignaris scire fateor, nisi quod in actis Nerei & Achillei legi, Nicomedem Presbyterum Romanum coram Virgine Petronilla, quam nonnulli veram Petri Apostoli filiam, alii vero spiritualem

tantum fuisse statuunt, paulo ante ejus mortem Christi mysterium çelebrasse. Unde Pamelius in rituali Patrum latinorum seu Liturgico latino *Tom. 1. p. 92.* inter testimonia antiquitatis, quæ pro Sacrificio missatico colligit, etiam ad Nicomedem provocat, hac rubrica præmissa: *mysteria celebrata a D. Nicomede Presbytero Romano*, quæ Pamelii verba Theologus laudatus ita accepit, ac si aliqua liturgiæ formula sub Nicomedis nomine extaret, sicut ejusmodi formulæ sub nomine Jacobi, Petri, Marci, Matthæi & aliorum extant.

II. Inter decem concilia Hierosolymitana primi seculi, quæ Eisengreinius numerat, ultimum ipsi est, quod in Symeonis Episcopi Hierosolymitani electione factum esse dicit, cum is Jacobi Fratris Domini in episcopatu hoc successor constitueretur. Et negari quidem non potest Eusebium *libr. 3. hist. eccl. c. XI.* referre, *quod post* martyrium Jacobi Apostoli cæterique *Domini Discipuli*, qui adhuc superstites egerunt, ex variis locis in unum convenerint, & in Jacobi locum Symeonem Cleopæ filium elegerint. Verum hæc Eusebius non ex certis monumentis, sed ex fama refert. λόγος, inquit, κατέχει. Et quid opus erat Apostolos, qui alia habebant, quæ agerent, ex variis terræ partibus Hierosolymam convenire ad novum hujus urbis Episcopum eligendum? Poterat hæc electio sine Apostolico concilio fieri. Cæterum hunc Symeonem Episcopum Hierosolymitanum cum Symeone Apostolo confundunt Autor chronici Alexandrini, Dorotheus & alii.

III. Idem Eusebius *libr. 3. hist. eccles. c. 5.* refert, Christianos Hierosolymitanos divino oraculo monitos fuis-

fuiſſe, ut urbe egrederentur. Cui oraculo etiam morem geſſerunt, & Hieroſolyma relicta in oppidum Pellam trans Jordanem ſe contulerunt. Idem confirmat Epiphanius *hæreſ. 29. ſect. 7.* nec non in tractatu de ponderibus & menſuris *ſect. 15.* ubi Chriſtianos Hieroſolymitanos ab Angelo monitos Pellam migraſſe ſcribit. Et in hac urbe etiam Epiſcopos Hieroſolymitanos poſt devaſtatam Hieroſolymam commoratos fuiſſe donec Æliam ſeu Hieroſolymam ab Hadriano inſtauratam ſe conferre poſſent, non improbabile videtur. Nam quod Euſebius *libr. 6. demonſtr. evang. c. 18.* Hieroſolymam non totam a Tito dirutam, ſed dimidiam partem integram relictam fuisſe, & poſtea demum ab Hadriano everſam fuiſſe exiſtimavit, falſum eſſe probat Scaliger *animadverſ. ad Chron. Euſeb. p. 212. ſeq.* etſi præter Euſebium etiam Hieronymus *ad Zach. XIV, 1. 2.* & alii quidam veteres ſimilia tradiderint, quos inter Scaliger *p. 213. l. c.* aliis modeſtiorem prædicat Epiphanium, qui *libr. de pond. & menſ. ſect. 14.* ſcribit Hadrianum, cum veniſſet in locum, ubi Hieroſolyma fuerat, omnia ſolo adæquata inveniſſe præter paucula domicilia, & ædiculam ſacram, in qua Diſcipuli poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum convenerunt. Epiphanius ergo non dimidiam Hieroſolymam, ut Euſebius & alii, ſed ſacram tantum ædiculam & pauca domicilia a vaſtatione Titi excipit, quanquam nec hoc cum verbis Chriſti convenit, qui prædixerat, ne lapidem quidem ſuper lapidem manſurum.

IV. Primos eccleſiæ Chriſtianæ hæreticos ante penultimum Trajani annum, ſeu A. C. 116. manifeſtam ab eccleſia diſceſſionem profeſſos non fuiſſe, Hegeſippi autorita-

tate aliisque argumentis evincere conatur Dodwellus *differt.1.ad Irenæum.* Quam sententiam falsam esse ostendi in epistola ad Auditores meos, quam dissertationi de hæresiarchis ævi apostolici præmisi. Equidem Dodwello astipulari video D. Philippum Jacobum Hartmannum in originibus Christianis c. 22. Verum nondum video, qua ratione evinci possit, ecclesiam ætatis apostolicæ usque ad terminum a Dodwello definitum puram & incorruptam virginem mansisse, nec ullos hæreticos nisi sub extrema Trajani tempora aperta fronte se publice ostentare, & secessionem facere cœpisse. *Hæreticos enim plures jam tempore Johannis vel secessionem fecisse ab ecclesia, vel a fidis ejus pastoribus communione fuisse exclusos, liquet clarissime ex prima Johannis & epistolis Apocalypticis*, ut Clarissimi Vitringæ verbis utar, quibus *in hypotyposi historiæ sacræ p. 320.* suum a Dodwelli sententia dissensum profitetur.

V. De Nerone primo inter Imperatores Romanos ecclesiæ persecutore pœnas Tyranni recensiturus Lactantius de mortibus persecutorum c. 2. *dejectus*, inquit, *fastigio imperii ac devolutus a summo tyrannus impotens, nusquam repente comparuit, ut ne sepultura quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret.* Addit Lactantius ulterius: *unde illum quidam deliri credunt esse translatum ac vivum reservatum Sibylla dicente matricidam profugum a finibus esse venturum, ut quia primus persecutus est, idem etiam novissimus persequatur, & Antichristi præcedat adventum.* Quæ verba expendens Tollius miratur Christianos veteres tam splendide mentiri solitos. At parcius hoc Christianis objicere Tollius debebat. Splendidum enim il-

illud mendacium de Nerone adhuc vivente non Christianis, sed gentilibus natales suos debet. Certe Suetonius in vita Neronis refert, cum paulo ante Neronis mortem & funerationem memorasset, non defuisse, qui *modo ejus imagines prætextatas in rostris proferrent, modo edicta quasi viventis & brevi magno inimicorum malo reversuri.* Huc etiam pertinent illa Taciti *libr. 2. hist. c. 8.* dicentis: *sub idem tempus Achaja atque Asia falso exterritæ, velut Nero adventaret, vario super ejus exitu rumore eoque pluribus vivere eum fingentibus credentibusque.* Et illa Dionis Chrysostomi, qui *orat. 20. de pulchrit. p. 273.* refert, quod post Neronis mortem multi eum adhuc vivere existimaverint. His ergo rumoribus etiam Christiani aliqui fidem adhibuerunt, nonnulli vero plura addiderunt. Hinc Casaubonus *animadv. ad Sueton. p. 196.* asserit, fuisse illam constantem in veteri ecclesia opinionem, quod Nero ante Seculi finem sit venturus, & vel ipse Antichristus sit futurus, vel iisdem temporibus per occidentem sæviturus, quibus ille per Orientem. Si Commodianum *in instructionibus c. 41.* audiamus, de inferno novissimis temporibus levabitur. Ita enim scribit:

Cum fuerit autem Nero de inferno levatus,
Helias veniet pius signare dilectos.

Severus Sulpitius *libr. 2. hist. sacr. c. 42.* Neronem curato vulnere servatum, & sub finem mundi ad operandum iniquitatis mysterium venturum asserit. Hausit illas fabulas Sulpitius ex ore Martini, qui de fine seculi quæsitus respondit: *Neronem & Antichristum prius esse venturos: Neronem in Occidentali plaga regibus subactis decem imperaturum, persecutionem autem ab eo hactenus exercen-*

 dam,

dam, ut idola gentium coli cogat. Ab Antichristo vero Orientale imperium esse capiendum: qui quidem sedem & caput regni Hierosolymam esset habiturus; ab illo urbem & templum esse reparandum. Illius eam persecutionem futuram esse, ut Christum Dominum cogat negari, se potius Christum esse confirmans: omnesque secundum legem circumcidi jubeat. Et ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum: atque sub illius potestate universum orbem, cunctasque gentes esse redigendas, donec adventu Christi impius opprimatur. Meminit etiam Augustinus quorundam, qui per Antichristum a Paulo prædictum Neronem intellexerunt, quem resurrecturum & Antichristum futurum suspicati sunt, & aliorum qui ne occisum quidem putaverunt, sed subtractum potius ut putaretur occisus, & vivum occultari in vigore ætatis illius, in qua fuit cum crederetur extinctus donec *suo tempore* reveletur & in regnum restituatur. Sed mira videtur Augustino *lib. 20. de Civit. Dei c. 19.* hæc opinantium tanta præsumtio, sicut & Lactantius loco ante allegato deliros judicat, qui Neronis reditum expectant, etsi eum repente nusquam comparuisse dixerit.

VI. Ad fabulas de Nerone illa quoque pertinet, quod ob Christi supplicium Pilatum nec non Hannam & Caipham vinctos ad se duci jusserit, & Hannam quidem ac Caipham iterum dimiserit, Pilatum autem, in quem omnis culpa a Pontificibus rejecta, in carcerem conjecerit. Referri id videas a Suida *lexic. Tom. II. p. 220.* & mutatis quibusdam circumstantiis a Johanne Antiocheno Malala *chron. pag. 323.* Verum hanc relationem recte confutat Bœclerus *in historia universali IV. primorum seculorum*

p. 9.

p.9. Quod vero ſuſpicatur Johannem Antiochenum forte de Tiberio, qui etiam Neronis nomen geſſit, non de Nerone proximo Galbæ anteceſſore locutum fuiſſe, in eo fallitur, nec in eam ſuſpicionem incidiſſet, ſi illa ætate, qua Bœclerus hiſtoriam ſuam quadriſecularem ſcripſit, Johannis Antiocheni chronicon editum fuiſſet, quod poſtea demum in Anglia prodiit.

VII. Inter inſignia Diaboli inſtrumenta, quibus ille evangelii curſum impedire conatus eſt, non tacendus Apollonius Tyaneus vel Tyanenſis, diabolicis ſuis præſtigiis magnam celebritatem conſecutus, cujus vitam libris octo Philoſtratus Lemnius deſcripſit, quorum novam editionem literatus orbis debet Dn. D. Godofredo Oleario, qui univerſa Philoſtratorum opera hactenus admodum rara cum Apollonii Tyanenſis epiſtolis, & aliis acceſſionibus ex MSCtis codicibus recenſita, & verſione fere nova notisque & præfationibus ſuis illuſtrata hoc ipſo tempore vulgavit. Hieroclem, qui ex Philoſtrati libris Apollonium cum Chriſto comparare auſus eſt, confutavit Euſebius, cujus liber adverſus Hieroclem poſt Morellianam & alias editiones, in novo, quem dixi, Philoſtrato denuo comparet. Cæterum Apollonii Tyanenſis miracula a Philoſtrato celebrata ob Taciti aliorumque Philoſtrato antiquiorum Scriptorum ſilentium falſi admodum ſuſpecta ſunt, etſi ejus facta tantum miraculoſæ operationis ſpeciem præ ſe ferant, ut a Chriſtianis quæſtio moveretur: quomodo fiat ut Apollonii teleſmata tantum poſſint in res creatas, cum illa & fluctus maris & ventuum impetum ſedaverint, & murium ac beſtiarum incurſiones ſuppreſſerint? Conferatur Juſti-

ſtinus, ſive autor quæſtionum & reſponſionum ad orthodoxos *quæſt. 24.* De variis teleſmatibus ab Apollonio factis multa narrat Johannes Malala *chronograph. p. 342. ſeq.* Verum illa dubio procul non minus fabuloſa ſunt, quam quæ Philoſtratus in Apollonii vita de inſigni hoc Mago memoravit. Magum enim fuiſſe Apollonium, eumque vaferrimum & ſacerrimum, etſi Philoſtratus id negare auſit, probat Huetius *demonſtrat. evangel. propoſ. 9. p. 660. & ſeq.* ubi etiam perſtringit Eunapium, qui Philoſtrati opus non Apollonii vitam, ſed Dei adventum ad homines inſcribi debuiſſe pronunciat, & Vopiſcum, qui in vita Aureliani tantis præconiis Apollonium extollit, ac ſi non hominem laudare, ſed Deum ſibi conciliare vellet, & alios, qui Apollonio plus juſto tribuerunt, quos inter etiam Sidonium Apollinarem Arvernorum Epiſcopum fuiſſe miratur, qui *libr. 8. ep. 3.* eas in Apollonium laudes conjicit, *ut Philoſtrati* mendacia non ſubodoratus videatur.

Plura de ſelectis hiſtoriæ eccleſiaſticæ primi ſeculi capitibus addere non lubet, ut eo citius ad ſelecta ſecundi ſeculi capita progredi mihi liceat, ſi Deo viſum fuerit, cui ſit gloria in ſecula ſeculorum
Amen.

INDEX

INDEX RERUM.

Numerus major *Caput*, minor *Paragraphum* S. *Sectionem* denotat.

Pr. Præfationem de Scriptoribus Hist. Eccl. & numerus adjectus Paragraphum Præfationis indicat.

A.

Eucha-

Micra-

de

Je-

Ope-

Sacra-

T.

van

FINIS.